UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacræ Scripturæ, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata, Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II. De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De Ecclesiæ Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie. VI.De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

urn:nbn:de:hbz:466:1-53587

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


A NÉPKÖNYVTÁRI KÖZPONTI
NEM
ADHATÓ
EL!


930
v
120

REVERENDISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
D. D. ANTONII GODEAU
EPISCOPI VENCIENSIS
VIRI CELEBERRIMI

THEOLOGIA MORALIS

EX
PURISSIMIS SACRÆ SCRIPTURÆ,
PATRUM AC CONCILIORUM FONTIBUS
DERIVATA,
NOTIS THEOLOGICIS
ILLUSTRATA,
DUASQUE IN PARTES DIVISA.

PARS II.

COMPLECTENS TRACTATUS

I. *De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto.*
II. *De septimo decalogi Præcepto.*
III. *De octavo decalogi Præcepto.*
IV. *De Ecclesiæ Præceptis.*
V. *De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.*
VI. *De Pœnitentia.*
VII. *De Matrimonio.*

EDITIO IN GERMANIA PRIMA.

SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER ET FILIORUM.
MDCCLXXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELENCHUS

TRACTATUUM, SECTIONUM, CAPITUM ETC. QUÆ IN HAC SECUNDA PARTE CONTINENTUR.

TRACTATUS I.

De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto.

SECTIO I.

De quarto decalogi Præcepto.

CAPUT I. *Filiorum erga parentes obligationes.* pag. 1
CAPUT II. *Gravia parentum officia.* 9
CAPUT III. *Reverentia magna Episcopis & Ecclesiæ Prælatis debita.* 13

CAPUT IV. *Honor Principibus, & Magiſtratibus debetur.* pag. 20

CAPUT V. *Regum & Principum officia.* 21

CAPUT VI. *Ejusdem argumenti continuatio.* 25

CAPUT VII. *Magiſtratuum, & Dominorum officia.* 30

CAPUT VIII. *Canonicæ contra quarti præcepti violatores pœnæ.* 34

SECTIO II.

De quinto decalogi Præcepto.

CAPUT I. *Laxæ quorumdam Caſuiſtarum de homicidio opiniones referuntur.* 35

CAPUT II. *Pravis novorum Caſuiſtarum ratiunculis reſpondetur.* 39

CAPUT III. *Aliis ſatisfit Laxiſtarum argumentis.* 47

CAPUT IV. *Malefactorum occiſio juſta ac licita eſt.* 55

CAPUT V. *Se ipſum occidere numquam licet.* 58

CAPUT VI. *Abortum procurare omnino illicitum eſt.* 62

CAPUT VII. *Reges, aut Prælatos occidere numquam licet.* 65

CA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAPUT VIII. *Moderamen inculpatæ tutelæ exponitur.* pag. 68
CAPUT IX. *Belli juſti aſſignantur conditiones.* 72
CAPUT X. *Duellum omni lege eſt interdictum.* 77
CAPUT XI. *Homicidium proditorium & caſuale explicantur.* 84
CAPUT XII. *Pœnæ canonicæ contra quinti Præcepti violatores.* 89

SECTIO III.

De ſexto decalogi Præcepto.

CAPUT I. *Luxuriæ notio & ſpecies.* 96
CAPUT II. *Abominabilis Mollitiei, Sodomiæ & Beſtialitatis malitia.* 98
CAPUT III. *Stupri, inceſtus, & raptus gravitas.* 104
CAPUT IV. *Fornicatio ſimplex lege naturali eſt prohibita.* 107
CAPUT V. *Adulterii malitia, ac damna.* 112
CAPUT VI. *Adulterii peſſimæ ſequelæ.* 116
CAPUT VII. *Divortium pati pars adultera tenetur.* 119
CAPUT VIII. *Remedia adulteris fœminis ſuggerenda.* 124

CAPUT IX. *Remedia adulteris viris ſervientia.* pag. 126
CAPUT X. *Canonicæ contra ſexti Præcepti violatores pœnæ.* 130

TRACTATUS II.

De ſeptimo decalogi Præcepto.

SECTIO I.

De Jure, & Dominio.

CAPUT I. *Juris & Dominii præmittuntur notiones.* 134
CAPUT II. *Varii Dominium acquirendi recenſentur modi.* 139

SECTIO II.

De Furto.

CAPUT I. *Furti notio, diviſio & gravitas exponuntur.* 146
CAPUT II. *Extrema neceſſitas, & occulta compenſatio explicantur.* 150
CAPUT III. *Varii furti ac rapinæ ſpecies.* 155

SECTIO III.

De Reſtitutione in genere.

CAPUT I. *Reſtitutionis notio, obligatio & origo.* 157

CA-

CAPUT II. *Quinam teneantur reſtituere.* pag. 161
CAPUT III. *Quinam ex injuſta actione reſtituere teneantur.* 165
CAPUT IV. *Quid ſit reſtituendum.* 172
CAPUT V. *Quibus fieri reſtitutio debeat.* 174
CAPUT VI. *Quantum, quomodo, & quando ſit reſtituendum.* 177
CAPUT VII. *Quo ordine & loco ſit reſtituendum.* 181
CAPUT VIII. *Cauſæ a reſtitutione excuſantes recenſentur.* 183

SECTIO IV.

De Reſtitutione in ſpecie.

CAPUT I. *Reſtitutio ab uxoribus, filiis, ac famulis facienda.* 188
CAPUT II. *Reſtitutio Judicibus, Advocatis, Procuratoribus, & Notariis incumbens.* 192
CAPUT III. *Reſtitutio tabelliones, apparitores, & teſtes obligans.* 195
CAPUT IV. *Reſtitutio vectigalium Conductores, Monopolitas, & Publicanos ſtringens.* 196
CAPUT V. *Reſtitutio a Beneficiatis peragenda.* 199
CAPUT VI. *Reſtitutio Confeſſariis imputanda.* 206

SECTIO V.

De Contractibus, & Fraudibus.

CAPUT I. *Contractus notio, divisio, & conditiones.* pag. 209
CAPUT II. *Restitutio ex contractu debita.* 216
CAPUT III. *Promissionis, & donationis notio, ac obligatio.* 219
CAPUT IV. *Testamenti notio, conditiones, & appendices.* 223
CAPUT V. *Depositi, commodati, ac precarii notiones, & obligationes.* 230
CAPUT VI. *Ludi, ac sponsionis descriptiones & leges.* 233
CAPUT VII. *Emptionis & venditionis notio, ac justæ conditiones.* 237
CAPUT VIII. *Locationis, & conductionis discriptiones, & obligationes.* 244

SECTIO VI.

De Usura.

CAPUT I. *Usuræ definitio, & divisio traditur.* 249
CAPUT II. *Quam grave inter Christi fideles usuræ peccatum sit, & quam severe Ecclesiæ legibus prohibeatur.* 252
CAPUT III. *Quibusdam usurariorum obviatur objectiunculis.* 257

CA-

CAPUT IV. *Nonnulli casus, in quibus aliquid ultra fortem accipere licet, exponuntur.* pag. 260
CAPUT V. *Contractus, quibus usura palliatur, succincte exponuntur.* 264
CAPUT VI. *Alii contractus ab usura remotiores explicantur.* 269
CAPUT VII. *Restitutio ab usurariis facienda.* 274

TRACTATUS III.

De residuis tribus decalogi Præceptis.

SECTIO I.

De octavo decalogi Præcepto.

CAPUT I. *Mendacii descriptio, divisio, & malitia.* 279
CAPUT II. *Æquivocationibus uti non licet.* 287
CAPUT III. *Suspicionis, & judicii temerarii descriptiones, & antidota.* 290
CAPUT IV. *Detractionis notio, gravitas, & varii modi.* 294
CAPUT V. *Irrisionis, contumeliæ, susurrationis malitia.* 302

CAPUT VI. *Libellos famosos legere, aut detrahentes audire omnino illicitum est.* pag. 304
CAPUT VII. *Famam restituere detractores tenentur.* 309
CAPUT VIII. *Monitorii obligatio, & extensio declaratur.* 311

SECTIO II.

De nono & decimo decalogi Præcepto.

CAPUT I. *Præcepti noni explicatio.* 316
CAPUT II. *Decimi Præcepti explanatio.* 320

TRACTATUS IV.

De Ecclesiæ Præceptis.

SECTIO I.

De Missa parochiali.

CAPUT I. *Missæ parochiali ut fideles intersint, antiqui Patres, & Concilia jubent.* 323
CAPUT II. *Missam parochialem audire summus Pontifex præcipit, sanaque ratio parochianis suadet.* 329
CAPUT III. *Missam parochialem Concilia recentiora commendant.* 336

SEC.

SECTIO II.

De jejunio Ecclesiastico.

CAPUT I. *Jejunii ecclesiastici origo, & laxæ de eo Casuistarum opiniones referuntur.* pag. 341

CAPUT II. *Genuinæ jejunii notio, & regulæ traduntur.* 346

CAPUT III. *Ad quosnam jejunii se extendat præceptum.* 352

SECTIO III.

De annua Confessione, & Communione paschali.

CAPUT I. *Cui, & quomodo facienda sit annua confessio.* 358

CAPUT II. *In paschate communicare omnes tenentur.* 364

CAPUT III. *Modus, quo paschalis communio sit peragenda, explicatur.* 368

CAPUT IV. *Quædam de frequenti communione dicuntur.* 372

TRACTATUS V.

De Sacramentis in genere, & quibusdam in specie.

SECTIO I.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I. *Sacramentorum notio, partes, numerus & auctor.* pag. 377
CAPUT II. *Sacramentorum minister quis & qualis esse debeat.* 383
CAPUT III. *Sacramentorum subjectum, ejusque dispositio expenditur.* 388

SECTIO II.

De Baptismo & confirmatione.

CAPUT I. *Baptismi notio, materia, forma, minister.* 391
CAPUT II. *Baptismi necessitas, subjectum, & patrini.* 396
CAPUT III. *Confirmationis notio, materia, & utilitas.* 402

SECTIO III.

De Sanctissima Eucharistia.

CAPUT I. *Eucharistiæ notio, asservatio, adoratio, ac digna susceptio.* 405

CAPUT II. *Eucharistiæ minister & nonnulla de Missæ sacrificio exponuntur.* pag. 409

TRACTATUS VI.

De Pœnitentia.

SECTIO I.

De necessitate, institutione, ac essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I. *Virtutis Pœnitentiæ notio, & divisio.* 423
CAPUT II. *Sacramenti Pœnitentiæ notio, materia, forma, minister.* 426

SECTIO II.

De Contritione.

CAPUT I. *Contritionis perfectæ idea atque utilitas.* 431
CAPUT II. *Contritionis imperfectæ notio & necessitas.* 434

SECTIO III.

De Confessione.

CAPUT I. *Nonnullæ laxæ circa confessionem recensentur sententiæ.* 443

CA-

CAPUT II. *Confessionis notio, necessitas, materia, & modus.* pag. 447
CAPUT III. *Quænam ad confessionis integritatem requirantur.* 453

SECTIO IV.

De Confessionis ministro.

CAPUT I. *Confessionis minister quis & qualis esse debeat.* 460
CAPUT II. *Præcipua Confessarii officia exponuntur.* 465
CAPUT III. *Stricta Confessarii ad sigillum obligatio.* 468

SECTIO V.

De Absolutione.

CAPUT I. *Laxæ de absolutione referuntur sententiæ.* 471
CAPUT II. *Genuinæ de absolutione referuntur regulæ.* 475

SECTIO VI.

De Casuum reservatione.

CAPUT I. *Reservationis notio, causa, & conditiones.* 483
CAPUT II. *Quinam casus sibi reservare, & quinam ab iisdem possint absolvere.* 486

SEC-

SECTIO VII.

De Satisfactione.

CAPUT I. *Laxa circa satisfactionem imponendam reprobatur praxis.* pag. 495
CAPUT II. *Satisfactionis notio, divisio, & recta oeconomia.* 499

TRACTATUS VII.

De Matrimonio.

SECTIO I.

De Sponsalibus.

CAPUT I. *De natura, divisione, & effectibus sponsaliorum.* 505
CAPUT II. *De Requisitis ad licite tum contrahenda, tum dissolvenda sponsalia.* 513

SECTIO II.

De Natura, Requisitis, Dispositionibus variis & actu matrimonii.

CAPUT I. *De natura & requisitis essentialibus matrimonii.* 522
CAPUT II. *De variis dispositionibus ad matrimonium tum bene inchoandum, tum bene continuandum conducentibus.* 534

CA-

CAPUT III. *De licito ac vero usu matrimonii, seu de actu conjugali, ejusque honestate.* pag. 545

SECTIO II.

De Impedimentis matrimonii.

CAPUT I. *De Impedimentis matrimonii in genere, & de impedimento erroris & voti in specie.* 552

CAPUT II. *De Impedimento matrimonium dirimente ex cognatione.* 559

CAPUT III. *De aliis impedimentibus dirimentibus.* 568

CAPUT IV. *De ultimo impedimento dirimente scilicet, de clandestinitate.* 578

CAPUT V. *De Impedimentis impedientibus.* 591

SECTIO IV.

De Redintegratione matrimonii ejusque dissolubilitate.

CAPUT I. *De Matrimonii invalidi redintegratione.* 597

CAPUT II. *De Dissolubilitate matrimonii consummati.* 606

CAPUT III. *De Dissolubilitate matrimonii rati.* 613

TRACTATUS I.

DE

QUARTO, QUINTO, ET SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE

QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Filiorum erga parentes obligationes.

Patres terreni Patris cœlestis sunt imagines, quoniam ab iis filiorum vita promanat; quamobrem de cœlesti Patre sanctus Paulus ait: *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur* (*Ephes.* 3.). Ideo quarto Præcepto, parentes Deus honorari jubet; primumque hoc est secundæ Tabulæ præceptum, quæ proximum respicit. Verbis hisce in Exo-

do enunciantur: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram* (*cap.* 2.).

Quatuor erga parentes facienda hoc præcepto filiis jubentur: 1. amor, 2. reverentia, 3. obedientia, 4. ſubſidium: & quatuor hominum genera patrum nomine comprehenduntur. *Primo* parentes, qui nos ſecundum carnem genuere: *ſecundo* patres ſpirituales, videlicet Epiſcopi, inferioresque Paſtores: *tertio* qui temporalem in nos poteſtatem exercent, videlicet Reges, Principes, provinciarum Gubernatores, & Domini: *quarto* qui nos auctoritate ſupereminent, ſcilicet Præceptores, Tutores, aliique hujusmodi. Deo adorationem cultumque debemus, quod præſtat *Religio*, tribusque primis præceptis nobis imperatur. Parentibus carnalibus debetur honor, qui quarto jubetur præcepto, & *Pietas* vocatur: Superioribus ſpiritualibus & temporalibus debemus reverentiam, quæ *obſervantia* appellatur. Cætera, quæ proximis debemus, officia poſtremis ſex præceptis ſunt comprehenſa, & *juſtitia* vocantur.

Natura ipſa per ſe filios ad parentum amorem cogit, & ideo ſi quis patrem ſuum aut matrem non amat, hunc naturam ſuam exuiſſe dicimus. Enorme igitur peccatum committeret, quicumque patri ſuo grave aliquod corporis vel animæ malum cuperet: quod ſane peccatum gravius eſſet, quam ſi alteri malum idem optaret. Hoc attendant filii, qui mortem parentum cupiunt.

Inhu-

Inhumanam, & naturæ religionique contrariam opinionem profert novus Casuista asserens, posse filium patris sui mortem optare; & de illa lætari, non tamquam patris sui malo, sed tamquam de bono quod sibi obvenit, patris siquidem morte hæreditatem obtinet; docetque hic Auctor filium mortaliter non peccare, si hoc desiderium eliciat, dummodo intentionem rectificet, nec absolute mortem patris optet, sed quatenus bonum sibi aliquod affert (*a*). Quicumque naturam audit, crudelem hanc opinionem damnabit: valde autem miror christianas aures hanc pati posse; sicuti & alteram, nempe posse filium patrem suum abnegare, quia damnum aliquod vel opprobrium timet.

Verum non sufficit amorem hunc interius fovere, sed exteriori aliquo signo est declarandus; hinc filius, qui patri molesta verba objicit, lethaliter peccat, si id sæpe diuque faciat. *Fili* (inquit Ecclesiasticus) *Suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius & si defecerit sensus, veniam da, & ne spernas eum in*

(*a*) Opinio hæc jam dudum ab Innocentio XI. in sequente propositione fuit damnata: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* Num. 14. Huic addi potest similis alia ab eodem Pontifice reprobata: *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* Num. 15.

in tua virtute (*Eccleſ.* 3.). *Qui affligit patrem* (ait Sapiens *Prov.* 19.) *& fugat matrem, ignominioſus eſt, & infelix.* Chaldaica verſio legit: *Qui deridet patrem.* Idem Salomon inquit: *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, ſuffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ* (*Prov.* 30.). Qui patri vel matri eſt injurius, omnem ille humanitatis ſenſum exuit, & communi hominum ſepultura eſt privandus, & corvis, aquilisque exponendus; & quoniam longævæ hæ aves ſunt, hinc malis his filiis certa minatur punitio, cum iis puniendis numquam defuturus ſit carnifex. In Exodo filius patri maledicens morte punitur: *Qui maledixerit patri ſuo vel matri, morte moriatur* (*Exod.* 21.)(*a*).

Præ-

(*a*) Grave proin peccatum filii committunt, qui parentibus dure reſpondent, eos alloqui, aut aſpicere dedignantur, qui eisdem detrahunt, illudunt, vel omnino violenter reſiſtunt &c.; graves enim hæ ſunt injuriæ, & caritati, & pietati contrariæ. Imo quæ contra quosvis alios commiſſa venialis peccati limites non excederent; contra parentes admiſſa multoties mortalis peccati malitiam induunt, niſi nimia rudtas, aut tenera ætas culpam minuat. Hanc itaque filiis diſcolis explicare, & ingratitudinem exaggerare Confeſſarius tenetur, proponendo Dei præceptum, liberorum obedientium præmia, inobedientium pœnas. Jeſulus in officina S. Joſephi pueris: Maria tenella in domo S. Annæ puellis pro vivaciſſimis obedientiæ, amoris, & reverentiæ ſpeculis ſervient, horumque in honorem ſuggeſtæ oratiunculæ, indies recitandæ, multum ad emendam conferent.

Præter verba, quibus parentes honorare filii debent, iisdem in ſpiritualibus & corporalibus neceſſitatibus opitulari tenentur. Si ægri ſint parentes, curandum eſt, ut Pœnitentiam cæteraque Sacramenta ſuſcipiant: neque excuſantur filii, ſi, ne illos turbent, ſine Pœnitentia mori permittant. Neque a conficiendo teſtamento ſunt impediendi, ne pia legata inſtituant, aut reſtitutionem aliquam jubeant: quæ omnia exequi oportet, ſi a parentibus præcipiantur, quod tamen plures filii ſine ſcrupulo facere prætermittunt. Igitur mortuis parentibus, ultimam eorum voluntatem quantocyus exequi filii tenentur, piaque implere legata: quod ſi diuturnior, gravisque in exequendo negligentia adſit, mortaliter peccant.

In corporalibus neceſſitatibus ſuccurrere iisdem oportet: ſi infirmi jacent, viſitandi ſunt, & juvandi: ſi in carcere ſint, aut in captivitate, liberandi ſunt, vel redimendi.

Sive extrema, ſive gravi premantur parentes neceſſitate, debent in utraque filii iisdem pro viribus ſuccurrere. Tamque arcta eſt juxta ſanctum Thomam (2. 2. *qu.* 189. *art.* 4.) hæc obligatio, ut mortaliter peccent filii, ſi deſertis parentibus Religionem ingrediantur. Quod ſi profeſſionem emiſerint, juxta plures tam in extrema quam in gravi parentum neceſſitate Religionem deſerere filius debet; verum Cajetanus (*Sum. c.* 14. *n.* 14.) & Navarrus ad extremam neceſſitatem obligationem hanc redigunt: niſi patre in gravi neceſſitate conſtituto Religio-

nem filius fuerit ingreſſus, quia tunc egredi debet: injuſte ſiquidem Religionem ingreſſus eſt; poſſet etiam absque Superioris facultate, dummodo hanc petierit, Religionem deſerere. Hæc tamen exceptio eſt adhibenda, nempe ne filius e Religione egrediens æternæ ſalutis diſcrimen in mundo ſubeat; tunc enim hoc diſcrimen propter temporalem parentis ſui ſalutem non teneretur ſubire, quemadmodum parenti non eſt obtemperandum, ſi peccatum jubeat, aut aliquid Deo injurium. Tunc etenim illius Chriſti ſententiæ meminiſſe oportet: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus* (*Matth.* 10.). *Honorandus eſt pater* (inquit ſanctus Auguſtinus *de verb. Domini ſerm.* 7.) *ſed obediendum eſt Deo. Amandus eſt generator, ſed præponendus eſt creator. Facite gradus, & cuique, quod debetur, reſtituite. Nolite autem minora potioribus ſubdere. Amate parentes, ſed præponite Deum parentibus. Amare nos parentes Scriptura ſancta jubet, veluti propria viſcera, ſed dummodo nos a Chriſti ſervitio non avertant, alioquin nec ſepultura a nobis illis debetur. Parentum, uxoris, & filiorum amorem Chriſtus non abſtulit, ſed ordinavit. Non ait, Qui amat patrem ſuum; ſed: Qui amat plus quam me, non eſt me dignus. Pater genuit, ſed non ipſe formavit: pater nutrivit, ſed non de ſuo: pater panem eſurienti porrexit, ſed de alieno. Relinquit ut poſſideas, recedit ut ſuccedat; nec eum deceſſorem quaſi ſucceſſurus ſpectes, ſed inhæreas ſemper manſuro ſemper manſurus.*

Paren-

Parentes honorandi ac juvandi præceptum turpiter Phariſæi corruperant, quemadmodum illis apud ſanctum Matthæum Chriſtus exprobrat: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum & matrem ſuam; & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram* (*Matth.* 15.). Illi ſiquidem Judaici populi ſimplicitate abutentes, docebant non teneri parentibus in eorum neceſſitatibus ſubvenire, quicumque bona ſua Deo promiſiſſet; ſed dicebant, ut pariter apud ſanctum Marcum ipſos Chriſtus increpat: *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban* (*quod eſt donum*) *quodcumque ex me, tibi profuerit: & ultra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri* (*Marci* 7.). Hinc parentes debito ac neceſſario privabantur auxilio; interimque Phariſæi a filiis templo factam oblationem capiebant, & pietatis velo ſuam tegebant avaritiam.

Obedire quoque tenentur parentibus filii in iis, quæ ad familiæ regimen ſpectant; quæ ſi gravia ſint, & a filiis ex contemptu omittantur, mortaliter illi peccant. Idem de iis eſt dicendum, quæ ad mores pertinent; ideoque ſi filius patri non pareat, cum de vitiis ſuis corrigitur, & a graviter peccandi occaſione removetur, mortaliter peccat.

Invito patre uxorem ducere, quando hoc matrimonium familiæ commodis obeſt, grave quoque eſt peccatum.

Honor pariter & reverentia parentibus debetur; illosque verbis ad iracundiam provocare graviſſimum eſt peccatum. In Exodo legitur: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur* (*cap.* 21.). Apud Ethnicos vulgatum erat hoc axioma: *Ipſo vultu læditur pietas.*

Qui ad eminentem dignitatem evecti pauperes parentes dedignantur agnoſcere, mortaliter peccant. Quidam tamen Auctores docent, licere aliquando filio patrem ſuum palam nolle agnoſcere, dummodo victui neceſſaria illi tribuat: ego vero numquam id conſulerem, veluti contrarium pietati, humilitatique chriſtianæ, quæ nos ad illam etiam abjectionem amandam impellit, quæ ex natalium vilitate oritur.

Recens Caſuiſta docet probabile tutumque in conſcientia eſſe, poſſe filium absque patris conſenſu nubere; & ex alio Auctore docet, adeo filiam quoad matrimonium eſſe liberam, ut, invito patre, marito etiam indigno nubere poſſit. Addit ille, etſi Evariſtus Papa nullum filiæ matrimonium declaret, niſi pater aſſentiatur; etſi ſanctus Ambroſius & ſanctus Leo aſſerant, non eſſe laudandam filiam, quæ ſibi maritum quærat, ſed hunc a patris judicio eſſe expectandum; etſi ſanctus Paulus expreſſe doceat, a patribus filias eſſe nuptui dandas; ex his omnibus utique inferri conveniens eſſe, ut patris conſenſus

sus petatur ; non vero malum, aut mortale peccatum esse, si consensus iste non petatur, aut si quis invito patre nubat. Qui sic loquuntur, hi profecto sanctos Patres, sacrasque Paginas contemnunt, suaque commenta veluti orthodoxas decisiones sectantur.

Filius patrem de gravi crimine accusans mortaliter peccat, nisi læsæ majestatis crimen id esset, aut in Reipublicæ perniciem vergeret; tunc enim bonum Reipublicæ, & Regis vita, qui populi pater communis est, particulari patris commodo sunt anteferenda.

CAPUT II.

Gravia parentum officia.

Tria filiis tribuere parentes debent; moderatum amorem, alimenta, ac bonam educationem.

Moderatus parentum erga filios amor sit oportet; quia amor prolium nimius nimias calamitates parit, amori similarum, quæ proles suas improvide amando necant, simillimus.

Alimenta quoque filiis præbere parentes tenentur; quæ si negent, possunt hæc filii apud judicem petere. Hinc parentes, qui bona sua dissipant, aut perire sinunt, graviter peccant. Apostolus Paulus inquit: *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis* (2. *cor.* 12.). Unde æstimare licet quam graviter peccent matres, quæ filios exponunt. Quæ ex nimia mol-

litie filios suos extraneis alendos tradunt, juxta omnes sanctos Patres a peccato non sunt immunes, etenim pravam hanc consuetudinem in suis ipsæ liberis passim damnant; *Dum enim continere nolunt* (inquit sanctus Gregorius) *despiciunt lactare quod gignunt.* Novercas se illæ, non matres ostendunt, & contra naturam peccant, quæ lac illis sufficit, ut filios suos alant, quod quidem lac ad illos alendos prorsus est opportunum, cum idem sit sanguis, quo ante ortum sunt aliti (*a*).

Verum præcipua parentum cura ea sit oportet, ut eosdem in viam salutis dirigant. Nisi peccantes corrigant, aut ex nimia indulgentia & incuria a peccandi occasione non retrahunt, mortaliter peccant. Nil crebrius magisque diserte Sapiens in Proverbiis docet: *Erudi filium tuum, ne desperes, ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam* (*cap.* 19.). *Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur* (*cap.* 43.). *Tu virga percutias eum, & animam ejus de inferno liberabis* (*ibid.*). *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ* (*cap.* 29.). *Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum* (*Eccl.* 7.).

Aposto-

(*a*) Juxta Leges primo triennio liberos alere mater, postea pater tenetur, donec ex arte, vel officio vitæ necessaria ipsimet sibi comparare possint (lib. 9. Cod. *de patr. potest.*). Quodsi pater ex inopia nequeat, tenebitur mater, hacque impotente avi, & alii ascendentes (l. 5. §. *de lib. agnosc.*).

Apostolus Paulus præcipit, ut educentur filii *in disciplina & correptione Domini* (*Eph.* 6.). Pulchre sanctus Ambrosius ait, episcopale officium a patre in domo sua exercendum; nempe sollicitam circa filiorum mores curam esse adhibendam, ut eosdem a vitiis retrahat, & ad virtutem impellat. Id sæpe in sermonibus suis Parochi illos moneant; dumque eorum confessiones audiunt, interrogent, an officium hoc negligant, sicuti plerique faciunt, qui ideo gravissime peccant (*a*).

Patres, qui filios a Religionis ingressu impediunt, aut retrahunt, mortaliter peccant; item qui illos ad ingrediendum Monasterium cogunt. Tridentina Synodus anathemati subjicit illos, cujuscumque sint conditionis, qui filias suas, aut viduam aliquam, aliamve fœminam invitam cogunt Religionem ingredi (*Sess.* 25. *cap.* 18.).

Mutuæ pariter obligationes quædam intercedunt maritum inter & uxorem. Non debet mari-

(*a*) Confessarius nædum graves erga filios obligationes incuriis parentibus exponere, sed & scripturistica exempla, quamtum tempus patitur, adjicere debet. Heli nimium filiis indulgens, arca & filiis spoliatus, ac repentina morte punitus, pro exemplo fugæ & horroris: Tobias optimis præceptis filium imbuens, corporis & animæ felicitate donatus, multoque solatio perfusus pro exemplo imitationis serviet. De his equidem fuse Concionatores; ast Exhortationes generales, & publicæ minus, quam particulares & occultæ movent.

maritus uxorem a Dei & Ecclesiæ servandis præceptis impedire; quod si faciat, mortaliter peccat. Quoad voluntarias devotiones, veluti quotidianam Missæ auditionem, preces quasdam, vel peregrinationes, hæc posset ex rationabili causa vetare. Verum si exempli causa frequens Communio ex Confessarii consilio esset uxori necessaria, illam sine peccato impedire non posset.

Si uxorem graviter verberet, grave peccatum committit.

A gravibus quoque verborum injuriis debet abstinere. Quæ uxori sunt necessaria, debet maritus eidem suppeditare; sed caveat ne vanitatem ejus, luxumque foveat, aut ejus vitiis, peccatisve consentiat. Demum cum uxore habitare debet, nec diu ab illa abesse; alioquin grave peccatum committeret, nisi ex rationabili causa abesset, idque domestica negotia exigerent. Verum si longa futura esset absentia, uxorem, si posset, secum ducere teneretur.

Uxor contra marito debet obtemperare in iis, quæ bonos mores, & familiæ regimen spectant; nam, ut ait divus Paulus *vir caput est mulieris* (*Ephes.* 5.). Ad maritum igitur pertinet uxorem regere; quæ autem viro mulier non paret, non solum in Reipublicæ bonum, verum etiam in Dei legem peccat, qui viro mulierem subdidit. Quod si mulier supra maritum, aut supra familiam imperium sibi vendicet, lethaliter plerumque peccabit.

Uxor,

Uxor, quæ virum ad iracundiam, aut ad blasphemandum Deum culpa sua provocat, gravissime peccat.

Maritum, quocumque perrexerit, sequi debet, nisi illum sequens vitæ discrimen subiret, aut graviter peccandi periculum; aut nisi post matrimonium maritus vagus evaserit, vel in nuptiali contractu expresse promiserit se habitationem non mutaturum.

CAPUT III.

Reverentia magna Episcopis & Ecclesiæ Prælatis debita.

Episcopi, Ecclesiæ Prælati, & Presbyteri sunt Dei Legati, quo titulo in sacris Litteris vocantur. Ecclesiasticus ait: *Honorifica Sacerdotes* (*cap.* 7.). Inter barbaras etiam nationes Regum Legati veluti personæ sacræ semper sunt habiti; & benigniores quoque Principes Legatorum suorum injurias, veluti sibi illatas, ulti sunt. At Episcopi, Ecclesiæ Prælati, & Presbyteri excellentiori, sanctiorique modo Dei & Jesu Christi sunt Legati, quam Synagogæ Presbyteri. *Pro Christo legatione fungimur* (inquit Apostolus 2. *Cor.* 5.). Hæc legatio Dei Filii legationem imitatur; sic enim ipse Apostolis suis ait: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos* (*Joan.* 20.). Quis Missionis Jesu Christi magnitudinem, dignitatem, & sanctitatem mente complecti potest? Quemadmodum autem sua & Legatorum suorum munera commu-

communia sunt, item communes injuriæ & contemptus; ideoque ait: *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* 10.). Nec solum Episcopi sunt Dei Legati; sed de illis insuper ita inquit sanctus Paulus: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Dei, & dispensatores mysteriorum Dei* (1. *Cor.* 4.). Sunt etiam illi Christianorum patres; sic enim idem inquit Apostolus ad Corinthios: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui* (*ibid.*). Porro carnales parentes honore sunt digni, illosque contemnere impietas est. Illos Ethnici Deos domesticos vocabant; etenim juxta Apostolum: Ex Deo *omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur* (*Ephes.* 3.); idest carnales parentes cœlestis Patris sunt imagines, ejusque locum obtinent. Terreni patres terrenam nobis dant vitam, videlicet animalem, debilem, brevem, miseriis mortique subjectam, & quod dolendum magis est, etiam peccato. Dum filios suos gignunt, terrenam solum illis dare vitam cogitant; & forsan solum concupiscentiam sectantur. At Episcopi & Parochi divinam fidelibus vitam tribuunt, qua Dei filii efficiuntur, suique Regni hæredes. Quanto igitur amplius sunt hi a fidelibus honorandi? Quantoque magis eorum contemptus est puniendus?

Primis Ecclesiæ sæculis, cum adhuc Evangelii spiritus vigeret, veluti personæ sacræ Episcopi colebantur; & quoties prodibant, peculiaria

na illis reverentiæ & obsequii signa populus exhibebat. Veluti Dei verba eorum dicta Imperatores audiebant. Noluit Constantinus Episcoporum negotia suo judicio subdere: Non enim, inquit, ad homines spectat illos judicare, quos Scriptura sancta Deos vocat. Carolus Calvus Galliæ Rex in sua ad Adrianum Pontificem epistola ait: „ Debitum Episcopis, qui in regno „ nostro morantur, honorem reddimus, aliis„que illos colendi præbemus exemplum; nam „ si nos eo loco constituti, in quo rectum sub„ditis exhibere debemus exemplum, sacras „ eorum personas contemnimus, a Regum Rege „ judicium rigidum tolerabimus, cum exem„ plum tam pravum dederimus " Carolus Magnus ante illum dixerat, se illorum fidelitatem habere suspectam, qui suis Episcopis non parent. Additque *Qui illis, quod absit, aut negligentes, aut inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honorem retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, nec nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magni sub magna districtione & severitate pœnas luent* (*tom. 2. Conc. Gall. cap. 20.*).

Quo magis caritas friguit, eo magis debitus Episcopis honor est imminutus. Noviſſimæ hæreses, quæ ecclesiasticam Hierarchiam præcipue sunt aggressæ, & Episcopos abolere conatæ sunt, debito Episcopis honori admodum detraxerunt. Verum hi conatus veritatem non evertent: quod Deus decrevit, perpetuo stabit, sem-

semperque Episcopi necessaria Ecclesiæ erunt fundamenta, & veluti parentes a fidelibus erunt honorandi. *Qui Christo non credit*, (inquit sanctus Cyprianus) *Sacerdotem facienti, postea credere incipiet Sacerdotem vindicanti.*

Honor Episcopis debitus non externos solum urbanitatis actus complectitur. Si sæculares tantum Proceres essent, satis illud esset; verum Ecclesiæ sunt Principes, & ecclesiastico more sunt honorandi. Oportet imprimis cum debita semper reverentia de illis loqui. Non omnes, fateor, ita sunt pii, & in suo exequendo munere ita exacti, sicut decet; sed Jesu Christi sunt ministri, quo nomine linguas suas fideles coerceant, & in illis ministri characterem venerentur. Sanctus Paulus, cum Pontificis jussu alapis fuisset in synagoga cœsus, parietem dealbatum eum vocavit; sed propterea a nonnullis objurgatus, se excusavit inquiens: *Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim Principem populi tui non maledices* (*Actor.* 23.). Qua igitur excusatione se protegent, qui suis sermonibus Episcoporum famam lædunt, eorumque occulta crimina pandunt, & exaggerant? Ajebat Constantinus, se pallio suo celaturum, si Episcopum cum fœmina peccantem reperisset; adeo erat ab eo infamando alienus. Quam graviter igitur Scriptores illi peccabunt, qui ut sua tueantur privilegia circa quæstiones; quæ adhuc sub judice sunt; illorum vitam modo palam arguunt, modo clan-

culum;

culum; sed eo pejori arte, quo secretior est, & ingeniosior?

Verus honor Episcopis debitus in eo situs est, ut eorum Edictis, quæ pro suæ Diœceseos bono edunt, pareatur, & eorum jussis obtemperetur; ea vero vitentur, quæ prohibent, præcipue sub censura. Si enim temporalium parentum maledictiones filiis sunt metuendæ, sicuti sacræ Litteræ docent; quanto magis Episcopi sui censura fideli est metuenda, qua non terrena hæreditate privatur, sed ab Ecclesiæ corpore amputatur, a Sacramentis arcetur, & diabolo subditur? Religiosi, qui tam audacter adversus excommunicationes declamant, quas Episcopi vel ad averruncanda suarum Diœceseon scandala, vel ad salutaria stabilienda Decreta infligunt, considerent serio quam excusationem coram Deo afferent de Episcoporum contemptu, ad quem populum compellunt. Nescio an sua eos privilegia ab hac reddenda ratione eximant, anve ab hujusce tribunalis justitia possint illi aufugere. Quod si vere huic tribunali subjacent, timeant ne in illo puniantur, si loco veros patresfamilias juvandi in bono filiorum regimine, eorum conatus turbent & impediant. Quod autem de Episcopis ajo, idem proportionaliter dicito de Parochis, qui Prælati sunt subalterni, quibus eadem præstanda est obedientia; quæ quidem obedientia hilaris debet esse & sincera, ut ait Apostolus: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri,*

ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis (*Heb.* 13.).

Si Parochi Deo animarum sibi commissarum rationem reddere debent, eas doceant oportet; proinde debent illos oves audire, eorumque sermonibus & instructionibus frequentes interesse. Verum cum de parochiali Missa agemus, punctum hoc examinabimus.

Neque vero satis est Episcopis obedire, Deus insuper est exorandus, ut necessarium illis lumen ad sua implenda munera largiatur. Sanctus Paulus fidelium precibus confisus illos, ad quos scribit, rogat ut ad suum prædicandum Evangelium robur sibi a Deo impetrent. In fidelium commodum hoc cedit; nam si cæcus alium ducat, *ambo in foveam cadunt.*

Pharisæos in Evangelio Christus arguit, quia populum ab honore parentibus debito retrahebant, videlicet ab iis in necessitate juvandis, votum prætexentes, quo filii bona sua Templo dicabant. Hinc inferre licet, honorem parentibus debitum esse in eorum necessitatibus ipsis opitulari. Quare Pastorum suorum necessitates debent subditi sublevare. Multis in locis sanctus Paulus prædicaverat, quin aliquid a populis pro victu reciperet; quod quidem sibi gloriæ tribuit: attamen ad Corinthios scribens sic ait: *Ita Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere* (1. *Cor.* 9.).

De quotidianis fidelium oblationibus olim Episcopi & Presbyteri vivebant; nunc autem stabi-

stabiles certosque redditus habent, nempe decimas. Hæ igitur sunt solvendæ, neque hanc solutionem negligere subditi possunt, si vere Pastores suos honorant. Hoc hodie plerique contemnunt, nec timent Prælatis negare decimas, quamvis Concilia & Pontifices sub excommunicationis pœna solvi præcipiant; quemadmodum etiam Regum edicta id jubent. Porro ferendum forte esset decimas Parochis non solvi, sed eo impietas prorupit, ut non vereantur nonnulli Proceres eorum bona rapere, & sua dominia Ecclesiæ bonis augere, quæ bonis Regis sunt sanctiora.

Mali Episcoporum, Parochorum, & Sacerdotum mores Christianos non excusant, ne illos honorent, multoque minus debent aliquem impellere ad eorum vitia imitanda. Dei Filius sic inquit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere* (*Matth.* 23.). Si de Scribis & Pharisæis ita Christus loquitur; quanto magis debent Christiani suos audire Pastores, qui supra Filii Dei cathedram sedent? Sanctus Augustinus illos, qui Presbyterorum sectantes exempla pie vivere nolunt, itinerantibus comparat, qui dum terminos reperiunt, qui viam quidem monstrant, sed e suo se loco non movent, eorum secuti exemplum progredi nollent. Deinde subdit: *Non sic quærunt homines caritate studiosa, quod prædicent ad imitationem, quomodo quærunt iniquitate suspiciosa, quod mur-*

murent ad direptionem, partim non inveniendo bonos, dum mali sunt; partim timendo invenire, dum mali semper esse volunt (Hom. 5. de Pœnit.).

CAPUT IV.

Honor Principibus, & Magistratibus debetur.

Qui Episcopos ad regendam Ecclesiam posuit, idem ad regendas provincias Deus Reges statuit. *Omnis anima* (inquit Apostolus *Rom.* 13.) *potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Reges, quos Deus instituit, sive bonos, sive malos honorare subditi debent; nec leve peccatum putent, si debitum illis honorem negent, si verbis lacessant, si mortem, aliudve infortunium illis optent. Eorum jussis parere debent, etiam cum impune violare possent. Hinc emptionem, venditionem, cæterosque contractus juxta illorum leges debent inire. Legitima a Principibus statuta tributa & vectigalia solvere debent. Officia a Principe tradita debent suscipere, nec mollitiei aut quietis amore se excusare, aut refugere onus debent, si communitati sint necessarii. Ut Principis vitam servent, suam debent exponere, si opus est, & Reipublicæ necessitas exigat. Demum pro Principe Deum debent exorare. Id Apostolus Timotheo præcipit, ut id ipse exequatur, & fidelibus faciendum jubeat.

Obse-

Obsecro igitur primum omnium, fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquillam vitam agamus (*Timoth.* 2.). Hoc sequens exemplum Ecclesia pro Regibus & Principibus orat in sacra Missæ liturgia; &, qui adest, populus se illi debet conformare. Apertam rebellionem omitto, seditiones, domestica aut extranea fœdera, quibus contra Principem adhærere lex Dei subditis vetat; non enim hæc peccata communia sunt, neque ullo nomine excusari, aut defendi possunt.

Dei lex, quæ populum suo Principi subjici jubet, illis quoque eum subdi præcipit, qui regendi populi auctoritatem a Principe obtinent, videlicet provinciarum Gubernatoribus, & Magistratibus. Expresse id tradit sanctus Petrus: *Subjecti estote sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis* (*Epist.* 1. *c.* 2.). Ipsis data proportione est igitur honor sicut Principibus exhibendus: secus Deus læditur, cujus providentiæ ordo ad Reipublicæ tranquillitatem necessarius turbatur.

CAPUT V.

Regum & Principum officia.

Quæ Principibus suis debeant subditi satis sciunt, illaque a Concionatoribus sæpe audiunt; verum non omnes sciunt Principes, & nonnulli forsan ignorare malunt, quæ Principes subditis debeant. Veritates, quas oderunt, ne-

mo illis patefacere audet. Libentius assentatores audiunt, qui jugiter eorum auribus obstrepunt, Dei illos imagines esse, & quæcumque libuerint, illis licere; aliorum judicia non esse illis formidanda, qui solum Deum judicem habent; eorum voluntatem justitiæ normam esse; in iis parendo subditorum gloriam sitam esse; subditorum vitæ, bonorumque supremos illos esse dominos; propter Regem populum, non propter populum Regem esse; aliis Principes legibus, quam subditos regi; Status rationem justitiæ præeminere; omniaque eorum gloriæ aut voluptati esse subjecta. Locus, quo nati sunt, prava hæc axiomata facile illis persuadet: nihil tamen Dei legi, Evangelio, sanæque Politicæ magis adversatur. De hoc igitur tam gravi argumento nonnulla dicam, cum jam de honore a subditis Principibus debito egerim. Regum officia tripliciter dividuntur, videlicet 1. erga Deum, 2. erga subditos, 3. erga seipsos.

Regum officia *erga subditos* huic axiomati veluti fundamento innituntur: *Propter populum Rex existit.* Hoc non minus ratio, & philosophia, quam Evangelii lex docet. Æquales initio homines nati sunt; sed eorum aucto numero turbæ inter illos ortæ sunt, dum quisque in alios dominari cupit, pravasque suas explere cupiditates: propterea Principem constitui oportuit, qui eos regeret, justitiamque servaret. Verum nonnulli invitis cæteris regnum usurpare ausi sunt, sicut fecit Nemrod Assyrii

regni

regni fundator. Ex gentium igitur jure, non ex naturali Regnum oritur. Deinde propter hominum salutem & necessitatem auctoritate sua Deus illud firmavit: quare a Deo est omnis potestas sive aristocratica, sive democratica, sive regia. Verum publica salus potestatis cujusque naturalis est finis, ad quem unaquæque debet respicere. Reges ab Homero Pastores vocantur, quia populi sunt veluti oves, quæ cum seipsas regere ignorent, duce indigent, qui eas regat, alat, & tueatur. Davidi, cum Rex ab Israelitis inungeretur, Deus dixit: *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux eorum* (2. *Reg.* 5.). Si igitur pastoris munera Rex non exequitur, officium suum minime implet: si ovibus pellem detrahit, si lupo vorandas dimittit, vel eas ipsemet vorat gravibus nimium tributis, ut avaritiæ suæ, vanitati, aut cupiditati satisfaciat, non est verus Pastor. Dei ipse imago est; debet ergo regnum suum ita moderari, sicut Deus orbem regit. Porro jugiter Deus sua beneficia hominibus largitur, eorum salutem curat, eos alit, & a diaboli insidiis & furore tuetur, illorum infirmitatem excusat, peccata dimittit, minimaque pietatis opera vita æterna remuneratur. En regius gubernandi modus, quantum hominibus illum licet imitari. Quod si Deum Reges non imitentur, frustra ejus vocantur imagines, nisi forte ejus furoris & iræ: sed valde est formidandum divinæ justitiæ ad puniendum populum instrumentum fieri, cum enim populum Deus punivit, virgam interdum in ignem projicit.

Cultum & reverentiam *Deo* debent, a quo regnum acceperunt, & qui Rex regum est, & Dominus dominantium. Meminerint illius divini effati: *Excelso excelsior est alius* (*Eccles.* 5.). Commune eorum peccatum est superbia, qua prudentiæ suæ, potentiæ, viribus, thesauris, fœderibus ita fidunt, ut non sicut oportet se Deo subjiciant, nec ejus auxilium, ut cœpta sua secundet & protegat, implorent. Ethnicos omitto Principes, qui eo dementiæ progressi sunt, ut divinum sibi cultum vindicarent. In hanc impietatem labi christiani Principes nequeunt, sed timendum est, ne vero Deo semper se satis subjiciant, nec sibi magis, quam illi fidant. Nil magis, quam hanc præsumptionem Deus odit, nihilque majori severitate punit. David populum suum ex ambitione numeravit (2. *Reg.* 24.); quod ita Deo displicuit, ut Prophetam suum ad illum miserit, qui tria eidem flagella proponeret, belli, famis, ac pestis, ex quibus illud seligeret, quo peccatum suum puniretur. Pestem ipse elegit, quæ Diei unius spatio septuaginta millia hominum absumpsit. Ezechias, Princeps cæteroquin pius Regis Babylonis legatis thesauros suos ostendit (4. *Reg.* 20), forsitan ut ille Princeps se magis amaret, & a bello inferendo abstineret: hac tamen vanitate iram Dei meruit, qui obsidione Jerusalem, & thesaurorum amissione hoc peccatum ultus est. Id ita exprimunt sacræ Litteræ: *Et facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem, humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus* (2. *Paralip.* 32.).

CAPUT

mo illis patefacere audet. Libentius assentatores audiunt, qui jugiter eorum auribus obstrepunt, Dei illos imagines esse, & quæcumque libuerint, illis licere; aliorum judicia non esse illis formidanda, qui solum Deum judicem habent; eorum voluntatem justitiæ normam esse; in iis parendo subditorum gloriam sitam esse; subditorum vitæ, bonorumque supremos illos esse dominos; propter Regem populum, non propter populum Regem esse; aliis Principes legibus, quam subditos regi; Status rationem justitiæ præeminere; omniaque eorum gloriæ aut voluptati esse subjecta. Locus, quo nati sunt, prava hæc axiomata facile illis persuadet: nihil tamen Dei legi, Evangelio, sanæque Politicæ magis adversatur. De hoc igitur tam gravi argumento nonnulla dicam, cum jam de honore a subditis Principibus debito egerim. Regum officia tripliciter dividuntur, videlicet 1. erga Deum, 2. erga subditos, 3. erga seipsos.

Regum officia *erga subditos* huic axiomati veluti fundamento innituntur: *Propter populum Rex existit.* Hoc non minus ratio, & philosophia, quam Evangelii lex docet. Æquales initio homines nati sunt; sed eorum aucto numero turbæ inter illos ortæ sunt, dum quisque in alios dominari cupit, pravasque suas explere cupiditates: propterea Principem constitui oportuit, qui eos regeret, justitiamque servaret. Verum nonnulli invitis cæteris regnum usurpare ausi sunt, sicut fecit Nemrod Assyrii

regni

regni fundator. Ex gentium igitur jure, non ex naturali Regnum oritur. Deinde propter hominum salutem & necessitatem auctoritate sua Deus illud firmavit: quare a Deo est omnis potestas sive aristocratica, sive democratica, sive regia. Verum publica salus potestatis cujusque naturalis est finis, ad quem unaquæque debet respicere. Reges ab Homero Pastores vocantur, quia populi sunt veluti oves, quæ cum seipsas regere ignorent, duce indigent, qui eas regat, alat, & tueatur. Davidi, cum Rex ab Israelitis inungeretur, Deus dixit: *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux eorum* (2. *Reg.* 5.). Si igitur pastoris munera Rex non exequitur, officium suum minime implet: si ovibus pellem detrahit, si lupo vorandas dimittit, vel eas ipsemet vorat gravibus nimium tributis, ut avaritiæ suæ, vanitati, aut cupiditati satisfaciat, non est verus Pastor. Dei ipse imago est; debet ergo regnum suum ita moderari, sicut Deus orbem regit. Porro jugiter Deus sua beneficia hominibus largitur, eorum salutem curat, eos alit, & a diaboli insidiis & furore tuetur, illorum infirmitatem excusat, peccata dimittit, minimaque pietatis opera vita æterna remuneratur. En regius gubernandi modus, quantum hominibus illum licet imitari. Quod si Deum Reges non imitentur, frustra ejus vocantur imagines, nisi forte ejus furoris & iræ: sed valde est formidandum divinæ justitiæ ad puniendum populum instrumentum fieri, cum enim populum Deus punivit, virgam interdum in ignem projicit.

Cultum & reverentiam *Deo* debent, a quo regnum acceperunt, & qui Rex regum est, & Dominus dominantium. Meminerint illius divini effati: *Excelso excelsior est alius* (*Eccles.* 5.). Commune eorum peccatum est superbia, qua prudentiæ suæ, potentiæ, viribus, thesauris, fœderibus ita fidunt, ut non sicut oportet se Deo subjiciant, nec ejus auxilium, ut cœpta sua secundet & protegat, implorent. Ethnicos omitto Principes, qui eo dementiæ progressi sunt, ut divinum sibi cultum vindicarent. In hanc impietatem labi christiani Principes nequeunt, sed timendum est, ne vero Deo semper se satis subjiciant, nec sibi magis, quam illi fidant. Nil magis, quam hanc præsumptionem Deus odit, nihilque majori severitate punit. David populum suum ex ambitione numeravit (2. *Reg.* 24.); quod ita Deo displicuit, ut Prophetam suum ad illum miserit, qui tria eidem flagella proponeret, belli, famis, ac pestis, ex quibus illud seligeret, quo peccatum suum puniretur. Pestem ipse elegit, quæ Diei unius spatio septuaginta millia hominum absumpsit. Ezechias, Princeps cæteroquin pius Regis Babylonis legatis thesauros suos ostendit (4. *Reg.* 20), forsitan ut ille Princeps se magis amaret, & a bello inferendo abstineret: hac tamen vanitate iram Dei meruit, qui obsidione Jerusalem, & thesaurorum amissione hoc peccatum ultus est. Id ita exprimunt sacræ Litteræ: *Et facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem, humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus* (2. *Paralip.* 32.).

CAPUT

CAPUT VI.

Ejusdem argumenti continuatio.

Neque satis est, si Rex Deum veluti dominum ac protectorem colat; curare insuper debet, ut a suis populis ubique adoretur Deus & colatur. Id imprimis negotii datum putet, ut veram servet Religionem, ut Ecclesiam ab hostibus tueatur, ut ejus dignitatem defendat, ejusque ministros protegat. Ideo Reges Deus instituit; Ecclesia siquidem est regnum, cui Reges terræ servire debent: *Et erunt reges* (inquit Isaias *cap.* 49.) *nutritii tui.* Porro spirituale est hoc regnum, quod spiritualibus armis se tuetur; quæ quidem sola arma ad illud tuendum contra diaboli conatus non sufficiunt, qui & hæresibus & hominum iniquitate ejus perniciem molitur. Oportet ut vis vi repellatur, & coerceantur iniqui temporalis pœnæ metu, quam præ suppliciis, quæ Deus minatur, formidant. Hoc Regum est officium.

Princeps, ait sanctus Paulus, *Dei minister est, vindex in iram* (*Rom.* 13.). Præcipua, quam sacræ Litteræ Regibus Israel tribuunt, laus est Religionem sartam tectam servasse. Hoc nomine laudatur David, Salomon, Josias, Ezechias. Post Christum natum Constantinus, Theodosius, Gratianus, Marcianus, Carolus magnus, sanctus Ludovicus illustres magis sunt pro cura, qua Ecclesiam sunt tutati, quam victoriis, quibus imperii hostes prostraverunt. In Honorii & Arcadii Edicto, quo inter Catho-

licos & Donatiſtas collationem fieri permiſerunt, ſic loquuntur Auguſti : *Inter Imperii noſtri maximas curas, Catholicæ Legis reverentia aut prima ſemper, aut ſola eſt. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conciliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs dilecta cuſtodiat.* Ad Valentinianum ſanctus Ambroſius ita ſcribit : *Cum omnes homines, qui in ditione Romana ſunt, vobis Imperatoribus terrarum militent, tum ipſi vos omnes potenti Deo & ſacræ fidei militatis.* Sanctus Auguſtinus inquit : *Pertinet ad Principes chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam velint habere matrem Eccleſiam* (*Epiſt.* 50.). Egregie ait ſanctus Leo Papa : *In hoc ſerviunt Domino Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges. Quis mente ſobrius Regibus dicat : Nolite curare in regno veſtro, quis velit religioſus eſſe vel ſacrilegus? quibus dici non poteſt ; non ad vos pertinet in regno veſtro quis velit pudicus eſſe, quis impudicus.* Idem ad Theodoſium II. Imperatorem ſic ſcribit : *Ut vobis non ſolum regium, ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudeamus.* Ad Pulcheriam vero ejusdem Imperatoris ſororem ſcribens, poſt actas Deo de fidei ſuæ vigore gratias, ſubdit : *Quia Principibus temporis noſtri non ſolum potentiam regiam, ſed etiam ſacerdotalem cognoſcimus ineſſe doctrinam.* En optima Principibus illis inſtructio, qui a Machiavello regnandi præcepta hauriunt, humanæque Politicæ artem ſectantes ſacram Evangelii doctrinam contemnunt.

Nec

Nec plene officio suo Reges satisfaciunt, si veram Religionem tantum tueantur; curent etiam oportet, ne in suis regnis blasphemiis aut impietatibus Deus lædatur. Id plerique nostri Reges præstiterunt severis Edictis editis adversus blasphemos: idque novissime præstitit Ludovicus XIV. antiquas renovans leges, novasque blasphemis pœnas infligens.

Pium Regis exemplum majus præ legibus robur habet. Caveat igitur ne quid umquam contra Religionem loquatur; mores imo suos ad illius normam componat, ut hinc aulici & populus pietatis regulas sumant. Probis exemplis preces etiam addat, quibus Deum pro populo suo quotidie exoret: a Deo enim lumen accipiet, quo ad regnum bene moderandum indiget. Porro eo majori lumine indiget, quo difficilior est regni moderatio, & quo gravioribus quotidie tentationibus patet, & peccandi illecebris. Juxta præcipitium semper ambulat, cumque simul homo & princeps sit, in quodlibet peccati genus labi potest: peccandi occasiones præsto sunt ubique, nec quæsitæ ultro occurrunt; ideoque peculiari Dei eget auxilio quod flagitare jugiter debet. Non tamen ajo longum a Principe orationi tempus esse tribuendum; sed quotidie saltem humiliter Deum adoret, & ab eo opem enixe petat. Regnum David, difficilemque populum regebat; attamen Deum orans ita loquitur: *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psalm.* 118.). Galliæ regnum sanctus Ludovicus moderabatur, & adversus Infideles bella gere-

gerebat; inter tot tamen negotia Horas canonicas quotidie recitabat, Missæque solemni, & Vesperis intererat. Non satis est Principi, ut veram fidem teneat, debet insuper culpa vacare, & a scandalis præcipue abstinere; pravum enim Principis exemplum aulicos & subditos facillime inficit. Si virtutibus Princeps fulgeat, animos etiam a virtute alienos ad illam trahit; si vero vitiis sit obnoxius, veluti lex publica est ejus exemplum, quod quasi lues totum regnum corrumpit, ipse vero criminum est reus, quorum est causa, & formidandum a Deo judicium, a quo cum suis subditis judicabitur, sibi parat.

Hæc sunt Regum erga populos officia, pacem servare, justitiam colere, quæ sua cuique tribuat. Ad Reges terræ sic loquitur Sapientia: *Audite ergo Reges, & intelligite: discite Judices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ; neque secundum voluntatem Dei ambulastis* (*cap.* 6.). Totum hoc caput eximiam Principum institutionem continet, & utinam in eorum cordibus maneret alte repositum.

Non omnes per semetipsos judicare possunt; ideo fidelibus Judicibus indigent, qui subditorum dissidia componant. Verum attente hos judices eligant; adversum quos si lamenta audiant, eorum

eorum concussiones & injustitias severe puniant, ne ipsi a Deo damnentur. Postquam Josaphat judices in civitatibus Judæ posuit, sic illos est allocutus: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum* (2. *Paral.* 19.). Regnante secunda Regum Gallorum stirpe, Visitatores in annos singulos regnum peragrabant, qui aut Episcopi, aut Palatii Comites erant, ut contra Judices populorum querelas audirent; ex quorum relatione iniqui Judices puniebantur.

Nec soli Judices populos opprimunt; sed & pagorum & oppidorum Domini; quorum licentiam auctoritate sua debent Reges coercere; quod præstare inferiores Judices nequeunt.

Quoad tributa, a bonis Regibus moderate hæc exiguntur. Vastum hoc est, & periculosum argumentum: hoc tantum dicam, Reges esse Pastores, & posse quidem oves tondere, sed non esse ipsas decorticandas; quod si absque necessitate nova & intolerabilia exigant, juxta Evangelii dogmata, salvi esse nequeunt, nisi restituant.

CAPUT

CAPUT VII.

Magistratuum, & Dominorum officia.

Justitiæ munus Reges Magistratibus committunt, qui exacte debent illud exercere.

Quinque ea sunt, quæ a justitia possunt eos removere: 1. ignorantia, 2. præcipitatio, 3. præoccupatio, 4. negligentia, 5. avaritia.

Ne ex *ignorantia* injustitiam committant, leges & consuetudines Provinciæ, quam regunt, scire debent, si non egregie, attamen exacte, ne muneri suo desint. Cum Deus Moysi ad regendum populum seniores addidit, sui spiritus partem ab eo abstulit, idest scientiam judicandi, illamque Assessoribus ejus tribuit; secus enim injunctum officium exequi non potuissent. Non est modo expectandum ut scientia ista infundatur, sed studio est comparanda. Neque vero judicandi munus suscipere quis debet (licuti plerique solent juvenes) litterarum omnino expers, id videlicet tantum curans, ut aliquo munere cœteris in Provincia præcellat, & familiæ suæ dignitatem augeat. Parentes, qui filios suos ad magistratus ita evehendos curant mortaliter peccant; hique ignorantes Judices damna omnia resarcire debent, quæ ignorantia suæ Provinciæ attulerunt.

Negotiis omnibus nocet *præcipitatio*, præcipue vero judiciis. Oritur hæc plerumque ex mentis vigore, quæ naturaliter prompta, subtilis, & operans, ad negotia examinanda non im-

immoratur; sed ingenii sui sequens promptitudinem, veritatem statim se reperisse putat. Non ita velox est judicium, lente progreditur, novæque cogitationes, ut est in adagio, sunt prudentiores. Tempus igitur ad rem examinandam Judex sumat, cavens, ne aliquid ad partium tuenda jura prætermittat.

Præoccupatio præcipitatione longe est periculosior; hocque plurium bonorum Judicum vitium est, qui sententiæ alicui adhærentes mutare illam numquam volunt, bonam & justam putantes. Plerumque id ex præsumptione, animique elatione oritur, qua omnia etiam difficiliora negotia expedire nos facile posse arbitramur. Amor & odium sunt quoque præoccupationis causæ, hi enim affectus facile secum mentem trahunt, & quemadmodum si quis optat, ne amicus suus causa cadat, facile sibi persuadet ipsum justa petere, sic inimicum odio habens facile putat hunc iniqua postulare. Sunt quidam, qui sine odio vel amore parti alicui naturaliter statim adhærent, & ab ea ægre admodum divelluntur. Ut vitet hoc vitium, oportet ne Judex prudentiæ suæ fidat, & ut affectus suos comprimat, odium præcipue, & amorem; amicorum commendatio sit sibi suspecta, & hinc negotium diligentius examinandi ansam capiat.

Magnum quoque vitium est *negligentia;* ideoque debet Magistratus officii sui munera propriæ quieti anteponere, & suum officium propriis commodis: vigilet oportet, & laboret, ut commissa sibi negotia cognoscat, quod si litigantes

tes longe a domo ſua graves ſumptus ejus culpa ſuſtineant, coram Deo reus ipſe eſt, & ad reſtitutionem tenetur.

Maximum vero Judicis vitium eſt *avaritia*, ſive *cupiditas*, qua vel honorem, vel pecuniam, vel voluptatem quærit; rarique ſunt, qui a triplici hoc amore ſint ſoluti. Pecuniæ cupiditas vilior, & turpior eſt; verum nec reliquæ excuſari poſſunt, licet parum ab honeſtate diſtare videantur. Caſuiſtarum aliquot opinio aſſerens, non teneri Judicem reſtituere pecuniam, quam pro injuſta ſententia ab uno litigantium accepit, rectam juſtitiæ adminiſtrationem tollit, Judicum avaritiæ favet, legesque omnes divinas & humanas peſſumdat. Sic Deum interrogat Pſalmiſta: *Quis requieſcet in monte ſancto tuo?* ideſt in Cœlo; & Dei nomine ſic reſpondet: *Qui munera ſuper innocentem non accepit* (*Pſalm.* 14.). Quo jure poteſt Judex injuſtitiæ ſuæ fructu gaudere? Si laboravit, & ſudavit, ut iniquam ſententiam proferret, iniquitatis hic labor eſt, qui mercedem non meretur. Non eſt ipſe juſtitiæ dominus; hæc illi a Principe tradita eſt cuſtodienda, atque hanc reddere cuique debet juxta leges, quæ juſte judicare jubent, & vel pro juſta ſententia munera verant accipere, & accepta reſtitui præcipiunt. Sanctus Auguſtinus quæſtionem dirimet inquiens: *Cum autem judicia & teſtimonia, quæ nec juſta nec vera vendenda ſunt, iniqua & falſa venduntur, multo ſceleratius utique pecunia ſumitur; quia ſcelerate etiam, quamvis a volentibus datur.*

Ille

Ille tamen solet tamquam male sublatam pecuniam repetere, qui justum judicium emit, quoniam venale esse non debuit: qui vero pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret vel puderet emisse (Epist. 54.).

Pagorum Domini debent, qualia Principes, subditis suis officia reddere. Id secum reputent oportet, se illis locis Dominos esse positos, ut communitatis saluti consulant; se subditorum esse patres, quorum bona tueri debent, non rapere; quemadmodum sæpe usuvenit, aut vi, aut fraude, injustas illis movendo lites, aut pro levibus delictis ingentes exigendo mulctas. Quemadmodum enim gravia delicta punire debent, nec, accepta pecunia, impunita relinquere; ita leviora quædam delicta sunt, ex quibus lucrum sumere Domini non debent. Oportet insuper, ut familiarium suorum violentias, & extorsiones impediant, ne in eorum peccatis participent. Demum a scandalis abstineant, ne mali illorum exemplo se excusent; facilemque subditis aurem præbeant, ut mala, & lites arceant, quæ pestilentia & bello sæpius magis nocent. Sicuti ad lites dirimendas Judicibus egent, ita illos diligenter eligant, qui justitiam colant, nec umquam ignorantia, vel malitia, aut avaritia illam prodant.

CAPUT VIII.

Canonicæ contra quarti præcepti violatores pœnæ.

Qui parentibus ſuis maledixerit, quadraginta diebus jejunabit pane & aqua (*Burcard. l.* 15.).

Qui injuria aliqua illos læſerit, tribus annis jejunabit (*Pœnit. Rom. tit.* 4. *c.* 4.).

Qui illos domo expulerit, tamdiu pœnitebit, donec ab impietate ſua receſſerit.

Qui Epiſcopo ſuo, aut Parocho, aliive Presbytero rebellis fuerit, omnibus vitæ ſuæ diebus in Monaſterio pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. tit.* 6. *c.* 17. *&* 24.).

Qui Epiſcopi præcepta & doctrinam contemnit, illumque ſcripto aut verbis lædit, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit. Pœnæ eidem ſubjacebit, qui aliorum Eccleſiaſticorum conſilia aut præcepta contemnenda putarit (*Burcard. l.* 25. *c.* 94.).

SECTIO II.

DE

QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Laxæ quorumdam Casuistarum de homicidio opiniones referuntur.

Homicidium naturæ lex prohibet; nec tam barbaræ umquam extitere nationes, quæ illud non punirent. Postquam ex arca egressus est Noe, memorabilibus hisce verbis homicidium Deus vetuit: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem Dei quippe factus est homo* (*Genes.* 9.). Si naturæ societas ab alterius sanguine fundendo hominem non retrahit, neque impedit; considerare oportet hominem Dei esse imaginem, nec qualemcumque, sed viventem, spiritualem, intelligentem: quare qui illam destruit, illius exemplar lædit, quod, si fieri posset, vellet destruere. Inter Christianos homicidium graviorem habet enormitatem, fidelis siquidem Jesu Christi membrum est. Quamobrem Christianum occidere est Filii Dei destruere membrum, quod suo ipse Sanguine redemit: est quoque Dei & Spiritus sancti templum destruere, nam juxta sanctum Paulum utriusque templum est homo, & propterea ejus sanguinem fundere est personam sacram violare.

Nullum est Præceptum, in cujus explicatione periculosas & abominandas plures opiniones effuderint Casuistæ, quam quintum istud præceptum.

Docent nonnulli Casuistæ, Religiosum, qui vilem fœminam violaverit, ne crimen patefaciendo suæ famæ illa noceat, licite posse eam occidere (*Caramuel Theol. fund.* §. 60.): licite quoque Religiosum quemlibet illum posse occidere, qui famam suam verbis proscinderet, aut Ordinem suum vituperaret, vel se vituperaturum minaretur; si alio non posset modo calumniam propulsare. Ad hanc tuendam opinionem subdit Caramuel: *Doctrinam Amici solam esse veram, & oppositam improbabilem censemat docti omnes.*

Docet alius, adulterum in adulterio deprehensum licite posse a marito occidi. Idem de fure docet; additque posse hunc domum ingressum, ut furetur, occidere dominum, aut eos, qui se propter furtum vellent occidere. Alius asserit, posse aliquem deliberatam habere voluntatem injustum aggressorem occidendi, huicque voluntati locum in corde suo dare.

Docent præterea, injuste accusatum occidere posse accusatorem suum, testes, Judicemque suspectum, si secus defendere se non possit. Juxta hos potest, qui alapam accepit, aut baculi ictum, vel proxime accepturus est, percutientem, & percussurum occidere. Idem Caramuel hoc docet, pluresque pro hac sententia Doctores affert, sicque concludit: *Ergo qui fece-*

fuerit, quod hæc opinio licitum esse docet, non operabitur suadente diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse (ibid.).

Docent insuper, occidi posse furem, qui magni valoris rem auferat; huncque valorem ad sex vel septem argenteos extendunt, vel ad unum aureum, aut etiam minus.

Quisquam ex his Casuistis docere audet, hominem nobilem, si quis ab ejus manibus pomum auferre velit, posse hunc occidere, quando pomum alteri cedens pusillanimitatis accusaretur; nam, inquit, hoc casu non sua bona, sed suum honorem defendit. Adeo hanc licentiam occidendi alium, a quo nostræ vitæ jacturam timemus, extendit, ut asserat æque id Monachis, Clericis, atque Laicis licere; ita ut possint contra quemcumque, etiam Superiorem hac licentia uti, veluti Religiosus contra Abbatem, filius adversus parentes, servus in dominum, subditus contra Regem aut Principem. Idem Casuista docet, Sacerdotem ad altare celebrantem posse Missam interrumpere, & aggressorem occidere, & post ejusdem occisionem Missam absolvere. Horribiliusne aliquid potest excogitari? Nonne illud de hisce opinionibus repetere licet, quod de sui temporis hæresibus dicebat sanctus Polycarpus: Domine, quibus me temporibus reservasti, ut tam impias audirem blasphemias? Hæc recitasse refutasse est, adeo sunt enormia. Etenim non modo, ut mox ostendemus, Evangelium destruunt; sed humanam societatem evertunt, & Regibus ac Magistrati-

bus ſecuritatem auferunt, magnasque urbes in latronum ſaltus convertunt. Plerique Galliæ Epiſcopi has propoſitiones damnarunt; idem præſtitere Theologicæ Pariſienſis, ac Lovanienſis Facultates; Parlamenta, Regisque Conſilia ſuis decretis illas proſcripſere. Verum Alexander Papa VII. inter alias horum Caſuiſtarum propoſitiones, hasce damnavit: *Eſt licitum Religioſo vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, qui ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Num. 17. Et: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.* Num. 18. (*a*). Quicumque quidpiam probitatis habent, & quibus aliquantulum chriſtiana lux affulſit, diabolicam hanc doctrinam deteſtantur; verum peſtilentes libri manent, venduntur, leguntur, pluresque incautos poſſunt inficere. Quapropter operæ pretium fa-

ſturum

(*a*) Præter has idem Alexander adhuc duas, & Innocentius XI. denuo ſex damnavit propoſitiones, quæ eam ipſam, quam Auctor hic deteſtatur, occidendi licentiam extendunt. Illas poſtea propriis in locis ſubjiciam. Interim ſatis mirari P. Concina, aliique non poſſunt, nonnullos recentes Caſuiſtas, qui paſſim divinam legem ſuavem, & benignam eſſe clamant, tales evulgare potuiſſe opiniones, quæ ſævitiam præferant, & feritatem.

turum me arbitror, si Parochis meæ Diœceseos quæ sit sequenda doctrina ostendam; captiosasque rationes, quibus novi Casuistæ sua paradoxa tueri conantur, valide refellam.

CAPUT II.

Pravis novorum Casuistarum ratiunculis respondetur.

Qui enormes recensitas opiniones circa homicidium docent, eas tuentur Casuistæ rationibus, quas validas ipsi vocant; sed quæ, si parumper discutiantur, non modo non christiano, verum nec homine dignæ reperiuntur.

Primum opinio, quæ docet, occidi posse calumniatorem, qui alterum de crimine accusat, propter quod hujus vita, aut honor periclitatur, si aliter calumnia repelli nequeat; hæc, inquam, opinio a novo quodam Casuista vera *speculative* vocatur, sed non *practice* consulenda propter incommoda, quæ sequi inde possunt; & semper a vindictæ cupiditate esse cavendum.

Hæc distinctio illusoria prorsus est & falsa alterius etiam Casuistæ judicio, qui recte ait, se non intelligere quo pacto opinio aliqua speculative sit probabilis, & non practice, ita, ut ad praxim deduci nequeat; siquidem practicæ probabilitatis certitudo a speculativæ probabilitatis certitudine oritur, quæ inter se differunt velut effectus a causa; & ideo solum homo juste vel injuste agit, quia sic, non vero secus agere se posse judicat. Et revera judicium intellectus

voluntatem dirigit, & veritas intellectui facem præfert. Si ergo alicui veram esse opinionem aliquam intellectus ostendat, quare voluntas hanc sequi non poterit; quodve in ea amplectenda peccatum patrabit? Coram Deo non peccat, qui veritatem sequitur; nam veritas Christianorum est norma. Porro quomodo veritatem ea contineat opinio, quæ homicidium permittit? Quomodo Jesu Christi doctrinæ erit, qui discipulis suis ita præcepit: *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos* (*Matth.* 5.)? Quantum ab homicidii permissione hoc distat præceptum? Illud quoque delendum esset Christi præceptum, quo jubet, ut nos in dextera maxilla percutienti & sinistram præbeamus: quod explicans sanctus Gregorius Nazianzenus ait: Verum Christianum paratum esse & tertiam maxillam præbere, si adesset. Conciliarine hoc potest cum illius nece, qui nos calumniatur, aut nobis alapam impegit? Frustra Dei Filius patientiæ nobis præbuit exemplum: *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem se judicanti injuste* (1. *Petr.* 2.).

Male Apostoli tot calumnias, injuriasque toleravere; & Christianos deceperunt, dum sic illos hortati sunt: *Nulli malum pro malo reddentes. Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* 12.). Debebant in suis epistolis hanc permissionem saltem innuere, nempe calumniatoris nece suum honorem de-

fen-

fendendi. Magna ignorantia priscorum temporum Christiani laborarunt, qui hac non sunt usi exceptione. Doctrina sane & prudentia sancti illi Episcopi, qui tunc Ecclesiam moderabantur caruere; siquidem tam pulchram veritatem, iratisque hominibus tam commodam non excogitarunt. Concilia omnia, quæ pœnas canonicas contra homicidas statuere, in casibus permissis ab hisce novis Casuistis, magnis tenebris obruta fuere, dum tam severe actiones mulctarunt speculative permissas.

Hæc distinctio, ut diximus, inutilis est ad arcenda a Republica homicidia. Nam si sibi persuadeat homo speculative verum esse, licere sibi calumniatorem, aut honorem suum lædentem interficere, numquid abstinebit a vindicta propter illa incommoda, quæ Reipublicæ possunt ex vindicta evenire? Obsequium legi Dei debitum, qui homicidium prohibet, & pœna punit æterna, potest timorem incutere, & a se ulciscendo removere. Anne temporalia mala consideranda sunt, dum æternum imminet? Numquid civilibus legibus Christiani a crimine coercendi sunt, dum idipsum Dei lex prohibet? Non timere Dei præceptum violare, sed humanam timere justitiam, si violetur, nonne hoc est Deo homines anteferre, & Regni edicta magis æstimare, quam Evangelium?

Altera prava ratio, quam homicidii patroni allegant, in hoc est sita, quod propriæ defensionis jus ea omnia complectitur, quæ ad hominem illæsum servandum spectant. Hæc generalis

lis regula cuncta fieri permittit, calumniari, & venenum iis præbere, a quibus aliquid nobis malum imminere ſuſpicamur: hæc chriſtianam patientiam deſtruit, legesque omnes everit. Litem quis habet, quam licet bonam tueri nequit, niſi falſis documentis utatur; illi igitur hæc fingere licebit.

In ſui defenſione certi ſunt limites, quos Evangelium legesque præſcribunt: quid defendendum ſit oportet attendere; ſi enim de temporali tantum bono agitur, vitæ latronis id æquiparari non poteſt. Deus in Exodo prohibet furem occidere, qui orto ſole furetur (*cap.* 22.). Duodecim Tabularum lex apud Romanos ſic ait: *Diurnum furem occidi non licet, niſi ſe telo defendat;* & occiſorem morte puniebat. Quomodo igitur Caſuiſtæ ajunt, licere furem occidere, qui pretioſum quidpiam furetur, ſi res ablata ſecus nequeat recuperari? Ad Corinthios inter ſe litigantes ita ſcribit ſanctus Paulus: *Quare non magis fraudem patimini* (1. *Cor.* 6.)? Tantum aberat, ut furem occidi permitteret. Ratio, quam afferunt, nempe neminem teneri ſua bona perdere, chriſtiano Doctore eſt prorſus indigna. Nonne jubet caritas, ut proximi vita pecuniæ aut ſupellectili, quæ a fure rapitur, anteferatur? Si furem, dum tua rapit, occidas, nonne illum certo æternæ damnationis periculo exponis? Nec horrebit Caſuiſta docere, ſpiritualem furis vitam vitæ noſtræ corporali non eſſe ex caritate præferendam; imo neque honori, aut pecuniæ, quam alter injuſte nobis auferre niti-

mittitur? Cum Judices furem juridice damnavere, tempus illi concedunt, ut Pœnitentiæ sacramentum suscipiat: sanctus vero Augustinus respondet Macedonio, qui mirabatur tam sæpe Episcopos reis indulgentiam exorare, id ab illis fieri, ut æternum supplicium rei devitent; dum enim temporalis illis pœna dimittitur, possunt reliquum vitæ spatium inter pœnitentiæ opera transigere. Quis absque horrore apud hunc Auctorem legat, latronem occidi posse, qui rem quinque vel sex aureos æstimatam auferat; imo apud alterum, qui unum aureum assignat? Ergone hominis vita, pro quo Christus vitam suam tradidit, uno aureo æstimabitur? Ullane tam barbara natio vivit, quæ hominis vitam tanti æstimet? Quis umquam Ethnicus sic est locutus? Quæ civiles Leges hoc pretio hominis vitam taxant? Mortis supplicium homicidis juste infligitur, quia nec argento hominis vita æstimari potest, nec argento redimi semel adempta; quare homicidium homicidæ morte est luendum (*a*).

Verum

(*a*) Huc istæ spectant ab Innocentio XI. damnatæ propositiones: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*, Est num. 31. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus: sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*, Num. 32. *Licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.* Num. 33.

Verum quemadmodum opes homicidio tueri non licet, ita nec honorem ; & male arguit, qui sic ratiocinatur: Honor plus quam vita æstimandus est; aggressoris morte vitam tueri licet; ergo qui alteri honorem auferre nititur, potest occidi.

Statuere prius oportet, quid sit honor. Profecto hominis christiani honor verum ac stabile bonum esse debet, non falsa hominum opinio, quæ corruptæ rationi, & pravæ consuetudini innitatur. Honor est virtutis præmium, quod semper constans & æquale suapte natura est. Porro honor, quem mali isti Casuistæ calumniatoris nece defendere licitum esse affirmant, in prava solum hominum opinione consistit, qui nullam injuriam perferre decreverunt, sed illas ulcisci aut duello, quemadmodum nobiles Galli solebant, aut proditione, sicut Itali solent. At ipsimet Ethnici, saltem doctiores, in dimittendis injuriis hominis honorem situm esse arbitrati sunt, hominisque esse magnanimi illarum oblivisci. Evangelium, quod unum Christiani hominis honorem definire potest, maledicentibus benedicendum esse pronunciat. Sancti Ecclesiæ Doctores eamdem tradunt doctrinam, & in falsum mundi honorem declamant, qui illusio est & inventio diaboli, qui fuit homicida ab initio. Non populi aut stultorum judicium attendendum est, sed prudentum. In quanam orbis aula nobilitate excidisse prudentes hominem putent, qui pomum rapienti cedat, nec illum occidat? Quænam sunt Imperia, Principatus,

patus, aut Respublicæ, in quibus, qui alterum ex hac causa occiderit, velut homicida non puniatur? Hic igitur propter crimen, non propter illustrem actionem puniretur. Nullum pravum opus nobilis patrare debet, ex quo infamia oriatur, in bello exempli causa fugere non debet, nec militare ullum opus recusare, quamvis periculosum: hoc pacto sancti Patres & Leges honorem suum tueri permittunt. Quod si a gladiatoribus vituperetur, quia duellum vir nobilis detrectat, hos clamare sinat, & sapientibus placere illi sufficiat, & Regi, qui duellum prohibuit. Quod de milite diximus, idem dicito de Magistratu, aut privato homine, qui nullum malum opus patrare debet, nec proximo suo scandalum præbere; quod si propterea irridetur, aut contemnitur, patienter ferat, & conscientiæ suæ testimonio contentus sit. Id in epistola sua quadragesimaquinta docet sanctus Gregorius Magnus, cujus hic verba afferre libet: *Quid si homines laudant, & conscientia accusat. Aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ; Job quoque dicit: Ecce in cœlo testis meus. Si ergo nobis testis est in cœlo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi sunt tamen isti, tranquille admonendi, eisque satisfieri modis omnibus decet,*

decet, ſcientes quod de eis veritas dicit: Ne ſcandalizemus eos (*Hom. 9. ſuper Ezech.*). Sed juxta Caſuiſtarum horum nos arguentium doctrinam calumniatores oportet occidere, non autem illos vocare, & tranquille admonere (*a*).

CAPUT

(*a*) Injuriæ, aut calumniæ maculas calumniatoris ſanguine abluere Chriſtianam manſuetudinem dedecet, ſive dein levis, ſive gravis ejusmodi injuria fuerit. Huic enim malo nonniſi revocatione vel ſpontanea, vel judiciali coacta ferri medela poteſt. Quodſi nec hæc, nec illa poſſit obtineri; in patientia ſuſtineri debet, ad imitationem illius, qui in crucem actus, contumeliis laceſſitus Patrem pro inimico exoravit populo. Sane ſi mundani homines dicteria, calumnias &c. ceu cruces non tam in terra a malitioſis hominibus fabrefactas, ſed e cœlo in ſuorum peccatorum pœnam, aut meritorum augmentum ſibi immiſſas apprehenderent, ſi Deum ſumme Juſtum, Providum, & Miſericordem ſæpius cogitarent, ad ipſum magna fiducia cum Regio Pſalte in tribulatione clamarent, jam nulla amplius ad proditiones, & homicidia confugiendi appareret neceſſitas. Aſt, inquis, irreparabilis eſt hæc famæ, honoris &c. jactura, niſi calumniator e medio tollatur: remedium igitur iſtud licitum erit. Inepta prorſus hæc illatio eſt. Edic ſodes: An non irreparabilis eſt vitæ jactura, quam puella, ſi ſtupratori non conſentiat, ſubeundam prævidet? Ideone licite ſtuprum eliget, ut vitam redimat? Idem omnino argumentum de hæreſi, blaſphemia & apoſtaſia poſſet formari. Sed quid multis damnatas dudum opiniones perſequor. Duas, quas Alexander VII. præſcripſit, ipſemet Auctor ſupra (*pag. 38.*) in textu recenſet. Hisce duæ aliæ accedunt, quarum unam

CAPUT III.

Aliis satisfit laxistarum argumentis.

Pravorum horum Doctorum astutia alias adhuc cavillationes opponit, videlicet naturali ratione esse judicandum, quandonam proximi occisio sit licita; quamvis præceptum: *Non occides* juris naturalis sit. Licitum interdum esse proximum interficere, sponte fatemur. Diximus jam divinam humanamque legem mortis supplicium in malefactores statuere, & Apostolus ait: *Princeps non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Sed quoniam Princeps non sine causa gladium portat, rationabiliter eo utatur; nullum enim subditorum suorum vel minimum interficere ei licet, nisi hic a legibus damnetur, & vere mortis reus sit. In hoc Princeps Dei imago est, qui neminem nisi juste condemnat, & juxta æquitatis tantum regulas potentia sua utitur. Hinc damnavit Deus Davidem, qui Uriam morti dederat, hostium furori illum exponens, ut ejus possideret uxorem, quam corruperat: utquæ hæc crimina Davidi objiciens sic ait: *Uriam*

---

unam idem Alexander, alteram Innocentius prohibuit, sicque habent: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Num. 19. Item: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel juste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat* Num. 30.

Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti: quamobrem non recedet gladius de domo tua (2. *Reg.* 12.). Populo suo præcipit, ut nationes terræ promissæ proximas destruat, non solum quia hominum vitæ & necis ipse est arbiter, sed quia nationes illæ hanc pœnam meruerant. Saulem reprobat, quia Amalecitarum regem vivum servarat; sed Amalecitæ Israelitarum hostes erant, & idololatriæ aliisque criminibus obnoxii. Abrahamo Patriarchæ jussit, ut suum sibi filium immolaret, verum tentavit eum, ut ejus pateret obedientia & fides, facinore, quod crudele videbatur: sed ut ait sanctus Zeno Veronæ Episcopus: *Ecce inhumanitas transit in fidem, & scelus in sacramentum.*

Pulchre hoc argumentum explicat sanctus Augustinus inquiens: *Quasdam exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut liceat hominem occidi: non autem occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti, & ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo auctore bella gesserunt. Sed his exceptis, quæ vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Sanctus iste Doctor, qui dogmatice loquebatur, & fideles circa homicidia volebat instruere, recentium Casuistarum subtilitatem non cognovit, nec ingenii satis habuit, ut ab illis excogitatas huic præcepto exceptiones adderet.

Licet

Licet igitur aliquando hominem occidere, ſed divina lex aut humana hanc facultatem debet tribuere, quam nemo ſibi arbitratu ſuo ſumere poteſt. Si hominis ratio obſcurata peccato non fuiſſet, nec inordinata concupiſcentia; ſi naturæ leges non eſſent in ejus corde deletæ aut tenebris obſitæ, rationem ſequi poſſemus. Verum hodie humana ratio dux cæca eſt & corrupta. Idololatria, quæ totum pervaſit orbem, funeſto exemplo id demonſtrat. In homine quolibet ab ejus ortu natura clamat, Deum exiſtere, rebusque omnibus antecellere. *Quod notum eſt Dei* (inquit Apoſtolus *Rom.* 1.) *manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Quæ intellectum excæcavit corruptio eadem multo magis hominum corrupit, voluntatem, quemadmodum illis exprobrat Apoſtolus. Quomodo ergo ſine erroris periculo humanam ſequemur rationem? Canadenſes, qui Irochenſium in bello captorum carnibus veſcuntur, rationem ſequi ſe putant, atque hic mos apud ipſos vim legis habet. Quis tamen eos non peccare affirmabit, hunceque morem omnino barbarum eſſe negabit? Apud Indos quidam locus eſt, ubi puellæ non nubunt, niſi prius pluribus hominibus corporis ſui copiam fecerint, & morem hunc rationi conſentaneum putant; quis tamen dicet eas non peccare?

Ut huic rationis infirmitati succurreret, per Moysem Deus legem Judæis tradidit. Homicidium hæc lex generaliter prohibet, casusque enumerat, in quibus hominem occidi licet; tum subjicit: *Non facietis, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur... Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas* (*Deut.* 12.). Non ergo ratio Judæorum erat regula, quam sequerentur, sed Dei lex.

Post Moysem novus Legislator Christus venit, qui perfectiori modo, quam solerent Judæi, Decalogum servandum hominibus tradidit. En ejus verba apud sanctum Matthæum: *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* 5.). Quamtum hæc verba a doctrina distant Casuistarum, qui calumniatorem permittunt occidi, aut aliquid pretiosum auferentem, imo, quis credat? tentantem pomum rapere, si aliter repelli nequeat.

Plura jam Apostoli recitavimus loca, quibus vindictam damnat. Eamdem doctrinam sancti Patres omnes uno ore tradunt. Quo igitur pacto rationi propter peccatum infirmæ inniti licebit, & Christi auctoritati adversari, & Ecclesiæ Doctorum: qui in Conciliis actiones illas damnant, quas Casuistæ tam facile permittunt? In Ancyrano Concilio ita Episcopi sanxerunt: *De homicidiis non sponte commissis prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem* con-

consequi præcipit: secundo vero quinquennium expleri (*Can.* 22.). Si casu commissa homicidia, non sponte, septenni, aut saltem quinquenni subjiciebantur pœnitentiæ: quomodo voluntaria homicidia fuissent permissa?

Agathense Concilium sic decernit: *Si quis servum suum proprium sine sententia Judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit* (*Can.* 17. 18.). Nonne servos suos domini possunt occidere legitima ex causa, quam juxta Casuistas potest quisque ratione duce definire? Illos nihilominus pœnitentiæ Concilium subdit.

Aquisgranense Concilium, in quo Imperator Episcopos alloquitur, ultionis causam expresse excludit inquiens: *Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinii inde non fiant; & ubicumque inventa fuerint, a Judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicetur, & non occidatur homo nisi lege jubente* (*Can.* 27.). Hæc ultima verba nonne illum expresse damnant, qui privata sua auctoritate calumniatorem suum, testes, vel judicem occidit?

Quare si horum Conciliorum tempore docuisset Ecclesia, posse privatum hominem occidere furem, qui pro unius aurei valore quidpiam sibi aufert, vel illum qui se calumniatur, vel sibi mortem minatur, hujusce doctrinæ Episcopi non meminissent? Quare homicidia, quæ juxta novos quosdam Doctores culpa vacant, pœnitentia mulctassent?

Ingens fieret volumen, si sanctorum Patrum textus omnes vellem colligere, quibus homicidium detestantur, illudque vehementer damnant in iis etiam casibus, in quibus hodie illud nonnulli defendere conantur. Has Conciliorum sanctorumque Doctorum regulas sequi debemus, cum de homicidio judicamus; non rationi nostræ inniti, quæ ob peccatum obcæcata est, vel barbaris vanisque decepta sophismatibus Casuistarum, qui nec Evangelium, nec Traditionem reverentur.

Verum nonne hominibus illudunt, eorumque patientia abutuntur, qui dicere audent, homicidium permittentes opiniones probis innocentibusque favere, iniquis solum nocere, & furibus; cuicumque enim arma tradunt ad hos perdendos? Quid ergo? Divina lex, quæ calumniam, furtum, & injurias prohibet, severisque pœnis hæc opera punit, an non satis validum est propugnaculum ad iniquorum vim coercendam? Humanæ leges, quæ inique agentes morte puniunt, ad metum illis incutiendum, illosque coercendos forte non sufficiunt? A mundi igitur constitutione Regna omnia ac Reipublicæ non satis ratione & consilio valuere; hoc siquidem crudele remedium ad improbos coercendos neglexere. Deus, qui tam perfectam Politicam populo suo dedit, & qui vel minima peccata punit; cur illum barbaras has exceptiones non docuit, quibus ab improborum calumniis & injuriis boni vindicantur? Christus ipse suorum discipulorum curam abjecisse videtur, illosque

losque impiorum injuriis objeciſſe, dum illis patientiam præcepit, ac ſeipſos defendere vetuit, ut ait Apoſtolus: *Non vosmetipſos defendentes* (a).

Ut,

(a) Pudicitiæ aggreſſorem, ſi alio modo repelli non poſſit, licite occidi, multi Probabiliſtæ affirmant; eoquod magnum conſenſus ac gravis peccati periculum puellæ immineat, virgineaque integritas fortunæ bonis ſuperior, vitæ autem bono a pudicis fœminis plerumque æqualis æſtimetur. Aſt purioris Moralis Amatores hic quoque negativam tenent. Hunc ſiquidem caſum a generali Præcepto *non occides* nec S. Scriptura, nec Patres, nec Pontifices nec Concilia excipiunt, neque urgens eum excipiendi ratio occurrit. Virginea enim pudicitia non in corpore, ſed in anima reſidet; nulla proinde externa vi, ſed ſolo liberæ voluntatis conſenſu perditur. *Corpus mulieris* (inquit S. Hieronymus cap. *de pudicitia.* 32. Q. 5.) *non vis maculat, ſed voluntas.* Aggreſſor autem hisce in circumſtantiis occiſus vita æterna certo & irreparabiliter privatur; propter damnum autem proprium incertum, aut reparabile alteri certum, ac irreparabile inferre ordinata caritas prohibet. Si puella anguſtiata manibus, pedibus, totisque viribus renitatur, nec umquam invaſori acquieſcat, omne, quod debuit, fecit. Cæterum *caſum hunc* (ait P. Concina lib. VII. *in Decal. cap. 9. num. 3.*) *illis accenſeo, qui vix, aut ne vix quidem eveniunt. Ex hiſtoria eccleſiaſtica legiſſe me non recordor ex tot virginibus ſincero virginitatis amore flagrantibus, ad lupanaria damnatis, Deum permiſiſſe, ut vel una florem amitteret virginitatis. Legi plures divino afflatas Numine ſe ipſas occidiſſe, ut tantum theſaurum intaminatum cuſtodirent. Nullibi legi vel unam eo*

Ut, quicumque hasce detestabiles de homicido opiniones sequuntur, culpa vacent, satis est juxta novos hos Casuistas, intentionem illos suam recte dirigere; Exempli gratia, qui aliquem occidit, a quo alapam accepit, non ut se ulciscatur, illum occidat, nam sic agens peccaret; sed illum occidat dumtaxat, ut honorem suum tueatur, quod sibi licet. Mala doctrina argumento pejori defenditur; hoc siquidem pacto lata porta peccatis omnibus panditur. Bona intentio licitam non reddit actionem, quæ Dei lege sit vetita, hæc enim suapte natura mala est, & mala semper manet; secus actionum bonitas aut malitia non a præcipiente seu prohibente Deo penderet, neque a propria illarum natura; sed ab agente, qui bonam facile intentionem sibi fingere posset, dum malum operatur, sibique persuadere non ex alio pravo fine revera se agere. Intentio actus est voluntatis, quæ judicium intellectus sequi debet; intellectui autem ratio & veritas est sequenda; quam si non sequatur, errat, & peccat; hæc originalis peccati pœna est. *Approbare falsa pro veris* (inquit sanctus Augustinus) *non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Pejus sane malum est,

spiritu actam, ut irrueret in aggressorem, illumque interimeret. Arma castitatis sunt pudor, verecundia, modestia, invicta constantia, animi fortitudo, qua aggressores strenue repellantur; ad cœlestis sponsi sinum recessus, & ardens divinæ gratiæ petitio. Hæc si servaverint virgines, castæque matronæ, numquam deerit ad repellendos impuros aggressores divinum validissimum præsidium.

est, sub vano & malitioso bonæ intentionis prætextu contra acceptum lumen, cognitamque veritatem agere. Nullo igitur pacto permittitur, ut homicidia fiant propter injuriosa verba, aut causas tam leves, quales novi isti Doctores afferunt, qui in ea tantum Universitate docere possent, quam Montanus, senex sancti Ludovici tempore celebris, moderabatur.

CAPUT IV.

Malefactorum occisio justa ac licita est.

Qui injuste alicui vitam eripit, homicida est; ille autem injuste eripit, qui sine legitima causa, sine auctoritate publica, ut jam diximus, alteri vitam adimit: Princeps, seu Magistratus, qui malos morte plectit, non modo non peccat, verum bonum opus & meritorium agit; *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit* (inquit Apostolus *Rom.* 13.). Si criminibus omnibus parcat, non hæc clementia est, sed crudelitas in Rempublicam, quæ flagitat, ut iniqui puniantur ad ea coercenda mala, quæ ex illorum impunitate promanant. Sanctus Ludovicus cum in capella sua existens petitam gratiam perperam concessisset, postquam Horas recitans in Psalmi 105. versiculum illum casu incidit: *Beati qui faciunt justitiam in omni tempore*: eamdem gratiam revocavit.

At extremum aliud vitare Princeps debet, nempe crudelitatem, quæ tyranni vitium est. Non debet ex inanibus suspicionibus homines

plectere, qui ad Dei imaginem conditi sunt: debet iram suam compescere, & sinere ut Judices juxta leges justitiæque formam sententiam ferant. Prudenter enim Principes magistratus statuunt ad ea etiam cognoscenda crimina, quæ seipsos attingunt; ne velut homines erroribus affectibusque subjecti innocentes perdant, reosque absolvant. Evenire tamen potest, ut Magnatem aliquem quamvis proditionis reum puniri Princeps nequeat, ne turbas in regno suo exciter, verum hi casus tamquam extraordinarii extra regulam sunt positi: ego vero existimo, si vera certaque sit proditio, nec palam revera Princeps punire illam possit, licere Principi non servato juris ordine subditum interficiendum curare.

Hæc in judicando a Magistratibus sunt servanda. 1. Oportet, ut in personam damnandam habeant auctoritatem.

2. Oportet, ut mortis causa sit justa; idest ut juxta leges crimen morte sit puniendum. Hinc Judex, qui ex passione, aut immoderato justitiæ zelo, vel ex avaritia morte damnaret reum, triremium pœna potius puniendum, mortaliter peccaret, & damna ex illius morte secuta teneretur pro viribus resarcire. Si vero Judex innocentem sciret esse hominem, qui ex testibus reus apparet; deberet modis omnibus adniti, ut illius pateret innocentia, & sic mortem vitaret: quod si nequiret efficere, posset licite illum condemnare, si supremus esset judex quia lex illi præcipit, ut secundum allegata & probata sententiam ferat. Subalternus autem Judex po-

test

est judicium differre, vel ad superiorem remittere; & si posset, innocentem juvare, ut e carcere fugiat, dummodo de illius innocentia certus omnino sit.

3. Oportet, ut juris ordo servetur; nam si Judex juris ordinem exacte non servet, mortaliter peccat, quamvis illum damnet, qui reus revera sit.

4. Oportet, ut rationes omnes patienter Judex audiat, quibus se accusatus tuetur; & ut ab illo captiosis interrogationibus vexando abstineat, nisi illum subdolum esse hominem certo sciret, qui modis omnibus crimen suum tegere niitur: tunc enim liceret ad veritatem eruendam artificiosis interrogationibus uti. Tortura ordinarius est modus, quo veritas a reis eruitur; sed hac uti non licet, nisi adsit semiprobatio; nec ex confessione in tormentis facta, cum sit violenta, quemquam damnare licet.

5. Oportet, ut Judex reum damnaturus omni passione vacet, nec odio, iræ, avaritiæ, aut cupiditati serviat in sententia ferenda. Caveat autem ne Principi blandiatur, qui illos sibi tradidit, quos judicii forma perdere intendit. Id præcipue attendant Judices extraordinarii, quos Commissarios vocamus, ne illud verum sit adagium, multum distare utrum quis a Justitia, an a Commissario damnetur.

CAPUT V.

Se ipſum occidere numquam licet.

Ethnici non modo licitum ſæpenumero eſſe ſe-ipſum occidere putaverunt, verum etiam heroicum id in aliquibus eſſe ſunt arbitrari. Lucretiam omnes celebrant, quæ ſeipſam confodit, licet invita a Tarquinio fuerit oppreſſa. Catonem quoque ſummis laudibus efferunt, qui poſt Cæſaris victoriam vitam ſibi eripuit. Verum illis eſt ignoſcendum, qui Evangelii luce caruere, animique vim actionibus iis metiebatur, quas furor, infirmitas, aut vanitas imperabat. De Lucretia ſic loquitur ſanctus Auguſtinus: *Quod ſeipſam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, non eſt pudicitiæ caritas, ſed pudoris infirmitas. Non hoc fœminæ chriſtianæ fecerunt, quæ paſſæ ſimilia vivunt: tamen nec in ſe ultæ ſunt crimen alienum, ne aliorum ſceleribus adderent ſua, ſi quoniam hoſtis in eis concupiſcendo ſtupra commiſerat, illæ in ſeipſis homicidia erubeſcendo committerent* (*de Civit. Dei l.* 19. *c.* 20.).

In orbe Deus homines, velut dux milites in caſtris, locavit, qui locum ſuum ſine ducis licentia non deſerunt, vel ſi deſerant, puniuntur.

Vitæ ſuæ homines non ſunt domini; ſed Deo in primis, deinde patriæ illam debent. Illa igitur uti pro libitu nequeunt, nec voluptatibus illam deterere, vel ad infamiam aliudve malum vitandum ipſam perdere. Dei providentiæ ſe

debent

debent ſubjicere, quæ illos infortuniis objicit, eumque exorare, ut ſibi vim ad illa patienter ferenda, iisque bene utendum largiatur. Verum in ſuis Chriſtiani calamitatibus ſanctiori adhuc ratiocinio uti debent: Chriſtianis enim conſiderandum eſt, ad patiendum ſe naſci, & in dolore eſſe felices, patientia ſiquidem Redemptori ſuo ſimiles fiunt, tutumque ſibi parant ad gloriam iter. Non illis propter dolores inviſa vita eſſe debet, neque ad eos finiendos mors optanda, multoque minus procuranda (*a*).

Contra caritatem peccat, qui ſeipſum occidit; homo ſiquidem ſeipſum debet amare: peccat quoque contra juſtitiam, quia vitæ ſuæ, ut diximus, dominus non eſt homo, ſed Deo patriæque ſuæ illam debet. Quamobrem nec illi licet ſe mutilare; qui vero ſe mutilaret, ſi Presbyter eſſet aut Religioſus, ſubjiceretur Excommunicationi canonis. *Si quis ſuadente diabolo*, quamvis ad caſtitatem ſervandam id faceret, ſicut imprudenti zelo fecit Origenes, quem propterea Eccleſia damnavit. Attamen ſi membrum gangræna vitiatum aut corruptum eſſet, recidi poſſet, quando ſecus vita ſervari nequiret. Qui vero

(*a*) Ex hac ipſa ratione nec licet alium occidere volentem, & petentem 1. quia ſicut ego ita nec ille eſt vitæ ſuæ dominus: *Ego occidam, & ego vivere faciam*, inquit Deus (*Deut.* 32.). Cæterum propter bonum commune, vel altioris ordinis poſſe nos, ac quandoque debere animam noſtram ponere, variaque pericula ſubire ex alibi dictis abunde patet.

vero vehementer dolorem timeret ex brachii amputatione ſuſtinendum, vel ex alterius membri jactura, nec certus eſſet ſe hoc remedio mortem vitare poſſe, moriendi periculo ſe poſſet exponere, ne dolorem illum pateretur, quin eſſet ſuiipſius homicida.

Nec licet quoque permittere, ut alius nos occidat; quamvis contingere poſſit, ut morti ſe objicere aliquando liceat, imo oporteat. Hinc a latrone aggreſſus, qui vitam ſuam ſervare nequit, niſi illum occidat, eximium caritatis opus ageret, ſi ſe occidi permitteret, ne latronem peccato mortali obnoxium interficeret (*Sotus lib.* 5. *q.* 1. *art.* 8.). Tunc enim æternam aggreſſoris ſui vitam temporali ſuæ anteferret, quam ſine peccato tueri poſſet; & ſanctus Joannes Chriſti exemplum afferens inquit: *Quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere* (*Joan.* 3.). Quandonam utilius fratribus hoc caritatis noſtræ teſtimonium exhibere poſſumus, quam ubi de æterna illorum ſalute agitur? Non ut divites, aut potentes illos in mundo faciamus, mors eſt nobis obeunda, minoris enim temporalia hæc bona ſunt æſtimanda, quam noſtra vita: æterna ſola fratrum ſalus vitæ noſtræ poteſt anteferri.

Qui ad fame moriendum eſſet damnatus, oblatum cibum ſumere poſſet, imo ipſum Cajetanus ait ad ſumendum cibum teneri: alii tamen ad id non teneri exiſtimant, ſed cenſent poſſe illum Judicis ſententiam exequi, ſicuti damnatus

tus ad bestias potest vel se defendere, vel se occidi permittere.

Qui ita rigide jejunat, ut vitæ discrimen subeat, mortaliter peccaret, si se intenderet hoc pacto occidere; sed si ex pœnitentiæ zelo id ageret, nullum peccatum committeret: nihilominus si a Superiore moneatur, debet hoc exercitium omittere, melior est enim obedientia, quam sacrificium.

Virginum quarumdam afferri possunt exempla, quæ vel se mucrone transfixerunt, sicut egit sancta Sophronia; vel se in rogum conjecerunt, veluti sancta Apollonia, aliæquæ plures, quæ propterea suimet ipsarum homicidæ visæ sunt. Verum singularibus hisce exemplis respondetur, Dei spiritu actas illas fuisse, adeoque a lege exemptas, juxta quam a carnifice mortem expectare, non illam sibi inferre debuissent: quare non illas Ecclesia in hoc imitandas proponit. Egregie de Sampsone, qui domum evertens seipsum oppressit, ait sanctus Augustinus: *Nec Sampson aliter excusatur, quod seipsum cum ruina domus oppresserit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse justitiæ fons Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

CAPUT

CAPUT VI.

Abortum procurare omnino illicitum est.

Procurare abortum illi dicuntur, qui studiose quidquam agunt, sumunt, aut alteri sumendum præbent, ex quo fœtus, sive animati sive inanimati ejectio sequitur.

Docuere nonnulli, licite posse puellam, quæ propria culpa gravida est effecta, procurare abortum, ut familiæ suæ infamiam ex partu secuturam devitet, dummodo fœtus non sit animatus. Horrorem hæc opinio omnibus iis incutit, qui humanitatis sensum habent; & illusoria omnino est exceptio, quam subjiciunt, non enim certo scitur, quo tempore fœtus sit animatus. Communis opinio censet post quadraginta dies fœtum animari; sed doctissimi novi Medici tenent, id post tres dies evenire, & in tam arcana re pro sua sententia probabiles rationes afferunt. In hac vero incertitudine puella abortum procurans homicidii committendi periculo se exponit, impedit enim ne suo fœtui anima infundatur vel illum jam viventem ante ortum occidit, quæ immanis est crudelitas. Potestne hoc nomine excusari, quod secuturam ex partu infamiam vitat? Hæc infamia commissi peccati justa est pœna, quæ pœnitentiæ spiritu est ferenda, non novo peccato vitanda. Illiberitanum Concilium pœnitentia plectit hoc crimen (a).

Con-

(a) Si conceptum semen ejicere, aut fœtum nondum animatum expellere liceret periculum effet, ne

Conceptum proin ſemen ſtudioſe ejicere, aut fœtum, antequam animetur, expellere ſemper illicitum ac grave peccatum eſt, quod ad homicidii ſpecimen eſt reducendum. Si enim pollutio voluntaria mortale eſt crimen, quia ſemen a natura ad generationem, & ſpeciei conſervationem ordinatum fruſtranee perdit; quo magis abortus procuratio erit damnanda, quæ fœtum jamque inchoatum, & fors omnino animatum hominem peſſumdat? Qui itaque procurare abortum volentes potionem ſummunt, nimios motus, aut inordinatos ſaltus attentant, enorme peccatum committunt, & ſi hoc poſt quadraginta a conceptione dies fiat, atque ipſe ejectionis, quem intendebant, effectus ſequatur, veri homicidii reatum contrahunt, ac præter irregularitatem inſuper incurrunt excommunicatio-

---

ne homines delectatione contenti, partum prolis negligerent, & ſæpe impedirent, ut curis, & alendæ prolis laboribus liberarentur: quod in non leve humanæ ſpeciei detrimentum cederet, econtra fornicationi & ſtupris, a quibus ſæpe prolis timor abſterret, nimium quantum multiplicandis occaſio præberetur. Hæc, aliaque abſurda Innocentius XI. prævidit, dum anno 1679. iſtas propoſitiones damnavit: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Num. 34. *Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Num. 35.

cationem, quam plerique Episcopi sibi reservarunt (*a*).

Peccant quoque, & in abortus crimine participant Medici, Chirurgi, pharmacopolæ, qui puellis improvide talia medicamenta præbent, quibus fœtus expulsio, aut destructio causatur. Ejusdem peccati se reos faciunt mariti, qui nimiis laboribus gravidas uxores onerant, ad gravem iracundiam provocant, aut omnino verberibus affligunt. Item illi qui uxoribus gravidis concitatas choreas vel offerunt, vel indulgent, quique nimium incontinentes conjuge partui proxima utuntur cum damno, aut non levi fœtus periculo.

Atta-

(*a*) Cum igitur pœnitens de abortu se accusat, Confessarius ex eo quærat 1. Utrum abortum sua ex actione secuturum præviderit, ac intenderit? 2. Sitne effectus abortivus secutus, & quidem vi præcedentis actionis secutus? 3 Quoto conceptionis die hoc attentatum contigerit? Si ergo pœnitens abortionis effectum sive directe sive indirecte intendit, actu obtinuit, & quadragesimo post conceptionem die eumdem obtinuit, tam pœnas canonicas, quam reservationem incurrit. Si prima conditio desit, nullum adest peccatum; si secunda, vel tertia deficiat, grave quidem scelus est commissum; sed nec censuræ, nec reservationi obnoxium. Porro nædum ecclesiasticum, sed civile quoque Jus in eos, qui abortum procurant, graviter animadvertit. Fœtus inanimati expulsionem procurantes exilio, fœtus animati abortum causantes ad judicem delati, & convicti morte puniuntur.

Attamen medicinam, quæ ex natura sua ad matris sanitatem non vero ad fœtus expulsionem servit, sumere licet, si aliter matri subveniri non possit, ac fœtus necdum animatus credatur; tali enim casu si abortus contingeret, omnino per accidens, ac præter intentionem sequeretur; nec fœta mater, jure suo utens, quidquam contulisset. Quodsi jam animatus fœtus sit, major cautela erit adhibenda. Si certo mater cum prole moritura prævideatur, nisi ei medicina subveniatur, licita erit medicinæ sumptio, utpote favorabilis matri, nec hisce in circumstantiis nociva proli, jam alias perituræ; si vero matrem absque medicinali potione morituram, prolem vero supervicturam verisimilius appareat, deneganda est medicina. Hancque vitæ caducæ jacturam christiana mater æquanimiter feret, ut proli Baptismi fluentis abluendæ vitam æternam comparet.

CAPUT VII.

Reges, aut Prælatos occidere numquam licet.

Quemcumque auctoritate privata occidas, quintum, ut diximus, violatur præceptum; attamen alia sunt aliis homicidia graviora.

Regem occidere est in unctum Domini manus injicere, & sacrilegii speciem patrare; quoniam Rex persona sacra est. David hominum mansuetissimus occidi jussit Amalecitam, qui Saulem interfecerat, ejusque diadema & armil-

lam ad se attulerat. Eadem Pœna puniit interfectores Isboseth, qui Saulis filius erat, licet illegitimus. Constantiense Concilium veluti hæreticam, & detestandam illorum opinionem damnavit, qui licitum esse tyrannum interficere asserebant (*a*). Numquam vel privata vel publica auctoritate occidere licet Principem, qui in populum suum tyrannidem exercet; sed quoniam, ut Sapiens ait, *cor regis in manu Domini* (*Prov.* 21.) expectandum est, donec crudelis, violentique Principis cor Deus mutet, illumque, ut id præstet, orare oportet: verum interea Princeps, licet crudelis, est tolerandus, ejusque scelerum supplicium divinæ justitiæ est relinquendum. Aodi Deus præcepit, ut Eglonem Moabitarum regem occideret; verum Deus supremus est Judex, qui in hominum seu vitam seu mor-

(*a*) Damnatæ propositionis iste est tenor: *Tyrannus potest a quovis licite, & meritorie occidi quocumque modo, maxime per insidias, non obstante quocumque juramento, vel confœderatione apud eum, non exspectando sententiam judicis.* Rustici, plebeique homines novis contributionibus &c. onerati statim de Tyrannide conqueruntur, suosque Principes veluti Tyrannos traducunt, & aversantur. Jam si Tyrannum occidere licitum, & meritorium esset; quæso te, quot & quantis insidiis, mortisque violentæ jaculis undequaque Reges peterentur? Quam frequenter hujusce doctrinæ praxis accideret? Ast quamtum divina Providentia pro Regibus, ac Principibus vigilet, quamtumque & doctrinam hanc & praxim Deus aversetur, antiquis historiæ fastis, ac novissima, prorsusque mira Stanislai II. Poloniæ Regis conservatione docemur.

mortem plenum jus habet, nec quidquam nisi juste agere potest. At homines sive singuli, sive in corpus unum coacti errare possunt, & injuste agere; adeoque eorum sententia non est temere amplectenda. In Gallia doctrina nostra ab iis solum impugnatur, qui animo Galli non sunt, licet in Gallia nati, & qui libentius exteros quosdam Auctores audiunt, quam celebres theologicas Facultates, veluti Parisiensem. In hoc demonstrando non ultra immoror, plures enim exstant libri, in quibus hæc quæstio egregie discutitur.

Papa, Cardinales, Episcopi, Presbyteri, & Religiosi personæ sacræ sunt, quarum occisio gravior est, quam cæterorum, illique adnexa est excommunicatio famosi Canonis *Si quis suadente diabolo*. Neque solum homicidium huic censuræ subjicitur, sed mutilatio quælibet, sed percussio quoque gravis ense, manu, baculo, aut lapide inflicta; quælibet etiam atrox injuria, veluti lacerare vestes, in faciem conspuere, aut carceri mandare. Si Clerici percussio sit levis, & sine sanguinis effusione, non est Papæ reservata absolutio, illamque Episcopus potest impertiri; si vero enormis sit percussio, solus Papa potest absolvere, nisi percussor sit impubes, quo casu potest etiam Episcopus.

Non omnis Clerici percussio excommunicationi subjecta est, si joco fiat, aut ob correctionem, aut percussi qualitate ignorata. Si Clericus a marito cum uxore sua turpia agere inveniretur, aut a fratre cum sua sorore, aut a patre

cum filia, vel a patruo cum nepte; tunc si occideretur, nulla adesset censura, quamvis hæc occisio peccatum esset mortale: parcit enim Ecclesia mariti, fratris, patris, patruive dolori ob sibi illatam injuriam.

Si consecratus Patriarcha, Archiepiscopus, aut Episcopus verberetur; si venenum illis porrigatur, aut carceri mancipentur, aut vi de loco ejiciantur; si hæc contra illos fieri jubeantur, aut consulantur, aut hæc facientes juventur, excommunicatio Papæ reservata incurritur. Idem dicendum est de Cardinalibus, licet non sint Episcopi. Eadem excommunicatio ab iis incurritur, qui verberant, vel occidunt Notarios, Advocatos, Procuratores, Judices, Auditores, qui officium suum in Romana curia exercent aut ad illud exercendum Romam petunt, si ejusdem officii causa crimen patretur. Qui Romam litis causa petunt, aut inde redeunt, eodem gaudent privilegio; atque hoc ideo cautum est, ut tuta omnibus ad justitiam via sit, quam a sancta Sede expetunt.

CAPUT VIII.

Moderamen inculpatæ tutelæ exponitur.

Etsi quilibet ex suimet caritate vitam suam tueri debeat, christiana tamen caritas naturali huic legi quasdam addit exceptiones; & primo requirit, ut nullum aliud conservandæ vitæ suæ remedium suppetat, necessumque sit omnino aut occidere, aut occidi: tunc justitiæ quidem non

non opponitur, quæ alium ob ſui defenſionem occidere permittit; verum conſulit, & juxta plerosque ſanctos Patres præcipit, ut a latrone vel ab hoſte aggreſſus vitam ſibi potius eripi permittat, quam hoſtem aut furem ipſe occidat.

Magnus ſanctus Auguſtinus quæſtionem ſic perſpicue ſolvit: *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, & non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt, accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ* (*epiſt.* 154.). In Tractatu de Libero arbitrio (*lib.* 1. *cap.* 1.) ait: *Quomodo apud divinam providentiam a peccato liberi ſunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Porro res illæ, quas juxta ſanctum Auguſtinum contemni oportet, ſunt quæ nobis invitis auferri poſſunt: hujusmodi vero nonne eſt vita?

Nicolaus Pontifex interrogationi reſpondens, an liceret Clerico, qui ethnicum pro ſuimet defenſione occiderat, in ſuo gradu permanere, & ad altiorem aſcendere, inquit: *Scitote nullam nos occaſionem dare, neque ullam tribuere licentiam eis quemlibet hominem occidendi* (*can. de his Clericis, diſt.* 50.).

Optarem utique, ut doctrinam hanc Chriſtiani cuncti ſuſciperent; ſed quoniam hoc minime ſperandum eſt, hominum infirmitati aliquid eſt indulgendum. Communem igitur opinionem ſequar, quæ civilibus, canonicisque le-

gibus innititur, nempe licitum esse aggressorem interficere, quando ad propriam defensionem id est omnino necessarium, *cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Porro hæc inculpata moderatio requirit, ut alia nulla adsit evadendi via, neque fuga. Quamvis enim fuga strenuo homini indigna videri possit, tamen aggressoris vita salusque pretiosior est, magisque facienda, quam fugientis honor, qui proximi saluti est posthabendus. Contra vero sapientum judicio laudanda hæc fuga est, & perfectæ caritati omnino consona; inquit enim sanctus Paulus: *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ* (*Rom.* 12.). Non debent igitur juxta Apostolum Christiani aggressori obsistere, sed fugiendo locum dare iræ. Denique Doctores omnes uno ore affirmant, quemadmodum ob sui defensionem occidere aggressorem licet, ita licere ab aggressore se occidi permittere, ne in æternam hic damnationem cadat (*a*).

Quapropter non licet eos prævenire, quos vitæ nostræ insidiari scimus, sicut Casuistæ quidam

(*a*) Cum moderata, ac innoxia aggressoris occisio in praxi admodum difficilis, & non nisi ab homine mansueto, ac pio sit exspectanda, enixe orandum, ne in ejusmodi angustias nos Deus conjiciat. Homines enim passionibus servientes plerumque occidunt, & quidem vindictæ spiritu occidunt, ubi vel fuga, vel vulneratio, vel dearmatio invasoris sufficeret. Imo quam sæpe fugitivum inimicum æstuans ira persequatur, jamque vulneratum occidat, flebilis experientia docet.

dam docent, ut jam diximus; ubi enim de homicidio agitur, nemini alterum aggredi licet. Momento temporis voluntatem mutare potest iniquus; nec malam voluntatem exequendi certa semper est occasio, sexcentique casus mutare eam possunt. Hinc si uxor sciat pugionem sub cervicali a marito fuisse conditum, ut clauso ostio eam dormientem occidat, non arbitror licere uxori prævenire maritum, ipsumque dormientem pugione confodere. Sotus ait dubium id esse (*Lib.* 5. *de justit. & jure cap.* 8.) at ego certum censeo non licere. Etsi enim hæc fœmina clausa sit, & videatur aggressa; tamen quomodo scit mariti iram, dum ipsa dormiat, non esse mitigandam, ipsumque voluntatem suam non esse mutaturum? Quod si jam aggressa pugionem e mariti manu eriperet, ipsumque feriret, naturalis & licita hæc esset defensio (*a*).

Alius quoque casus est excipiendus; videlicet si Rex exempli gratia, aut persona publica Reipubli-

(*a*) Moderamen inculpatæ tutelæ nonnulli Auctores nimium quamtum extendunt. Non solum *actualiter invasum* nece invasoris suam tueri vitam, sed & probabilibus ex signis *proxime invadendum* eodem modo defendere se posse asserunt. Ast hanc opinionem anno 1700. Clerus gallicanus damnavit, eamque omnes cordati abhorrent. Talis enim præveniens jam non sui defensor, sed inimici aggressor foret. Alias malas hujusce sententiæ sequelas quilibet oculatus facile perspiciet.

publicæ valde utilis infimæ notæ hominem, ac Reipublicæ inutilem aggrederetur, huic non liceret ob sui defensionem illum occidere, sed se potius deberet occidendum præbere. At si puella se ab aliquo mox violandam cerneret, nec virginitatem suam aliter quam se occidendo servare posset, non illam homicidii damnarem; plures enim sanctæ virgines id fecere, quas Ecclesia veluti martyres honorat. Attamen crederem non esse id a virgine patrandum, nisi peculiari Dei afflatu ad id se motam sentiret, vel nisi prudenter timeret a voluptate se illectam in turpem actionem consensuram. Cum enim vi pudicitia amittitur, nulla labes virginitatem polluit, nec præmium amittit, imo duplicem a Deo coronam tunc accipit; sicuti respondit sancta Lucia tyranno, qui sibi stuprum minatus fuerat: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

CAPUT IX.

Belli justi assignantur conditiones.

Bellum magna est & inevitabilis homicidiorum occasio, quæritque potest, an Christianis liceat. Nostri temporis Anabaptistæ illud damnant, & Lutherus etiam adversus Turcas illud improbat; at catholica Ecclesia bellum interdum licitum esse docet.

Sanctum Joannem Baptistam *interrogabant & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam*

niam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris (*Luc.* 3.). Ethnicorum Imperatorum exercitus pleni erant Christianis, qui veluti cæteri & urbes oppugnabant, & cum hostibus congrediebantur. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos* (*Num.* 25.). Præcepit quoque Dominus populo suo, ut destrueret Amalec: *Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem* (*Num.* 21.); promisit quoque, se in bello eidem opitulaturum: *Nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis* (*Exod.* 14.). Ad Davidem autem ait Abigail: *Prælia Domini tu præliaris* (1. *Reg.* 25.). Ipse vero David ita canit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum* (*Psalm.* 147.).

Sæpissime Deus Christianos Imperatores bellantes adjuvit vel contra infideles, vel contra rebellantes. Fulgida in cœlo Crux Constantino apparuit, circa quam hæc verba erant adscripta: *In hoc signo vinces.* Si privatis hominibus vitam suam licet defendere, vim vi repellere, & bona sua coram Judice vindicare; quomodo non licebit Principibus ditionem suam ab hostibus tueri, aut captas ab iis urbes armis repetere, aut illatam sibi injuriam, quæ regni honorem & felicitatem lædit, ulciscì? Bello Principes jura sua tuentur, aut recuperant; illudque plerumque suscipere non modo possunt, sed debent; cum enim regna sua tueri debeant ac protegere,

caveant oportet, ne illorum turbetur quies, ne potentia labatur, neve ſplendor obfuſcetur.

Prima conditio, qua bellum permittitur, eſt cauſæ *juſtitia;* ſoli enim Principes, qui omni Religionis ſenſu carent, bella gerunt ex injuſta cauſa, ob vindictam, vanitatem, & ſuperbiam.

Secunda belli conditio eſt, ut qui bellum ciet, legitimam belli gerendi habeat *auctoritatem.* Oportet ergo, ut Rex, aut Reipublicæ Princeps pro communi bono bellum gerat. Regnorum ſuorum defenſio, uſurpatarum ditionum recuperatio, gravium atrociumque injuriarum negata ſatisfactio, jurium ſuorum conſervatio, rebellium punitio, ſociorum protectio, juſtæ ſunt belli cauſæ; at veræ Religionis defenſio ſanctior eſt belli cauſa, pro qua Reges noſtri maria transmittere, & infidelibus bellum inferre non dubitarunt, ut Palæſtinam ab illorum jugo liberarent.

Tertia conditio eſt, ut belli gerendi recta ſit *intentio*, ne pravis noſtris cupiditatibus obſequamur, ne regni amplificandi, aut famæ acquirendæ cauſa ducamur: *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas* (inquit ſanctus Auguſtinus *de Civit. l. 5. cap. 24.*). Tot peccatorum bellum eſt occaſio, & tot affert mala, ut ex ſola neceſſitate ſit ſuſcipiendum; ipſosque inter belli ſtrepitus pax jugiter eſt optanda. Ita filios ſuos docet Eccleſia. Theodoſium a bello redeuntem hortatus eſt ſanctus Ambroſius, ut aliquamdiu a ſacra Synaxi abſtineret, non quia pec-

peccasset, sed oblatæ super altare victimæ causa, quæ pacis est hostia.

Bello non se immiscat odium; & ubi injuriarum satisfactionem hostis offert, aut bona vel ditiones occupatas restituit, debet Princeps arma deponere, quoniam belli gerendi causa sublata est. Durante bello non damna quælibet hostibus inferre licet, sed illa solum, quæ ad illos vincendos, & ad jus suum vindicandum prosunt. In Deuteronomio hæc Deus Judæis præcepit: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circulum debes vastare regionem, quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum* (*cap.* 20.). Non ergo hostium regionem vastare licet, nisi ad victoriam omnino esset necessarium; & humanitatem semper aliquam fratribus suis præstare debent Christiani; nec barbarorum mos est imitandus, qui flammis omnia tradunt, & indelebilia furoris sui relinquunt vestigia. In urbium expugnatione clari Duces magnas semper crudelitates prohibuerunt, eas subegisse contenti; cum vero eas militibus depopulandas reliquerunt, incendia vetuerunt & stupra. Hominum enim more, non ferarum bellum est exercendum.

Porro

Porro quemadmodum Princeps pie ac serio belli causas debet perpendere, nec temere bellum suscipere, ita nec milites, nec subditi belli justitiam examinare tenentur: sufficit, ne prorsus injustum credant, & in dubio Princeps sequendus est, illique obtemperandum. Si vero milites extranei sint & stipendiarii, non possunt Principi militare, nisi certo putent bellum esse justum: id debent attendere, qui Principi cuicunque militant, nec examinant utrum justum sit bellum, necne. Qui pro infidelibus contra Christianos pugnant, excusari nullatenus possunt, & apostatæ quodammodo fiunt.

Princeps injustum bellum gerens damna omnia, quorum causa est, resarcire tenetur. At si revera justum sit bellum, sed non recta sit Principis intentio, peccat quidem, non tamen ad restituendum adstringitur.

Hic autem Principis de Conti nequeo præterire exemplum, quod Gallia tota mirata est. Postquam malo ductus fato adversus Regem suum pugnavit, arma posuit, & cum Rege in gratiam rediit; majus autem a Deo beneficium accepit; pœnitentiæ scilicet gratiam. Peccatum namque suum ingentibus austeritatibus expiare curavit, verum & provinciæ suæ locis illata damna reparare sategit: hæc diligenter recenseri jussit, magnamque pecuniæ vim illuc misit, qua belli damna ab incolis passa sarciret. Si novum quempiam Casuistam consuluisset, probabilibus saltem rationibus a restituendi onere fuisset exemptus; sed Evangelii tantum regulis paruit, quas pius Episcopus fideliter illi explicavit.

CAPUT

CAPUT X.

Duellum omni lege est interdictum.

Duellum est pugna duorum, qui crudeli hoc & diabolico invento acceptam injuriam ulciſci cupiunt. Naturali lege illud prohibetur; hæc ſiquidem homini jubet proximum ſuum velut ejusdem naturæ conſortem amare, mutuisque officiis ſocietatem fovere. Qui duellum exhibet, ſeipſum non amat, nam ſe morti objicit, aut adverſarium ſuum occumbendi periculo exponit: ſi duellum offeratur, acceptare illud non licet. Nam qui duellum acceptat, aut innocens eſt, aut reus: ſi innocens eſt, nec alterum læſit, cur ſe morti objicit? ſi vero reus, cur innocentem conjicit in vitæ diſcrimen? Non eſt ſuæ vitæ, nec alienæ dominus: hæc Deo reddenda eſt, cum illam poſtulabit, vel Reipublicæ eſt conſervanda. Nemini igitur licet vel ſuam, vel alterius vitam temere periculo exponere.

Dei lex homicidium prohibens duellum quoque vetat. In Exodo perſpicue dicitur: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur* (*cap.* 21.). Idem in Deuteronomio repetitur: *Si quis odio habens proximum ſuum, inſidiatus fuerit vitæ ejus, ſurgensque percuſſerit illum, & mortuus fuerit: non miſereberis ejus, & auferes innoxium ſanguinem de Iſrael, ut bene ſit tibi* (*cap.* 19.). Non hic diſtinguitur, utrum quis proximum ſuum duello occiderit,

an

an per insidias: sed universim homicidium prohibetur. Textus, quos ex Evangelio & sancto Paulo attulimus, pariter evincunt duellum juri divino esse oppositum.

Lex quoque ecclesiastica duellum prohibet. Valentini III. Concilii tempore frequentia erant in Gallia duella, aut pro privatis ulciscendis injuriis, aut pro falsis accusationibus refutandis. Gundebaldus Burgundiæ Rex hanc consuetudinem firmarat lege, quæ ab ejus nomine dicta est. Avitus Viennensis Episcopus huic legi obstitit, & ad hunc tollendum abusum in III. Valentino Concilio collecti Episcopi sequens Decretum condidere: *Et quia ex hujusmodi juramentorum, imo perjuriorum contentione, etiam usque ad armorum certamen solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace, statuimus juxta antiquum ecclesiasticæ observationis morem, ut quicumque in tam iniqua, & christianæ pacis inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, & latro cruentus ab Ecclesia, & fidelium cœtu separatus, ad agendam pœnitentiam omnibus modis compellatur. Ille vero, qui occisus fuerit, tamquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, a dominicæ oblationis Communione habeatur alienus, & cadaver, juxta sanctorum Canonum decreta, cum psalmis vel orationibus ad sepulturam non deducatur.* Addunt a christianissimo Imperatore petendum esse, ut Edictis suis detestandum hunc morem abroget.

Late-

Lateranenſe II. Concilium nundinas prohibet, in quibus ſolebant milites duellum inire, ut vires ſuas probarent; jubetque mortuum in duello eccleſiaſtica ſepultura eſſe privandum.

Poſtremum Tridentinum Concilium excommunicat ipſo facto omnes Principes, qui duella publica ſua in ditione permittunt. Bellantes item & patrinos eadem pœna punit, additque bonis ſuis omnibus eſſe ſpoliandos, perpetuo infames fore, & eccleſiaſtica ſepultura in duello mortuos eſſe privandos.

Pontifices Nicolaus I. Julius II. Leo X. Clemens VIII. Pius IV. Gregorius XIII. & Clemens VIII. particulares ediderunt Conſtituriones, ut ſub eccleſiaſticis cenſuris duella prohiberent. Noſtri quoque Reges ſeveriſſimis Edictis illa prohibuere; & Ludovicus XIV. tam ſeverum expreſſamque Edictum edidit, tamque ſollicite ejus obſervantiam curavit, tamque exemplaribus pœnis ejusdem violatores puniit, ut crudelem hunc morem e Gallia omnino eliminandum ſperare liceat.

His poſitis argumentis, & prohibitionibus, quomodo novus Caſuiſta ſcribere audet, poſſe virum nobilem duellum acceptare, ſi illud recuſans infamis evaderet; poſſe vero a viro nobili duellum offerri, ſi quando ipſe aut injuſte accuſetur, aut alius ſibi mortem minetur? Idem plerique alii Caſuiſtæ docent; & licet duellum formaliter acceptare licitum eſſe negent, attamen indirecte illud acceptari poſſe docent, & modum

modum tradunt, quo vir nobilis duellum offerenti reſpondeat: quaſi Deus, qui cordis intima ſpeculatur, verbis falli poſſet. Vana eorum ratio eſt, quia honorem ſuum tueri licet, quemadmodum defendere licet vitam, quæ honore ipſo eſt vilior. At definiendum in primis eſt, quid ſit honor. Profecto, ut Philoſophi docent, verus hic eſſe debet, ex virtute ortus, & quædam veluti ejusdem imago. Porro honor, qui duello tueri creditur, eſtne conſtans verumque bonum, & ex virtute ortum? Cunctine homines id fatentur? Evangelii lex, quam ſequi debet Chriſtianus idne docet? In ſola pene Gallia duellorum viguit uſus: cæteræ nos gentes ſtultos ac furentes putarunt, dum hac via jura noſtra tutati ſumus. Evangelium nos jubet bonum pro malo reddere, & pro calumniantibus orare; tantum abeſt, ut eos mortis periculo objiciamus. Hic honor vana chimæra eſt, quam diabolus, qui ab initio homicida fuit, velut quid ſolidum in hominum corda miſit; unde ſeducti legem iniquam condiderunt, cui mundi amatores obtemperarunt, illam vero ſapientes ſemper contempſerunt, & improbarunt. Quam obrem ridiculum eſt afferere; licitum alicui eſſe in duello pugnare, ne ignavus cenſeatur (*a*).

A bar-

(*a*) Hanc ipſam propoſitionem Alexander VII. damnavit: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Eſt num. 2. Benedictus XIV. ut novos quosdam duellantium patronos corrigeret, edita anno 1752. Conſtitutione *Deteſtabilem*, ſequen-

A barbaris stultisque hominibus ille contemnetur; verum si probus est, egregiisque factis illustris, nullam veri honoris jacturam faciet. Vita verum & solidum bonum est, quod falsæ opinioni non est comparandum; illam autem iis artibus defendere licet, quas humanæ, divinæque

---

quentes tamquam *falsas scandalosas*, & *perniciosas* prohibuit propositiones. 1. *Si vir militaris, nisi offerat, & acceptet duellum tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, unde se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetua carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* 2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, & humanæ vilipensionis vitandæ gratia acceptantes duellum, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* 3. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ & officii.* 4. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.* 5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malæ ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.* Dein confirmatis pœnis in Jure contra duellantes statutis insuper declaravit, sepulturæ sacræ privationem, a Tridentino in loco duelli morientibus dictatam, posthac etiam ab iis, qui ex vulnere accepto extra locum conflictus decedunt, incurrendam, sive duellum publice sive privatim indictum fuerit, sive morturiens pœnitentiæ signa dederit, atque

que leges permittunt. Illusio est afferere duellum acceptari posse, si quis hanc formet intentionem, se nolle seipsum ulcisci, verumtamen velle honorem suum tueri. Hæc enim intentio efficere numquam potest, ut divina lege & humana vetitum duellum liceat, neve violetur illud præceptum: *Non occides.*

Disputant Doctores, an inter duos Reges liceat duellum, quo belli causas invicem definire volunt; quemadmodum ad bellum finiendum, quo flagrabat Europa, Carolo V. obtulit Franciscus I., qui ad constitutum locum revera illum expectavit.

Rarus admodum est iste casus; & quin illum decidam, dicam posse Regem, qui gravi & periculoso bello populos suos premi videt, communibus calamitatibus ita commoveri, ut post tentata frustra media quælibet ad pacem ineundam cum hoste, qui obstinatus est, & a pace abhorrens, ipsi liceat pro communi salute in singula-

---

a peccatis & censuris absolutus fuerit, sive non &c. sublata Episcopis locorum super hac pœna dispensandi facultate. Porro pœnæ canonicæ contra duellantes latæ sunt 1. Excommunicatio latæ sententiæ tam ipsos congredientes, quam patrinos, fautores, spectatores studio illinc venientes ligans. 2. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ respectu illius, qui in duello vel propter duellum vivere desiit. Hisce accedit gravis obligatio satisfaciendi uxori, liberis; ac creditoribus occisi; si nempe hic supervivendo ex sua negotiatione, vel annuis pensionibus sufficienter illis providere, atque satisfacere potuisset.

gulari certamine vitam suam exponere; dummodo prius cum regni proceribus, doctisque hominibus consilium suum communicarit, lumenque a Deo ad recte deliberandum petierit. Cum enim cœpta jam inter utrumque exercitum pugna, inter consertos hostes Principem inimicum quærere, & cum illo congredi nequeat; si ab armis paullisper cessent exercitus; ut duos illos Principes invicem congredientes spectent, verum hoc esset duellum, quod jura cuncta permitterent. Possent etiam hi Principes inter se convenire, ut se invicem pugna jam inita quærerent; verum oporteret, ut vindictæ cupido abesset, aut prævalendi ambitio, sed tantum pro communi Reipublicæ bono arma tractarent.

Licite quoque possent duo Principes milites aliquot e suis exercitibus seligere, qui invicem pugnantes finem bello imponant: Si vero ad virium dumtaxat ostentationem id fieret, licitum esse non arbitrarer.

Torneamenta, quæ in Festis publicis fiunt, in quibus aut lancea rumpitur, aut adversus militum manum oppidum oppugnatur, licita sunt, quia quodlibet homicidii periculum ab iis abest: at taurorum ludi, qui in quibusdam regionibus valde sunt frequentes, licite fieri nequeunt, quia grave in iis periculum adest, ethnicumque morem nimis imitantur. Sanctus Pius Papa V. Kalend. Novembr. anni 1557. Constitutione sua sub excommunicationis pœna illos prohibuit, & ecclesiastica sepultura eos privat, qui in illis occumbunt. Navarrus hanc

affert exceptionem, videlicet si taurorum truncata essent cornua, nec probabile ullum esset necis periculum. Id vero est difficillimum, & aliquod semper periculum adest: præterea christiano homine indigna res est, ut cum ferocibus belluis de virium præstantia certet. Illos tantum Ethnici leonibus objiciebant, qui ad mortem damnati erant.

CAPUT XI.

Homicidium proditorium & casuale explicantur.

Homicidium casuale illud est, quod præter intentionem agentis, & casu accidit: modo mortale peccatum est, modo veniale. In veteri Testamento refugii urbes Deus statuit in qualibet Tribu, ut illuc confugerent, quicumque præter intentionem aliquem casu occidissent. In Ecclesia Principes templa pro reorum immunitate concesserunt, & prisci Episcopi sollicite illam tuebantur. At Pontifices decrevere, ne grassatores illa gauderent: hocque S. Pius V. edita Bulla confirmavit. Adeo increverat immunitatis abusus, ut in Italia Ecclesiæ latronum & grassatorum tuta essent refugia.

Casuistæ quidam *proditoris* nomen male explicant, dum eos tantum proditores vocant, qui ad aliquem dolo occidendum accepere pecuniam; illos vero, qui non accepta pecunia, sed vindictæ, vel amicorum causa aliquem interficiunt, proditores non appellant. Hæc explica-

plicatio non minus legi, quam sensui communi adversatur. Ideone homicidium Ecclesiastica immunitate est indignum, quia pro pecunia committitur? Pecunia, quæ homicidæ traditur, ullamne deformitatem homicidio addit? Nonne æque, imo magis iniquum est, si quis alterum occidat ulciscendæ injuriæ causa, aut amico obsequendi gratia, quam si homicidium committat, ut suæ egestati succurrat, quemadmodum solent banniti? Summorum Pontificum Bullas sic interpretari, nonne idem est ac Christi Vicarii auctoritatem contemnere, illamque suo sensui subjicere. Huic sane auctoritati injurius est Diana, dum ait: „ Fateor quidem id a Ponti„ fice esse dictum, velut Ecclesiæ capite; atta„ men dixit juxta sphæram probabilitatis judicii „ sui “. Proditiones in Italia quotidie fieri ab iis videmus, qui proditionem exequi student prope Ecclesiam aliquam, ad quam confugiunt; ibique intolerabili abusu morantur, quin sæcularis judex illos audeat abducere, donec aut gratiam obtineant, aut res suas componant. Jure in Gallia hoc privilegium non conceditur, quod impunitatem homicidis tribuens ad homicidia patranda animum addit.

Vidimus jam ab Ancyrano Concilio involuntaria homicidia septem annorum pœnitentiæ subjici: adeo Ecclesia humani sanguinis, & præcipue christiani effusionem est detestata, quam novi quidam Casuistæ parvi pendunt.

Qui ad licitum opus incumbens aliquem casu interficit, nullum peccatum committit, dum-

modo ex tali opere homicidium passim non sequatur. Exempli gratia, dum in sylva quidam venatur, sagittam, aut ignitum globum in aliquid se movens immittit, hominemque casu occidit: hoc est homicidium prorsus involuntarium, quod culpa omni vacat. Sed si venationis locus publicum esset iter, qua viatores sæpe transeunt, mortaliter peccaret, si necessariam non adhiberet diligentiam, ne quemquam ictu suo læderet. Item si quis, posito signo quo sibi transeuntes caverent, lapides ex domus suæ tecto projiceret, non peccaret, si in caput transeuntis lapis caderet; si vero nullum signum posuisset, aut daret, peccaret mortaliter.

Patres vel matres, qui infantes, antequam ætatis suæ annum expleverint, in lecto suo dormientes detinent, mortaliter peccant, si illos suffocent; hi siquidem Synodalia statuta id prohibentia violant, puerosque suos evidenti periculo exponunt. Hinc Clericus quoque, qui venando hominem occideret putans esse feram, mortaliter peccaret, & fieret irregularis, quia ipsi venatio a Canonibus est vetita, & propterea vacat rei illicitæ (*a*).

Qui novit, se ebrium solitum esse quemcumque sibi primo occurrentem percutere, aut illos

(*a*) Hæc de venatione, aut alia actione non præcise illicita, sed simul periculosa, ea nempe quæ sæpe mortem inducere solet, intelligi debent; quia secluso hoc periculo vix adhuc mors inde secuta operanti potest esse voluntaria, adeoque nec ei imputari. Ita hodie Communis.

illos qui secum potant, mortaliter peccat, si aliquem in sua ebrietate occidat.

Quando Princeps auctoritatem suam omnem ad homicidia impedienda non adhibet, mortaliter peccat, & homicidiorum omnium, quæ in ditione sua patrantur, fit particeps. Præterea si duella non prohibeat, nec in duello certantes puniat; vel si certantes laudet, quoties initur duellum, ipse quoque peccat.

Urbis Gubernator, aut Rector, qui scit nocte errare in urbe latrones, qui patrant homicidia, mortaliter peccat, si excubias non statuat, nec satellites per urbem cursitare jubeat.

Advocatus, qui clientis sui innocentiam nec attente considerat, nec diligenter tuetur, si propterea hic morte damnetur, mortaliter peccat, nec a sua ignorantia excusatur.

Similiter peccat Medicus, qui ex artis suæ ignorantia ægrum interimit; uterque siquidem artem suam scire debet, vel illam dimittere.

Parentes, qui adolescentibus suis, quos rixosos sciunt, arma deferre permittunt, homicidiorum, quæ ab his patrantur, participes fiunt.

Magnates, qui leones aut feras bestias in palatio suo alunt, homicidiorum rei sunt, quæ evenire possunt, si bestiæ diligenter non custodiantur.

Si alicujus mors ideo eveniat, quia id facere omisisti, quod caritas præcipit, efficeris homicidii reus. Exempli gratia, si pauperem fame pereuntem, ut ait sanctus Augustinus, *non pavisti, occidisti.*

Qui teſtimonio ſuo innocentem poteſt a morte eripere, debet illud reddere, quidquid inde mali evenire ſibi poſſit; quod niſi faciat, mortaliter peccat, & eſt homicidii reus. Item ſi quis inſidias novit alterius vitæ paratas, hunc debet admonere, alioquin mortis ejusdem reus efficitur.

Qui homicidium directe, vel indirecte conſulunt; veluti parentes qui de accepta injuria coram filiis irati conqueruntur, & vindictæ deſiderium declarant; aut filiis hæreditatem conceſſuros ſe negant, niſi vindictam ſumant; homicidii rei ſunt, ſi ex his ſermonibus excitatus aliquis homicidium committit.

Qui arma præbent, aut proditores recipiunt, vel proditionem laudant, crimen pariter participant: qui vero poſt patratum ſcelus illud laudant, eidem quodammodo participare cenſentur.

Non modo actuale homicidium quinto præcepto prohibetur, ſed quidquid illud prævenit, aut comitatur, veluti gladium, vel telum parare, venenum miſcere, ſocietatem inire, proditores convivio excipere, atque his ſimilia: hæc omnia mortalia peccata ſunt, licet homicidium non ſequatur. Præterea hoc præcepto prohibentur verbera, mutilatio, veneni porrectio; denique vis quælibet, atrox injuria, contumelia, quæ verbo, vel opere fiat.

CAPUT

CAPUT XII.

Pœnæ canonicæ contra quinti præcepti violatores.

Qui Presbyterum occidit, duodecim annis pœnitentiam agat.

Si quis Presbyterum voluntarie occidit, a carne & vino abstineat, cunctisque diebus jejunet præter dies festos & dominicos; non equitet, arma non deferat, per quinquennium Ecclesiam non ingrediatur, sed ante januam assistat; post quinquennium Ecclesiam ingrediatur, sed non communicet, & inter auditores moretur: post decennium communicet, & equitet (*Pœnit. Rom. tit.* 1. *cap.* 1. *&* *t.* 2. *c.* 24. *Burcard. l.* 6. *c.* 8.).

Qui aliquem ecclesiastici Ordinis occiderit, aut Psalmistam, aut Ostiarium, aut Lectorem, aut Exorcistam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum, vel qui consilium dat, ut horum aliquis occidatur, peculiarem agat pœnitentiam: id est pro Psalmistæ morte quadraginta diebus pane & aqua jejunet; pro Ostiario, Lectore, Exorcista, Acolytho, Subdiacono, Diacono eodem tempore pœnitentiam agat. Si quis vero Sacerdotem voluntarie occiderit, tamquam pro octo homicidiis pœnitentiam agat, nec umquam cesset a pœnitentia (*Burc. lib.* 9. *&* 17. *Pœnit. Rom. tit.* 1. *c.* 32. *Conc. Vorm. c.* 2.).

Si quis Presbyterum occidit annis viginti-octo pœnitentiam agat. Qui vero Presbyterum

occidit, a quo armato est aggressus, pœnitentiam aget decem annis (1. *part.* 10. *c.* 15. *Pœnit. Rom. tit.* 1. *c.* 13.).

Si quis partem suum, matrem, fratrem, vel sororem necet, ab Eucharistia suscipienda toto vitæ suæ tempore repellatur, a carnibus semper & a vino abstineat, item secunda & quarta cujuslibet hebdomadæ die jejunet (*Greg. lib.* 11. *ep.* 8. *ad Bonif. Pœnit. Rom. tit.* 1. *c.* 21.).

Si quis patrem suum, matrem, fratrem, sororem, patruum, amitam, aut novercam occiderit: si casu hoc egit, & non ex ira, tamquam pro homicidio voluntario pœnitentiam aget: Si vero voluntarie & ex ira id patravit, unius anni tempore ante Ecclesiæ januam Deum orans morabitur; quo transacto in Ecclesiæ angulo per alium annum manebit; deinde si pœnitentiæ fructus in ipso appareat, poterit Eucharistiam suscipere, carnibus tamen vesci ipsi non licebit. Jejunabit diebus omnibus, exceptis festis; tribus vero per hebdomadam diebus vinum non bibet, nec cerevisiam, nec birram, nec liquorem ullum melle mixtum, non equitabit; arma non deferet, nisi contra Infideles; nec matrimonium poterit contrahere (*Syn. Vorm. cap.* 30. *Burc. lib.* 19. *p.* 1.).

Qui patrem suum, vel matrem voluntarie occiderit, extra patriam suam septem annis exulet, & in lacrymis gemitibusque usque ad mortem pœnitentiam agat: quod si voluntarie parricidium non commiserit, decem annis juxta

Presbyteri judicium agat pœnitentiam (*Pœnit. Rom. t.* 1. *c.* 14.).

Qui voluntarie filium suum filiamve occiderit, fratrem vel sororem, quinque annis a patria sua exulet, quibus expletis pœnitentiam agat annis viginti. Qui voluntarie avum suum vel aviam, aut neptem, aut socerum, patruum, vel amitam, aut sororis suæ filium filiamve, aut consobrinum suum vel consobrinam a tertio usque ad septimum gradum: duodecim annis pœnitentiam aget, si intra tertium gradum homicidium commisit; si intra quartum, annis undecim; si intra quintum, decem; si intra sextum, novem; si intra septimum, octo. Si vero homicidium non sit voluntarium, juxta Presbyteri judicium pœnitentiam agat.

Qui filium suum, filiamve spiritualem, dominum, dominamve, vel uxorem suam voluntarie occiderit, per quinquennium exulet; quo expleto, pœnitentiam agat quindecim annis, nec arma deferat: si vero voluntarium non sit homicidium, septem annis pœnitentiam agat.

Si quis vitricum suum, aut novercam, generum vel nurum, vel privignum, aut privignam occidit, decem annis pœnitentiam agat: si vero voluntarium non sit homicidium, quinque annis.

Si quis involuntarie filium suum occidit, pœnitentiam agat tamquam pro homicidio voluntario.

Mater, quæ filios suos occiderit, post annorum septem pœnitentiam in monasterium detrudatur, in quo ad mortem usque deget.

Mulier,

Mulier, quæ post partum filium suum filiamve occiderit, duodecim annis pœnitentiam aget, nec umquam pœnitentia omni carebit. Si ob paupertatem, aut filios alendi difficultatem illos necavit, septem annis pœnitentiam aget (*1. part. 10. cap. 103. Pœnit. Rom. t. 1. c. 26. Burc. l. 19.*).

Mulier, quæ voluntarie abortum facit, tribus annis pœnitentiam agat; si vero invita abortum patitur, tribus quadragenis.

Mulier, quæ fœtum suum voluntarie ante quadragesimum a conceptu diem necat, per annum pœnitentiam aget: si vero post quadragesimum a conceptu diem, tribus annis: si edito jam fœtu illum necat, tamquam pro homicidio aget pœnitentiam (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 33. Burc. l. 17. c. ult.*).

Quæ ut peccatum suum celet, suum infantem occidit, decem annis pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. cap. 27. Burc. l. 17. cap. 53.*).

Qui filium suum post baptismum suffocaverit, quadraginta diebus pane & aqua & radicibus jejunabit, & ab uxore sua se continebit; postea vero per annos tres tribus in hebdomada diebus jejunabit, & tres servabit quadragesimas. Si vero ante baptismum suffocavit, diebus quadraginta ut supra jejunabit, & annis quinque pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. tit. 1. c. 29. Burc. l. 17. c. 51. Ans. l. 11. c. 41.*).

Si alicujus culpa sine Baptismo moriatur infans, pœnitentiam ille aget tribus annis, quorum uno pane & aqua jejunabit. Si negligentia Presbyteri, cui traditus fuit, sine Baptismo moriatur

riatur paganus infans, presbyter deponatur; si autem ex parentum negligentia id eveniat, per annum ipsi pœnitentiam agant.

Si alicujus negligentia sine Confirmatione puer moriatur, tribus ille annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Rom. tit.* 1. *c.* 22. *Burc. l.* 17. *cap.* 57.).

Si uxor virum suum, quem de adulterio accusat, veneno interimit, vel aliter interficiendum curat, in monasterium ad pœnitentiam agendam detrudatur (*Burc. l.* 6. *c.* 19.).

Si quis seipsum occidat, nulla illius commemoratio fiat ad altare, nec cum Psalmorum cantu ejus cadaver sepeliatur.

Si quis voluntarie hominem occidat, ante Ecclesiæ januam toto vitæ suæ tempore degat, & morti proximus Eucharistiam suscipiat. Si casu occidit, septem annis pœnitentiam aget, vel quinque juxta alium canonem.

Si quis ut parentes suos ulciscatur, alium occidit, pœnitentiam agat tamquam pro homicidio voluntario (*Pœnit. Rom. tit.* 1. *c.* 20. *Burc. l.* 16. *cap.* 22.).

Qui alium occidit, ut fratrem suum ulciscatur, tribus annis pœnitentiam aget, quorum duobus ultimis per tres quadragesimas, & legitimis feriis jejunabit.

Si quis ex subita ira, aut ex rixa alium occidit, tribus annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Bedæ c.* 1.).

Si quis ex domini sui mandato homicidium committit, quadraginta diebus pane & aqua jejuna-

junabit ; insuper per annos septem tribus in hebdomada diebus jejunabit (*ibid.*).

Qui homicidii consilium præbuit, per annos septem quadraginta diebus jejunabit.

Qui latronem occidit, quadraginta diebus ab Ecclesiæ ingressu abstinebit, & ter in hebdomada jejunabit (*Pœnit. Rom. c.* 24.).

Qui hominem occiderit, putans esse belluam, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit, & juxta Presbyteri judicium quinque annis pœnitentiam aget (*Burc. l.* 19.).

Si quis casu hominem occidit, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit, quibus expletis, per annos duos a Fidelibus sejunctus orabit, non oblationem ad altare offeret, neque communicabit : post annos duos ad communionem orationis cum aliis Fidelibus accedet, oblationem offeret, sed Eucharistiam non suscipiet : post quinque annos ad Eucharistiam accedet, & juxta Presbyteri judicium jejunabit (*Pœnit. Rom. c.* 3. *Burc. l.* 6. *c.* 16.).

Qui homicidio consenserit, septem annis pœnitentiam aget, tribusque hebdomadæ diebus pane & aqua jejunabit : quod si pœnitentiam hanc subire nequeat, tribus tantum annis jejunabit (*Pœnit. Rom. tit.* 1. *c.* 17.).

Si quis aliquem feriat, aut mutilet, per annum pœnitentiam aget, tribusque in hebdomada diebus jejunabit ; quod si magna sit cicatrix, quæ vulneratum deformem reddat, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit (*Pœnit. Rom. t.* 1. *cap.* 23. *Burc. lib.* 19.).

Si

Si quis aliquem percutiat, nec grave illi malum inferat, tribus diebus pane & aqua jejunabit: quod si Clericum percusserit, sesquianno pœnitentiam aget (*Pœnit. Rom. tit.* 4. *c.* 19.).

Si quis ex ira alium mutilet, post solutas medici expensas, si laicum mutilavit, quadraginta diebus pane & aqua jejunabit; si Clericum, duabus quadragenis; si Diaconum, septem mensibus; si Presbyterum, per annum (*Pœnit. Rom. t.* 1. *c.* 13.).

Si Episcopus homicidium committat, quindecim annis pœnitentiam agat; a dignitate sua deponatur, & vitam suam peregrinando transigat; si vero Presbyter homicidium committat, duodecim annis pœnitentiam agat, quorum quatuor pane & aqua jejunet; si autem Clericus inferior, septem annis pœnitentiam agat, quorum tribus pane & aqua jejunet (*Pœnit. Rom. tit.* 2. *c.* 16. *Ans. l.* 11. *c.* 33.).

Si quis cum proximo suo, adversus quem aliquid habet, reconciliari renuit, pane & aqua jejunabit, donec cum illo reconcilietur (*Burcard. lib.* 10. *cap.* 6.).

SECTIO

SECTIO III.

DE SEXTO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Luxuriæ notio & ſpecies.

Sexto Præcepto *Non mœchaberis*, luxuria, ſeu inordinatus venereorum appetitus & uſus prohibetur. Sub re autem venerea quælibet carnalis voluptas intelligitur, quam homo extra matrimonii ſtatum vel ſecum ipſo, vel cum alia perſona capere poteſt, omnesque impuritatis ſpecies complectitur.

Sex luxuriæ ſpecies jam ſupra (*Tom. I. pag.* 266.) ex Doctore angelico ſunt enumeratæ, videlicet ſimplex fornicatio, ſtuprum, adulterium, inceſtus, raptus, & peccatum contra naturam, quibus paſſim ſacrilegium adnumeratur.

Fornicatio ſimplex eſt concubitus hominis a matrimonio ſoluti cum pariter ſoluta jam aliunde corrupta. *Stuprum* eſt concubitus cum puella nondum corrupta ſeu virgine. *Adulterium* eſt concubitus cum uxore alterius, vel cum perſona conjugata. *Inceſtus* eſt concubitus cum perſona conſanguinea. *Raptus* eſt violenta mulieris abductio explendæ libidinis cauſa. *Sacrilegium*

legium eſt concubitus cum perſona Deo ſacra. *Peccatum contra naturam* eſt fruſtratio humani ſeminis. Triplex eſt, nimirum *Mollities* quæ eſt voluntaria pollutio proprii corporis: *Sodomia*, quæ eſt copula cum perſona ejusdem ſexus, vel diverſi in vaſe indebito; & *Beſtialitas*, quæ eſt concubitus cum bruto.

Meretricium, & concubinatus novas luxuriæ ſpecies non conſtituunt, malitiam tamen valde augent, alteriusque ſpeciei deformitatem ſæpius ſibi adjunctam habent. *Meretricium* enim in turpi quæſtu conſiſtit, quem effrons mulier ſui corporis uſum viris præbendo exercet, illosque nutibus, verbis ac factis captioſis veluti Dalila Samſones ligat. *Concubinatus* nihil aliud, quam meretricii, vel fornicationis conſuetudo eſt cum eadem perſona continuata, ex qua non modo infinita luxuriæ peccata, ſed plurima inſuper ſcandala, aliaque abſurda ſequuntur.

De ſingulis, quæ prius recenſui ſpeciebus pauca quædam dicam; chriſtiana ſiquidem modeſtia poſtulat, ut caute admodum, ac parce loquar; cumque vernacula ſcribam lingua (*gallice* enim ſcripſit Auctor), plura vix auſim attingere, quæ pravas in Lectore cogitationes creare poſſunt, nec tamen omnino ſunt prætermittenda. Generatim igitur peccata commemorabo, quibus præceptum hoc violari poteſt; ſed modos particulares non recenſebo. Quemadmodum enim Confeſſarios docendos eſſe arbitror, ita Lectorum pudori parcendum; nec effingendos eſſe caſus, qui fere numquam contin-

gunt, vel quorum patet turpitudo ex ipſamet naturali honeſtate, vel ex puritate, quam ſectari Chriſtianus debet, quin pudendum inſtituat examen, quod cum ex phantaſiæ vitio, tum ex cordis corruptione proficiſcitur.

CAPUT II.

Abominabilis Mollitiei, Sodomiæ & Beſtialitatis malitia.

Mollities ſeu voluntaria pollutio actio eſt ex ſe mala, ideoque a Deo prohibita, 1. quia naturæ legi repugnat, quæ propterea homini ſemen tribuit, ut eo ad generationem propriæque ſpeciei conſervationem uteretur, 2. quia chriſtiani corporis per Baptiſmum ſanctificati puritatem violat, 3. quia concupiſcentiam ſectatur, cui numquam, ut oſtendimus, obedire licet.

Hæc aut voluntaria eſt, aut involuntaria. *Voluntaria*, cum quis ad illam ſeipſum excitat, aut ab alio provocari patitur; vel cum ea peragit, ex quibus oritur pollutio, veluti ſi oſcula det aut accipiat, ſi calidis nimium cibis utatur, ſi tali modo cubet, ſi libros obſcœnos legat, aut impudicas picturas, turpiaque alia objecta aſpiciat: mortale hoc eſt, & contra naturam peccatum.

Involuntaria eſt pollutio, quando ex naturæ infirmitate evenit, aut ex morbo, aut ex aliqua actione in ſe licita, vel indifferenti, veluti equo, aut lectica vehi: ſi Confeſſiones audiendo, aut libros

libros legendo ſtudii cauſa, qui de luxuriæ peccatis agunt, in pollutionem quis incidat, nec mortale, nec veniale peccatum committit; & Confeſſarius, qui confeſſiones audiens in pollutionem absque ſua culpa laberetur, non teneretur hoc exercitium relinquere, ſi proximo eſſet utilis, aut ad illud ex ſuo officio teneretur.

Quæ in ſomno evenit pollutio non eſt peccatum, ſi nulla illi ante ſomnum voluntarie detur occaſio: dolendum tamen de illa eſt, veniaque a Deo petenda, ſi forte culpa aliqua adfuit.

Caſuiſtæ quidam docent, licitum eſſe pollutionem deſiderare aut propter ſanitatem, aut ne tam moleſtas carnis tentationes patiamur, dummodo carnalis delectatio non quæratur. Verum ego exiſtimo vehementer periculoſum eſſe hoc deſiderium, fieri ſiquidem vix poteſt, ut carnalis delectatio ſe cordi non inſerat, dum in corpore dominatur.

Pollutionem procurare non licet, etiamſi ad vitæ conſervationem Medici illam conſulerent aut juberent; neque medicinam ſumere licet, quæ eamdem excitet.

Quis Caramuelis opinionem ferat, qui expreſſe docet, pollutionem ideo ſolum eſſe peccatum, quia a Deo prohibetur; ex ſe vero malam non eſſe, ſed ſecluſa Dei prohibitione bonam interdum fore, adeo ut mortaliter peccaret, qui ipſam non procuraret? Propoſitionem adeo turpem tuerine poteſt, non dicam Chriſtianus Doctor, ſed honeſtus homo? Honeſtus Ethni-

cus illam deteſtaretur: ipſique impudici, qui in hasce turpitudines labuntur, earum turpitudinem agnoſcunt, & erubeſcunt, nec iſta palam patrare auderent. Mollities, ut diximus, legi naturæ adverſatur: quomodo igitur naturæ utilis eſſe umquam poteſt, cum naturam ipſam deſtruat, ac vituperet? Hæc hominem infra belluas collocat, quæ numquam ſeipſas polluunt, ſuoque ſemine ad generationem dumtaxat utuntur. Si ex ſola Dei prohibitione mala eſſet pollutio, nationes illæ, quibus poſitiva hæc lex non innotuit, illam exercendo non peccaſſent; neque hodie peccarent, qui hanc prohibitionem ignorant, veluti populi, qui Evangelii prædicationem numquam audierunt. Perperam vero aſſeritur, nihil diſtare ſi quis propter actionem ex ſe malam damnetur, vel propter actionem ex Dei prohibitione malam; ſic enim vitiorum turpitudo minuitur, quam non ex eorum natura metiamur, ſed ex Dei tantum voluntate, qui ea prohibet. Conſcientiæ ſyntheresim ſatis eſt audire, ut pollutionis malitia cognoſcatur. Se celant, qui hoc peccatum committunt, eosque admiſſi criminis puder. Nonne hi ſtimuli a natura ipſa excitantur, quæ tale opus prohibet?

Quemadmodum in ſpeculativis, ait ſanctus Thomas, peſſimus error eſt illarum rerum, quas hominem natura docet, veluti Dei exiſtentiam; ita in moralibus turpiſſime, peſſimeque errat, qui naturæ legibus adverſatur. Porro in mollitie fini, legique naturæ ille adverſatur, qui ſemine ad generandum a natura inſtituto abutitur.

tur. Quisquis igitur id agit, peccat; ipsaque actio est ex se mala, quia naturæ legi adversatur.

Propter hanc ipsam rationem detestabilis est sodomia; etenim, inquit sanctus Augustinus: *Deus non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet; cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur.*

Nihilo tamen minus Apologiæ Casuistarum Auctor infra triginta argenteorum furtum hoc peccatum collocat, quod nec nominare licet, propter quod integræ olim urbes ignis sulphurisque imbre deletæ sunt, & quod civiles quoque leges igne puniunt. Credi vix potest christianum Auctorem in tam enormem errorem esse prolapsum; magisque adhuc mirandum est illum voluisse hunc errorem tueri auctoritate sancti Thomæ, qui non minus propter doctrinæ suæ in hoc argumento puritatem, quam propter suam in cæteris Theologiæ Tractatibus sublimitatem Angelicus est Doctor. Peccatum, inquit Apologiæ Auctor, eo est gravius, quo excellentiori virtuti opponitur; sed justitia, cui furtum opponitur, excellentior est quam temperantia, cui omnes luxuriæ species opponuntur: ergo furtum triginta argenteorum gravius est quam sodomia, quia illud excellentiori virtuti opponitur. Heu quæ rationis perversio! quæ impudentia! Ea regula, quam in prima sua propositione hic Auctor tradit, non est physice & sine limitatione accipienda, ex ipsa enim detestabiles consequentiæ promanarent. Cæteroquin

peccatum veniale, quod excellentiori virtuti opponitur, gravius mortali peccato esset, quod virtuti illi non opponeretur. Hinc unius aurei furtum, quod in communi sententia peccatum est mortale, gravius esset bestialitate, aut incestu cum matre sua commisso. Quamobrem peccatorum enormitas metienda est ab aversione a lege Dei æterna, a naturæ lege, a peccantis statu, a damnis quæ inde Reipublicæ eveniunt, & ab aliis circumstantiis. Quæ omnia si perpendantur, quis abominandam hanc Apologiæ propositionem tueri audebit, quam jure meritoque damnarunt sancta Sedes, Episcopi, & Parisiensis Theologiæ Facultas (*a*).

Eadem cæcitate obruti Casuistæ quidam docent, illum, qui in sodomiam aut bestialitatem lapsus sit; non teneri hæc peccata in specie confiteri; sed sufficere si dicat, se contra castitatem peccasse, aut in pollutionem lapsum fuisse (*b*). Nonne hoc pacto salutaris illa confusio a Confessione repellitur, qua turpitudinem suam debent pœnitentes deflere? Nonne Sacramenti destruitur integritas, quæ in libera & perspicua peccatorum suorum declaratione consistit

(*a*) *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Est damnata ab Innocentio XI. num. 49.

(*b*) *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.* Est 24ta inter damnatas ab Alexandro VII.

ſtit (*a*)? Nonne horror ille minuitur, quem ſecum afferunt actiones illæ, quas tegere quærimus? Verum in hisce confutandis nimium immoror; pulchraque illa ſancti Auguſtini verba, quamvis in alio argumento ab eo prolata, uſurpare poſſe mihi videor, videlicet: *Pudet me*

(*a*) Mollitiei vitium ubi ſemel radices egit, nonniſi vi magna evellitur. Juvenes plurimi, imo & ſenes, quia raro aut numquam ſerio admonentur, nec debitis præſidiis muniuntur, multis annis immerſi voluptatibus vivunt. Ut igitur Confeſſarius rite ſuo munere fungatur, ante omnia in hujus peccati cauſam, occaſionem, aliasque temporis & loci circumſtantias inveſtigare debet, tuncque non generica, ſed ſpecialia, hisce cauſis, ac circumſtantiis accommodata remedia præſcribere. Sic ſi e. g. lectus aut nocturna quies tentationem excitet, pœnitenti injungendum. 1. Ut priusquam cubitum eat, Crucifixi imaginem amplectatur, exoſculetur, ſeque brevibus & amoroſis ſuſpiriis in Sacratiſſimum ac patens Jeſu latus recondat. 2. Ut decumbens ob Dei, & Angeli cuſtodis præſentiam honeſtum corporis ſitum ſervet, & lateri ſive dextro, ſive ſiniſtro incubando manus ſupra pectus crucis in formam collocet. 3. Ut tardante morpheo accepta interdiu divina beneficia gratus recogitet, ac Dei bonitatem magnificans tandem indormiat. Si vero campus, ſylva, officina huic peccato anſam præbeant, ſimile circa Crucem exercitium de mane erit ſuggerendum tum certa in procinctu ad talem locum oratio, viva Div. Præſentiæ apprehenſio, ac tandem ſalutaris inſtantis mortis, & judicii timor; cujusvis turpitudinis abominatio, caſtitatis, ac munditiæ ſumma æſtimatio, tepiditatis fuga, ac ſacri fervoris proſecu-

me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint etiam defendere, non jam eorum, sed ipsius humani generis me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.

CAPUT III.

Stupri, Incestus, & Raptus gravitas.

Adeo pretiosa res est virginitas, ut stuprum, quod illam aufert, ingens sit peccatum. Præter fornicationis malitiam, duas insuper peculiares malitias peccatum hoc continet. Prima in eo sita est, quod virginale puellæ sigillum violat; secunda in eo, quod illam periculo exponit in impudicitia, in quam semel lapsa est, perseverandi.

Qui puellam vi aut importunis precibus violavit, illam ducere, aut dotare tenetur, ut in honestum matrimonium collocari possit, si inferioris sit conditionis. Si puella neque verbis decepta, neque ad peccandum vi sit adacta; oporteret nihilominus, ut illam stuprator dotaret, atque ad id cum ex caritate, tum ex justitia adigitur (*a*).

In

---

tio sunt inculcandæ. Porro benignius cum his, quam cum illis qui occasiones foris quærunt, in confessionali esse agendum jam supra diximus.

(*a*) Stuprator puellæ in copulam libere consentienti juxta communiorem sententiam nihil ex justitia, sed ad summum quidquam ex caritate debet; quia scienti & volenti nulla fit injuria. Si tamen puella sub parentum adhuc cura degat, propter

In inceſtu conſanguinitas magis attenditur, quam affinitas; & in conſanguinitate quo gradus eſt proximior, eo peccatum eſt gravius. Hinc gravius peccatum eſt cum matre peccare quam cum ſorore; gravius quoque cum ſorore quam cum

---

propter ſpecialem injuriam parentibus illatam, & dedecus ex ſtupro familiæ accreſcens ad veniæ petitionem, & damnorum reparationem impurus violator adſtingeretur. Porro, qui ſub matrimonii promiſſione, etiam ficta, virginem defloravit, fictioni ſinceram promiſſionem ſubſtituere, eamque adimplere tenetur, quia dolus & fraus iniquis patrocinari nequeunt, huicque obligationi nec arbitraria dotatione, nec Religionis ingreſſu ſatisfieret. Sunt tamen caſus, quibus puellæ ſeductor promiſſas nuptias exequi non tenetur, & quidem 1. Si illa prior fraudem commiſit, virginem, nobilem &c. ſe fingendo, qualis non eſt. 2. Si ex verbis, aliisque circumſtantiis uti nimia conditionis inæqualitate &c. promiſſoris fictionem ipſamet advertere facile potuiſſet. 3. Si puella poſtea cum alio fornicetur. 4. Si gravia ex nuptiis ſecutura inconvenientia timeantur. 5. Si promiſſor cum alia de præſenti contrahendo, vel ſacros Ordines ſuſcipiendo illicitum interim impedimentum poſuit, quo minus corruptæ nubere poſſit. 6. Si puella ipſa nubere recuſet, aut parentes eamdem tradere nolint. In prioribus caſibus nuptiarum loco dotem: in poſtremo neque hanc puellæ recuſanti Auctores adjudicant; quia non dotem, ſed matrimonium ſtuprator promiſit. *Imputari namque non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum erat faciendum* (*Reg.* 41. *in* 6.). Stuprum *violentum* graviſſimum eſt peccatum, plerisque in Provinciis capitali pœna plectitur.

cum amita; gravius item cum amita quam cum consobrina.

Incestus est matrimonii impedimentum, nisi adsit dispensatio; attamen consummatum matrimonium non dirimit, quamtumvis ejus usum impediat, incestuosus enim conjux jus petendi conjugale debitum amittit, donec dispensationem obtineat, quam concedere potest Episcopus; debitum tamen reddere potest parti petenti.

Raptus a cæteris luxuriæ speciebus distinguitur dumtaxat propter vim, quæ infertur aut mulieri, aut puellæ, aut patri, aut marito, si rapta mulier virum habeat. Tridentinum Concilium *decernit inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare* (*Sess. 24. cap. 6. de Ref. matr.*) (*a*).

CAPUT

(*a*) Raptus, qui luxuriæ est species, cum raptu matrimonii impedimento, confundi omnino non potest. Hic enim in violenta puellæ, in uxorem

CAPUT IV.

Fornicatio simplex lege naturali est prohibita.

Fornicationem simplicem esse malam Ethnici non putabant; nonnullique Auctores existimarunt, illam fuisse peccatum tantummodo post Hierosolymitani Concilii prohibitionem, cum Apostoli fidelibus præceperunt, ut a fornicatione abstinerent (*a*). At certum est etiam in veteri lege

---

rem ducendæ, abductione consistit, etiamsi venereus actus interceserit nullus: ille vero explendæ libidinis causa contingit, nec semper matrimonii contractus aut promissio ei jungitur; utut sæpe ambo simul concurrant.

(*a*) Opinionem istam e Christiadum scholis eliminatam voluit Innocentius XI. hanc num. 48. damnans propositionem: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Huic addi potest alia ab Alexandro VII. reprobata: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Est num. 25. Qui cum eadem persona frequenter fornicatur, licet eam sua in domo continuo non habeat, concubinarius dicitur, nec prius absolvi potest, quam pellicem dimiserit; Unde & hanc idem Alexander prohibuit: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium affice-*

lege fuisse a Deo expresse prohibitam; etenim Deuteronomii capite vigesimotertio sic legimus: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel:* & capite vigesimo secundo: *Si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui; & auferes malum de medio tui.*

Sanctus Thomas docet, simplicem fornicationem naturaliter esse prohibitam, quod ita probat: *Peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris & fœminæ, quod*

---

afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. Num. 41. Hic quoque notanda alia propositio ab Innocentio proscripta: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Est num. 61. Nonnullas huc spectantes jam supra (*Part. 1. pag. 226.*) adduximus. Remedia contra fornicationis spiritum suppetitata Parte eadem (*pag. 270. & seq.*) vide. Hoc loco solum animadvertere Confessarius debet, ne umquam impurum expellere spiritum nitatur, antequam acedioso tempori, quo plerique fornicarii, ac concubinarii laborant, mederi fategerit. Compendiosam curationis methodum Parte 1. (*pag. 288.*) invenies.

quod in eis non eſt vagus concubitus. Manifeſtum eſt autem, quod ad educationem hominis non ſolum requiritur cura matris, a qua nutritur, ſed multo magis cura patris, a quo eſt inſtituendus, & defendendus. Et ideo contra naturam hominis eſt, quod utatur vago concubitu. Et inde eſt quod naturaliter eſt maribus in ſpecie humana ſollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus. Nec obſtat, ſi aliquis fornicando aliquam cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione; quia id, quod cadit ſub legis determinatione, judicatur ſecundum id, quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere (2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 2.).

Porro etſi naturæ lege non eſſet prohibita fornicatio, evangelica tamen lege prohibetur. Ideo Apoſtoli in primo Hieroſolymitano Concilio hanc prohibitionem pro fidelibus renovarunt.

Fundamentalis ratio eſt, quia Chriſtiani per Baptiſmum Dei & Spiritus ſancti templum ſunt; inquit enim ſanctus Paulus: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis* (1. *Cor.* 3.)? Templi hujus ſanctitatem violat fornicatio; ideo mala eſt, tantumque mala, ut ſubdat Apoſtolus: *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.*

Neque ſolum Dei & Spiritus ſancti templum ſunt Chriſtiani; verum etiam corpus & membra Chriſti.

Christi. Idcirco Apostolus, ut fornicationis enormitatem declararet, ait: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Præcipuus Christiani honor profecto est corporis Filii Dei membrum esse. Numquidnam ergo tam sancto corpori, tam sanctis membris atrociorem inferre potest injuriam, quam si meretricis membra faciat? *Si ergo unusquisque* (inquit sanctus Augustinus) *cupiens fornicari vilescat sibi, & in se contemnat seipsum, saltem non in se contemnat Christum. Non dicat, Peccabo, infirmus sum, & omnis caro est sanum; sed dicat sibi, Corpus tuum est membrum Christi. Quo ruis, quo te præcipitem conjicis? Parce in te Christo, agnosce in te Christum. Parum illi fuit fratres suos nos facere; fecit & sua membra. Itane tanta dignitas viluit, quia tam benigne præstita est? Corpora nostra membra sunt Christi: corpora nostra propter inhabitantem Spiritum sanctum templum sunt Spiritus sancti. Quid horum in te contemnis? Christum, cujus membrum es, an sanctum Spiritum cujus templum es?* Christianorum nemo non exhorrescat, si videat pollui Ecclesiam, quæ ædificium est lapidibus constructum, & Episcopi benedictione Deo consecratum; non autem in seipso polluere verebitur Dei templum, quod & Baptismi sacramento, & Spiritus sancti unctione consecratum est?

Ut sacrilegii hujus magnitudinem declaret Apostolus, ait: *Omne peccatum, quodcumque fece-*

fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat (1. Cor. 6.). Græcus textus habet: εἰς τὸ ἴδιον σῶμα, *in proprium corpus*, quod emphaſim majorem continet. Peccata alia quædam corpus pariter deteſtare videntur, veluti ebrietas; ſed nullum æque animum opprimit, mentemque excæcat, ac fornicatio. Luxuriæ vis ea eſt, ut corpori ſpiritus miſceatur, illique adhæreat, quaſique fiat corporeus, & ad ſua obeunda munera ineptus: ejus lumen pene eſt extinctum, nihilque jam præter peccati ſui actum cogitare poteſt: quod in nullo fere alio peccato contingit, cætera ſiquidem in ipſo etiam peccandi actu menti permittunt, ut alia ſimul cogitet.

Tamquam Chriſti membra fideles ejus carne in Euchariſtia veſcuntur; & qui eorum eſt vita, cibus etiam eſt in hoc Sacramento. Quid autem divino huic cibo adverſum magis eſſe poteſt, quam fornicationis ſordes? Hanc igitur veluti ſummum malum, quod ipſi obvenire poſſit, fugere debet Chriſtianus juxta præceptum Apoſtoli: *Fugite fornicationem. Corpus non fornicationi, ſed Domino. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro* (1. Cor. 6.). *Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos* (*Epheſ.* 5.). Sanctum eſt Chriſtiani corpus, & membrorum ſuorum uſus ſanctus eſſe debet; ejus propterea lingua turpia verba non debet loqui, multoque minus totum ſuum corpus impuritatis actum ullum patrare.

CAPUT

CAPUT V.

Adulterii malitia, ac damna.

Adeo Reipublicæ bono inimicum eſt adulterium, ut nulla ſit natio tam barbara, quæ gravibus illud ſuppliciis non punierit. Adulteros Ægyptii mille flagri ictibus mulctabant, adulterisque mulieribus naſum amputabant. Omnibus permiſit Solon, ut hominem in adulterio deprehenſum occiderent. Adulteram antiqui Saxones cogebant, ut ſe laqueo ſuſpenderet, & in ardentem rogum conjectam una cum adultero cremabant. Leges ſeveriſſimas in adulteros Romani Imperatores ediderunt. Aurelianus adulteros manibus pedibusque duarum arborum ramis vi ſimul junctis ligari jubebat, ut diſſidentibus poſtea invicem ramis illi medii ſecarentur. Cum novus Orbis detectus eſt, nulla reperta eſt natio, quæ adulterium non abominaretur, nec morte puniret. Verum, ut ait ſanctus Auguſtinus: *Non ideo adulterium malum eſt, quia vetatur lege; ſed ideo vetatur, quia malum eſt* (*de liber. arbitr. lib.* 1. *capit. ultim.*).

Hoc peccato civilis turbatur ſocietas, pueros enim familiis inſerit, qui illorum non ſunt filii, quibus tamen ſuccedunt: inter maritum & uxorem concordiam adulterium ſolvit: maritos ſæpe ad occidendas uxores impellit, uxoribusque perſuadet, ut viris ſuis necem parent; exemplaque hæc tragica quotidie intuemur. Prima naturæ lex hæc eſt: Quod tibi fieri non vis

vis, alteri ne feceris. Quis autem maritus thorum ſuum violari cupiat? Quomodo igitur alterius thorum audeat violare? A mundi origine Deus matrimonium inſtituit, tamquam ſanctam viri & mulieris ad gignendos liberos conjunctionem. *Adeſt*, (inquit ſanctus Ambroſius) *præſul conjugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat. Vicem abſentis mariti tuetur, ſervat excubias, imo ſine excubiis deprehendit reum, antequam faciat, quod paraverat; in animis ſingulorum, in mentibus univerſorum omnem agnoſcit: & ſi maritum adulter fefelleris, non falles Deum; & ſi maritum evaſeris, & ſi fori judicem luſeris, non evadis Judicem totius mundi.*

Horribile præcipue crimen eſt adulterium apud catholicos, qui credunt matrimonium eſſe juxta Apoſtolum *magnum Sacramentum in Chriſto, & in Eccleſia* (*Epheſ.* 5.). Græcus textus, qui habet εἰς Χριστὸν, καὶ τὴν ἐκκλησίαν, *in Chriſtum, & in Eccleſiam*, rationem magis explicat, propter quam magnum eſt hoc Sacramentum, videlicet, quia viri & uxoris conjunctio divinam Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem ſignificat; hinc abominandum opus eſt, quod hujus figuræ puritatem corrumpit. Quamobrem cathecumenos alloquens ſanctus Ambroſius ait: *Diſcite, qui ad gratiam baptiſmatis tenditis, velut quidam fidei candidati, continentiæ diſciplinam ſobriam: nulli liceat ſcire mulierem præter uxorem. Ideo conjugii jus tibi datum eſt, ne in laqueum incidas, & cum aliena mulie-*

re delinquas. Quomodo uxoratis incontinentia cum extraneis licebit, cum hæc inter ipsos vetita sit? sanctus enim Augustinus intemperantem maritum uxori suæ quodammodo adulterum esse affirmat. Duobus primis Ecclesiæ sæculis ad publicam pœnitentiam adulteri non admittebantur, tantus tunc erat peccati hujus horror. Propterea vero a catholica Ecclesia magnus Tertullianus descivit, quia ævo suo adulteros ad pœnitentiam Zephirinus Papa admisit.

Plurium hominum mentem deplorandus error occupat, videlicet leve a marito peccatum committi, si adulteret; enorme vero ac severe puniendum ab uxore patrari, si mœchetur. Diligenter igitur doceant Parochi, dum Præceptum hoc explicant, nullum maritum inter & uxorem quoad hoc peccatum esse discrimen, atque amborum æqualem esse obligationem sibi invicem fidem servandi, Deumque contra violatores æque esse animadversurum. Egregie sanctus Augustinus de hoc argumento differens ait: *Sed cum eis dicimus, non solum nihil volunt detrahere severitati, sed irascuntur insuper veritati, & loquuntur atque respondent. Sed nos viri sumus. An vero sexus nostri dignitas hanc sustinebit injuriam, ut, cum aliis fœminis præter uxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt; quasi*

quasi non propterea minus debeant lascivienti carni servire, quia viri sunt. Attamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet virtute vincere, & exemplo regere fœminas? Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt: Caput mulieris vir. Ubi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere. Et ideo cavendum viro illuc ire vivendo, qua timet, ne uxor sequatur imitando (*de adult. conjug. cap.* 8.).

Idem sanctus Doctor Imperatoris Antonii legem postea affert, quæ prohibet, ne maritus uxorem adulterii accuset, si ipse adulterandi ei præbuit exemplum, ostenditque quam justa sit ista lex, inquiens: *Habebunt autem ante oculos inquirere, an, cum tu pudice viveres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet.* Deinde subdit: *Non igitur exhorreant viri, quod adulteræ Christus ignovit, sed potius cognoscant etiam periculum suum, & simili morbo laborantes ad eumdem Salvatorem supplici pietate confugiant; & quod in illa factum legunt, etiam sibi necessarium esse fateantur: adulteriorum suorum medicinam suscipiant; adulterare jam desinant; laudent in se Dei potentiam, agant pœnitentiam, sumant indulgentiam, mutent de pœna fœminarum & de sua impunitate sententiam.*

CAPUT VI.

Adulterii peſſimæ ſequelæ.

Novi quidam Caſuiſtæ docere auſi ſunt, adulterium nullum committi, ſi conſentiat maritus, ut uxor ſua cum altero concumbat; adulterium enim, ajunt, proprie eſt juris uſurpatio, quod ad maritum ſpectat, & quod alteri cedere poteſt: hinc cum marito conſentienti nulla fiat injuria, peccatum hoc ſimplex eſt fornicatio (*a*). Hæc doctrina damnatur ab Evangelio, ab omnibus ſanctis Patribus, a cunctis Canonibus, civilibusque Legibus, ubi nusquam hæc reperitur diſtinctio. *Mulier* (ait ſanctus Paulus 1. *Cor. 7.*) *ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir;* quæ illi poteſtas a Deo eſt tradita, ut illa ad humani generis propagationem utatur, vel in ſuæ concupiſcentiæ remedium, quam propterea poteſtatem alteri nullo pacto cedere poteſt. Etenim hominum propagatio ea lege facienda eſt, quam Deus ſtatuit, nimirum a perſonis matrimonio junctis, quæ conjunctione hac non ſolum filios gignant, ſed etiam recte alant, pieque inſtruant. Adulterium etſi a marito permiſſum huic fini opponitur, æque ac fornicatio; etenim pueri, qui inde naſcerentur, deſererentur a marito, qui, an ſui eſſent, ignoraret. Nec interim maritus concupiſcen-

(*a*) *Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium: adeoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.* Eſt 50ma. inter damnatas ab Innocentio XI.

cupiſcentiam ſuam extingueret, ſed illius, cui uxorem ſuam cedit; ipſe vero ad aliam ſibi quærendam fœminam a concupiſcentia ſua tentaretur. Nec iſta juris ſui ceſſio efficeret, quin Sacramenti ſanctitas violaretur; ac proinde ſpeciale peccatum fieret fornicatione ſimplici enormius. Expreſſe id tradit ſanctus Thomas hæc Eccleſiaſtici verba explicans: *Omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit* (2. 2. *quæſt.* 44. *art.* 8.). Verum quæſtionem hanc decidit Eccleſia ſpeciales pœnas ſtatuens in maritos, qui uxoribus ſuis mœchari permittunt. En Canones: *Uxor conſcio viro mœchata, nec in obitu quidem communicabitur. Si quis conjugem fornicari conſenſerit, diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit, arbitrio prudentis Sacerdotis.* Has enim tam ſeveras pœnas Eccleſia non ſtatuit, niſi ob adulterii enormitatem; levioribus ſiquidem pœnis fornicationem ſimplicem punit. Iſta novorum Caſuiſtarum opinio familias turbat, dum illegitimos illis hæredes injuſte inſerit: maritatam mulierem cum illis bonis collocat, quæ poteſt poſſeſſor pro libitu alteri cedere: adulterio peculiarem malitiam eripit, propter quam amplius mulierum odium meretur, & ab aliis luxuriæ ſpeciebus diſtinguitur. Denique civiles leges mulierem adulterii convictam male punirent, quando adulterio ſuo maritum conſenſiſſe probare poſſet.

Inter majora mala, quæ ex adulterio promanant, illud eſt, filios legitimos a ſucceſſione ſibi debita repelli, ut ſpuriis ipſa tradatur:

cui malo difficillimum est mederi. Id enim fieri nequit, quin crimen suum mulier detegat, quod vix ulla facile præstabit; & pauci admodum casus sunt, in quibus adultera crimen suum fateri teneatur.

Docent communiter Doctores, si mulier specialia bona possideat, de quibus possit disponere, filiis legitimis hæc esse tribuenda, ut illatum illis damnum sarciatur. Alii docent, debere ipsam illegitimis liberis persuadere, ut Religionem aliquam ingrediantur: id vero intelligendum est de simplici exhortatione, non de vi, neque de re ulla, quæ vim sapiat. Si manuum suarum opere, & labore potest aliquid acquirere, hæredibus hinc satisfaciat, qui successionis jacturam patiuntur. Auctores aliqui, veluti Sotus, Hadrianus, & Major dicunt, teneri ipsam crimen suum patefacere, si hæreditas infamiam superet, aut æquet, attenta conditione personæ, quæ tam vilis esse potest, ut nulla ejus habenda sit ratio. Innocentius, Panormitanus, Hostiensis, Gabriel, Sylvester, aliique Theologi docent, si mulieris vita in discrimen adducatur, ipsam non teneri crimen suum patefacere; adduntque, si de ingenti hæreditate ageretur, veluti de successione ad Principatum, teneretur ipsa etiam cum vitæ discrimine crimen suum detegere. Adultera honorem suum mœchando vere amisit, ut Theologi isti ajunt. Nonne igitur æquum est, ut coram hominibus infamis ipsa evadat? An vero ut infamiam publicam evitaret, licitum ipsi foret

Prin-

Principatum, vel ingentem hæreditatem legitimis hæredibus eripere? Nonne publica utilitas privatæ debet anteferri? Si vero mulierem criminis sui vere pœniteat, privatamne infamiam suam tanti æstimet; an contra eamdem humiliter ferat?

Adulterinus filius credere non tenetur matri suæ, quæ ipsum illegitimum asserat; si vero illi credat, hæreditatem debet restituere, exceptis fructibus bona fide consumptis.

Idem restitutionis onus, quod adulteræ; adultero etiam injungitur, qui hæredibus, aut marito expensas pro alendis spuriis factas debet restituere. Quod verum est, si adulter certus sit spurios fuisse a se genitos; nam si dubitaret propter matris infamiam, quæ cum pluribus solita fuit peccare, restituendi onere adulter levaretur.

Si mulier, aut vir pueros suos Hospitali tradat, ubi alantur; tenentur alimentorum expensas Hospitali restituere.

At tam ægre hæ fiunt restitutiones, ut vix unus aut alter easdem præstet. Satius igitur est hoc vitare peccatum, quod mala gignit, quibus mederi vix aliquis potest.

CAPUT VII.

Divortium parti pars adultera tenetur.

Divina lex, quæ a maritis adulteras uxores occidi prohibet, eas dimittere, & quoad habitationem ab iis recedere viris permittit. Id

expreſſe tradit Chriſtus apud ſanctum Matthæum: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat* (*cap.* 5.). Duo nos docet hic textus: primo, fornicationis cauſa, ideſt propter uxoris adulterium licere marito illam dimittere: deinde, quamvis ex hac cauſa uxor ſit dimiſſa, qui illam ducit, adulterat; ex quo infertur matrimonium quoad vinculum ſubſiſtere, non enim ſine matrimonio adeſſe poteſt adulterium. Hanc exceptionem ſanctus Marcus & ſanctus Lucas non afferunt. Sanctus Marcus abſolute dicit: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur* (*cap.* 10.). Apud ſanctum Lucam Chriſtus ait: *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur* (*cap.* 16.). Hinc Doctores noſtri adverſus hæreticos recte inferunt, propter adulterium matrimonii vinculum non ſolvi, ſed tantummodo divortium permitti.

Moderni hæretici aſſerunt, adulterio matrimonium diſſolvi; ſed hic quoque ipſorum erroribus enumeratur. Contra Eccleſia in Tridentina Synodo congregata docet eſſe *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum* (*Seſſ.* 24. *cap.* 1.); additque adverſus hæreticos: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit, & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii*

nii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit; & eam, quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit (*can.* 7. & 8.).

Divortii propter adulterium faciendi facultas par est in viro, & in uxore, quamvis rarius uxor a marito divortium petat. De utroque Apostolus Paulus loquitur inquiens: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, & vir uxorem non dimittat* (1. *Cor.* 7.) idest sine legitima causa. Sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, & Innocentius I. idem docent, quos ingens Doctorum numerus sequitur, nec in hoc ulla adest præscriptio.

Divortium quoad thorum absque judicis sententia fieri potest; verum pro divortio quoad habitationem requiritur sententia, quia hæc est causa publica, quæ scandalum creare potest, nisi constet de adulterio.

Quatuor autem ex causis non permittitur divortium propter adulterium: 1. Si adulterium absque peccato fuit commissum, veluti cum fœmina per vim violatur, vel cum alio coit, quem maritum suum putat, vel cum maritum mortuum putans iterum nubit. 2. Si utrique, ma-

ritus videlicet & uxor, ejusdem criminis rei sunt. 3. Si postquam adulterium novit, maritus cum uxore concubuit. 4. Si maritus uxorem prostituit; hoc enim casu maritus ipse adulterii fit reus. Si vero uxor mariti sui adulterio esset consentiens expresse, propter eamdem rationem divortium facere non posset: sed si solum non impedit, suum ipsi jus manet, quia uxor viri sui peccata arguere non audet, nec debet utpote inferior corrigere. Propterea uxoris silentium pro consensu haberi nequit.

Si uxorem maritus a se repulisset, atque alimenta eidem negaret, illa vero adulterium deinde committeret; posset nihilominus maritus divortium facere, cum nulla paupertas hoc crimen possit excusare: excipe, si maritus talia eam pati voluisset, ut ad peccandum impelleret; hoc enim casu divortium petere non potest (*D. Thom. in* 1. *ad Cor. art.* 7.).

Alterutrius conjugis sodomia jus pariter ad faciendum divortium præbet; abominandum enim hoc peccatum conjugum carnem dividit, & matrimonii fidem, sanctitatemque violat: hæc ratio est (inquit sanctus Thomas *qu.* 4. *dist.* 95.) quæ proprie divortii faciendi jus tribuit, magis quam pœnalis lex, qua Canones adulterium puniunt. Idem docent sanctus Hieronymus, Theologi plerique, & Casuistæ meliores. Idem quoque dicendum est, si uxore sua hoc modo abuti maritus niteretur. Auctor enim Commentarii in sancti Pauli epistolas, qui inter sancti Ambrosii opera legitur, in caput septimum epi-

stolæ

stolæ ad Corinthios perspicue ait: *Si apostatet vir, aut usum quærit uxoris intervertere, nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum.* At subdunt Doctores id esse intelligendum, si se maritus nolit corrigere; & hoc quoque casu ad tempus dumtaxat faciendum esse divortium, non vero perpetuum. Eadem doctrina traditur de bestialitate, quæ jus divortii præbet.

Mulierem adulteram leges civiles hac pœna puniunt, ut dotem amittat; quam læsus maritus acquirit; hanc tamen non acquireret, si uxorem in adulterio deprehensam occideret, namque, ut lex ait, *qui propria auctoritate jus sibi dicit, etiam lege permittente legale commodum minime consequitur.* Mulier quoque propter mariti adulterium donationem nuptiarum causa factam lucratur; judicis tamen sententia requiritur, qua hæc pœna est declaranda.

Quoad leges civiles, & jus Romanum, adulterii compensatio inter conjuges locum habet; hinc maritus adulterii reus uxoris suæ dotem non potest lucrari, nec uxor adultera donationes nuptiarum causa factas lucrari potest, *paria enim delicta mutua compensatione dissolvuntur* (L. *viro atque uxore*, ff. *de solut. matrim.*).

Pars innocens matrimonii debitum non tenetur solvere adulteræ, cum eidem de adulterio constat, etsi nondum judicis sententia adulterium declaratum est; hæc enim jure naturali matrimonio apposita est lex, ut servanti fidem fides servetur. Maritus adulter uxorem innocentem ad reddendum debitum non potest cogere; nec adultera uxor maritum innocentem.

CAPUT

CAPUT VIII.

Remedia adulteris fœminis ſuggerenda.

Rationes præcipuæ quibus in adulterio deteſtando uti poſſunt Confeſſarii, hæ ſunt, 1. Dei præceptum, qui adulterium prohibet: 2. Pœna temporalis, qua in veteri Lege puniebantur adulteri; ſic enim legitur in Levitico: *Morte moriantur & mœchus & adultera* (*cap.* 20.). Abimelech Ægypti Regem Deus puniit, quia uxorem Abraham abſtulerat, quamvis hanc Abrahæ uxorem eſſe ignoraret (*Geneſ.* 20. 3.). Davidem quoque ſevere puniit propter adulterium, quod cum Berſabea commiſerat (2. *Reg.* 24.). In Proverbiis ait Sapiens: *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam* (*Prov.* 6.). In Sapientia legitur: *Filii adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen eradicabitur; & ſiquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus eorum; & ſi celerius defuncti fuerint, non habebunt ſpem, nec in die agnitionis allocutionem* (*Sap.* 3.). Domeſtica quoque mala ſunt exponenda, quæ ex adulterio plerumque proficiſcuntur, videlicet mutuum odium virum inter & uxorem, ſuſpiciones mutuæ, contra alterius vitam inſidiæ, bonorum diſſipatio, malum filiis exemplum, proximo ſcandalum. Chriſtiani matrimonii ſanctitas eſt declaranda, quod Chriſti cum Eccleſia conjunctionis eſt figura, unde peculiaris Chriſtianis conjugibus

bus non frangendi fidem obligatio oritur, quemadmodum nec Ecclesiæ Christus, neque Christo Ecclesia fidem umquam fregit.

Ad impediendum adulterium illud Apostoli præceptum mulieribus est inculcandum: *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona* (1. *Timoth.* 2.). Quæ se ornandi tam est sollicita, se emptoribus videtur exponere; qui heu nimium frequentes adsunt, & capiunt incautas. Non tamen omnem sui cultum debent negligere; id enim publicam honestatem læderet, ipsasque ingratas maritis faceret: sed valde invicem distant honestus cultus, & fastus. Præterea periculi sunt admonendæ, quod illis imminet, si familiariter nimis cum viris versentur, venustis præcipue, ornatisque, qui illarum facilius fidem tentare possunt. Munera suscipere non debent, præsertim pretiosa; sunt enim hæc veluti arrhæ quædam. Otium fugiant, & familiæ suæ curam gerant: nulli matrifamilias licet domesticorum suorum curam negligere, cum plebeæ, tum nobilis fœminæ hoc est officium. Orationi vacent, sed pie, non oscitanter, ut pleræque solent. Sacramentorum frequentia optimum est remedium, si devote suscipiantur. Utilis quoque est piorum librorum lectio, qui veram solidamque pietatem docent. Romanenses fabulæ procul arceantur, quarum lectio nociva præcipue est ado-

adoleſcentibus ac puellis, dum enim tam concinne & apte depicta vitia conſpiciunt, vix mentem, animumque a pravis cogitationibus, affectibusque cohibere queunt.

CAPUT IX.

Remedia adulteris viris ſervientia.

Ad viros ab adulterio coercendos plurimum juvabit ſancti Auguſtini textus, allatus capite ſuperiori præter peculiares rationes, quæ a perſonis peti poſſunt, a ſanitate vel negotiis, quæ per adulterium in præceps prolabuntur.

Illud vero præcipue eſt animadvertendum, nihil leve eſſe, ubi de caſtitate agitur. Ne ſibi igitur quiſquam blandiatur, ſuſpectos tactus deviteț; oſcula neque det, neque accipiat; neque dicat, nullam adeſſe carnalem voluptatem, ſe morem ſequi, ne ruſticus aut inurbanus appareat, ſolumque in his aliquid eſſe levitatis. Novi quidam Caſuiſtæ hanc doctrinam tradunt; ſed ſufficit naturalis honeſtas ad illam confutandam. Delicatus flos eſt caſtitas, qui non ſolum perit, ſi ſuccidatur; ſed tactu ipſo, vel halitu pulchritudinem ſuam amittit.

Dei Filius hoc nobis expreſſe dedit præceptum: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam* (*Matth.* 5.). Hoc loquendi modo nobis præcipit, ut omnes

pen-

penitus peccati mortalis occaſiones amputemus, noſtrum quodcumque commodum, utilitatem, aut voluptatem poſthabentes. Quomodo igitur hi Caſuiſtæ dicere audent, licere homini domi ſuæ detinere mulierem, cum qua ſolitus eſt peccare; ſi illam domo expellens in nimiam triſtitiam incideret, ſi alia famula non tam gratas pararet dapes: & ſatis eſſe ſi promittat, ſe non amplius cum illa peccaturum? Caſuiſta alius docet, ſi quis cum famula peccet, non teneri hanc domo expellere, dummodo ſemel aut bis tantum in hebdomada cum illa peccet. Nonne omnem honeſtatis, pudoris, & religionis ſenſum amiſit, qui, ut peccandi occaſionem retineat, parvam vitæ voluptatem, vel guſtum, aut commodum æternæ ſaluti præfert? Si vera eſſet horum Caſuiſtarum doctrina, non debuiſſet dicere Sapiens: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta ejus non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cum tetigerit eam* (*Prov.* 6.). Debuiſſet dicere ſanctus Paulus, Pugnate adverſus fornicationem; non autem, *Fugite fornicationem.*

Hæc Apoſtoli verba explicans ſanctus Thomas, ait: „ Cætera peccata pugnando vinci, „ quia quo propius ſpectantur, eo noſtra cura „ & amore indigna magis conſpiciuntur; forni„ cationem vero ſola fuga vinci, quia quo pro„ pius hoc peccatum aſpicitur, eo vehementius „ tentamur, & inflammamur “. Poſt originale

nale peccatum corpus noſtrum eſt veluti ſulphur, qui facillime ignem concipit; omnisque removenda eſt favilla, ne ardeat. *Contra libidinis impetum*, ait ſanctus Auguſtinus, *apprehende fugam, ſi vis habere victoriam.*

Non ſunt igitur ii abſolvendi, qui mulieres, cum quibus peccare ſolent, apud ſe detinent, quantumvis ſe cum illis non amplius peccaturos promittant; ſed ad illarum expulſionem ſunt compellendi, antequam abſolvantur. Etſi enim verum ſit eorum non peccandi propoſitum; attamen huic fidere neque pœnitens, neque Confeſſarius prudenter poteſt; ſiquidem *Qui amat periculum, peribit in illo (Eccleſ. 3.)*: fragilia vero & caduca hæc propoſita eſſe, experientia quotidiana oſtendit.

Egregie de hac re loquitur ſanctus Auguſtinus, cujus textum integrum afferre hic liber: *Non dicunt, bono animo attendi, benigne attendi, de caritate diu aſpexi. Proponunt ſibi caſum David, & ad hoc illum magnum vident cecidiſſe, ut parvi nolint videre, unde poſſint cadere. Reprimunt enim oculos a petulantia, non ſe facile adjungunt, non miſcent ſe mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena meniana, ad aliena ſolaria. De longe enim vidit David illam, in qua captus eſt. Mulier longe, libido prope; alibi erat, quod videret, in illo unde caderet. Attendenda ergo eſt infirmitas carnis, attendenda ſunt verba Apoſtoli: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non dixit, non ſit, ſed non regnet. Ineſt peccatum cum delecta-*

lectaris, regnat si consenseris. Carnalis delectatio, præsertim usque ad illicita & aliena progrediens, frænanda est, non relaxanda; imperio damnanda, non in imperio collocanda. Attende securus, si non habes unde moveris. Sed tu respondes: Fortiter tero. Numquid tu fortior David? Dixi enim, quod nec David fortior, nec Salomone potes esse sapientior (in Psalm. 50.). Et alibi sic ait: *Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur & timetur. Et ideo nemo se falsa securitate decipiat, nemo de suis viribus periculose præsumat; sed audiat Apostolum dicentem: Fugite fornicationem (de Honest. mulier. cap. 2.).* Illis quoque, qui negotium aliquod, vel artem exercent, in quibus sæpius peccarunt, & prudenter timent ne imposterum peccent, præcipiendum est, ut negotium illud, artemque deserant; animæ namque salus cæteris omnibus est anteferenda.

Neque vero licet peccandi periculo se exponere, ut procuretur proximi salus; exempli gratia meretrices invisere, ut convertantur, præcipue si propter illas quis aliquando peccavit. Heroica hæc caritatis opera non ab omnibus Deus requirit. Oportet ut qui hæc agenda suscipiunt, Dei spiritu ducantur, qui illos roborat, & inter flammas servat illæsos: contra illos juste deserit, qui nimium viribus suis fidunt, & imprudentis zeli sui motus inconsulto sequuntur.

CAPUT X.

Canonicæ contra ſexti Præcepti violatores Pœnæ.

Si Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat hoc modo: ſcilicet, quod ſit incluſus ſive a cæteris in aliquo loco remotus: ſacco indutus, & humi proſtratus miſericordiam Dei jugiter implorans: primis tribus menſibus continuis a veſpera in veſperam pane & aqua utatur, exceptis dominicis diebus, & Feſtis præcipuis; in quibus modico vino, piſciculis, & leguminibus recreetur. Elapſis autem ſic tribus primis menſibus de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum ſcandalizetur. Poſt hoc reſumptis viribus aliquantulum unum annum, & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis, & aliis præcipuis Feſtis, in quibus vino, ſanguine, ovis, & caſeo poterit uti. Finito ſic primo anno, & dimidio particeps ſit corporis Dominici, & ad pacem veniat, & ad Pſalmos cum aliis fratribus in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat, ſed minorum tantum ordinum officia gerat. Deinde usque ad completorium ſeptimi anni tres legitimas ferias, ſcilicet ſecundam, quartam & ſextam, exceptis diebus paſchalibus, qui ſunt quinquaginta, in pane & aqua jejunet: ſecundam tamen feriam uno Pſalterio, vel denario, ſi ſit operarius, redimere poterit. Et ſic cum ſeptimum annum compleverit, poteſt eum Epiſcopus

ad

ad gradum priſtinum revocare: ita tamen, ut in tribus ſequentibus annis ſine ulla redemptione omni ſexta feria in pane & aqua jejunet (*Can. pœnitent.* 1.).

Si Presbyter cognovit filiam ſuam ſpiritualem &c. debet pœnitentiam agere duodecim annis, & etiam debet deponi, ſi crimen ſit manifeſtum: & peregrinando quindecim annis pœniteat, & poſtea monaſterium intret, tota vita moraturus ibidem. Epiſcopus vero, qui talia commiſit, pœniteat quindecim annis. Ipſa vero mulier debet omnia relinquere, & res ſuas pauperibus dare, & converſa usque ad mortem in monaſterio Deo ſervire (*Can.* 2.).

Qui cognoſcit duas conmatres, vel ſorores, ſive uxor vivat ſive non, ad minus ſeptem annis pœniteat, licet plus deberet (*Can.* 5.).

Qui cognoverit monialem ſive devotam, decem annis pœniteat, & ſimiliter ipſa (*Can.* 6.).

Qui ignoranter cognoſcit duas ſorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem pœniteat ſeptem annis; ſi autem ſcienter, perpetuo privetur conjugio (*Can.* 8.).

Qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, pœniteat quinque annis (*Can.* 8.).

Qui contra naturam peccavit, ſi ſit clericus, debet deponi, vel Religioni tradi, ſi corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam; ſi vero ſit lajcus, a cœtu fidelium usque ad condignam ſatisfactionem debet fieri alienus (*Can.* 9.).

Qui coierit cum brutis, pœniteat plus quam ſeptem annis: & ſimiliter pro inceſtu (*Can.* 10.).

Qui votum ſimplex violaverit, pœniteat tribus annis (*Can.* 12.).

Pro adulterio, pro pœnitentia dantur ſeptem anni, & ſimiliter pro fornicatione: licet non ita, ut aſpera pœnitentia injungatur (*Can.* 45.).

Qui uxorem adulteram cognoſcit, antequam pœniteat, tribus annis pœniteat (*Can.* 47.). Quomodo autem pœnitentia injungenda ſit mulieri partum alterius ſupponenti, vel etiam de non ſuo viro concipienti habetur lib. V. cap. *Officii. De Pœnit. & Remiſſion.*

Leges civiles maritum morte non puniunt, qui uxorem in adulterio deprehenſam occidit. At leges eccleſiaſticæ id vetant, quamvis maritus quandoque peccatum mortale forſan non committat, propter hujusce injuriæ atrocitatem, quæ mentem adeo turbat, ut deliberationem auferat. Longobardorum morem, qui uxores ſuas in adulterio deprehenſas occidebant, Nicolaus Papa improbans ait: *Eccleſia mundanis iſtis legibus non conſtringitur.* Stephanus Papa maritum, qui uxorem ſuam propter adulterium volebat occidere, epiſtola ab hoc facinore dehortabatur. Canones pœnitentiæ illos ſubjiciunt, qui id faciunt. Ratio eſt; quia adulteram hoc in caſu occidens mortalis peccati probabiliter ream occidit, ipſiusque damnationis cauſa eſt. Præterea nemo in propria cauſa æquus eſſe judex poteſt;

potest; Magistratus enim sunt constituti, qui adulterii crimen puniant (*a*).

Porro mariti cum adultera uxore reconciliatio, & admissi adulterii venia nec adeo difficilis est, nec adeo probrosa, ut putatur; non enim dubitamus peccatorum nostrorum veniam quotidie a Deo petere. Sic autem pœnitentem adulteram maritus recipiat (ait sanctus Augustinus *lib. 2. de adulter. conjug. c. 14.*) *non ut post viri divortium adultera revocetur; sed ut post Christi consortium adultera non vocetur.*

(*a*) Hinc Alexander VII. ceu erroneam, ac crudelem istam damnavit propositionem: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Num. 19.

TRACTATUS II.

DE

SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

SECTIO I.

DE

JURE, ET DOMINIO.

CAPUT I.

Juris & Dominii præmittuntur notiones.

Antequam furtum rei alienæ ablationem, ac multiplices rapiendi modos exponam; rei propriæ descriptionem, ac varios rem sibi propriam faciendi modos adducete oportet; hinc primitus juris & dominii tradam notiones, hasque dein divisiones sequentur.

Jus legitima aliquid faciendi, impediendi, aut possidendi potestas est, jamque ex lege naturali, jam ex lege positiva suam originem trahit. Ad priorem classem jura parentum, hæredum, contrahentium &c.: ad classem alteram jura Doctorum, Præfectorum &c. reducuntur. Juri *activo* unius jus *passivum* aliorum respondet, videlicet debitum in juris exercitio illum non impe-

impediendi; non enim dum quis jure suo utitur, aliis fit injuria, de qua juste conqueri, aut petere satisfactionem possint.

Duplex adhuc jus videlicet in re, & ad rem a Doctoribus distinguitur. Jus *in re* legitima potestas est in rem jam obtentam, & suam factam, ita, ut hæc, ubicumque detineatur repeti & vindicari actione reali possit: Jus *ad rem* legitima potestas est ad rem obtinendam, & suam faciendam, ita, ut ille, qui eam negat, vel detinet actione personali conveniri, & ad rem tradendam, vel damnum resarciendum compelli per judicem queat. Conditiones ad jus in re necessarias postea expendemus. Non raro contingit, ut unus, qui aliquid possidet habeat jus in re, & alius qui eamdem rem sibi competentem probare aggreditur, jus ad rem habere inveniatur; ex quo facile utriusque juris differentia cernitur.

Dominium est jus disponendi de re tamquam sua in proprium commodum lege permissum. Ultima vocabula ideo sunt addita, quia quidam actus alienationis, commutationis &c. nonnullis dominis uti pupillis, minoribus &c. specialiter sunt interdicti. Ubi itaque expressa legum prohibitio non intervenit rem suam in proprium commodum impendere dominus proprietarius potest; cum econtra dominium jurisdictionis commodum subditorum, non proprium Principis, aut Superioris respiciat. Hæc utriusque dominii differentia ab illis præprimis est consideranda, qui populum propter Principem,

& non Principem propter populum esse, elata clamitant.

Dominium 1. aliud *altum*, quod Principi vel Magistratui in civium bona competit, in quamtum communis necessitas, aut utilitas exigit: aliud *humile* seu *bassum*, quod privati in bona privata habent. 2. Aliud *perfectum*, quod tam ad rei fundum quam illius fructus seu emolumenta se extendit: aliud *imperfectum* quod vel solum fundum, vel sola emolumenta respicit: quod ad fundum refertur *directum*; quod ad emolumenta, dominium *utile* nuncupatur, hujusque species septem numerantur, videlicet: Usus, Ususfructus, Emphyteusis, Feudum, Superficies, Servitus, Possessio.

Usus est jus utendi re aliena salva ejus substantia. Ut si hortum, aut equam ex conducto obtines; mere ibi deambulare, super hanc equitare, non autem fructus aut fœtum tibi appropriare vales; & si res ipso usu non consumatur, illæsam proprietario restituere teneris, nec in alium utendi jus tua sponte transferre potes.

Ususfructus est jus utendi & fruendi re aliena salva illius substantia. Hinc usufructuarius potest colligere fundi fructus, cedere arbores non fructiferas, animalium fœtus sumere, vendere, imo & omnia emolumenta, servato sibi jure, alteri cedere; tenetur tamen fundum &c. in pristino statu servare, animalium minutum numerum reficere, ac alios, prout provinciæ consuetudo fert, sumptus, & tributa præstare.

Emphy-

Emphyteusis est jus utendi & fruendi re immobili sub onere certæ pensionis domino directo solvendæ, idque vel in perpetuum, vel ad certum tempus, aut ad dies vitæ, unius vel plurium. Vides quod emphyteusis sola ad res immobiles restrictione ab usufructu differat.

Feudum est jus utendi & fruendi re immobili, puta agro, pago &c. sub onere fidelitatis, & obsequii personalis domino directo præstandi; quod tamen sæpe certa pensione redimitur, sicque feudatarius ab emphyteuta parum discrepat. Utriusque erga dominum directum obligationem latius Juristæ exponunt, illi præcipue, qui de Jure feudali ex instituto tractant.

Superficies est jus utendi superficie fundi alieni ad ædificandam in ea domum, plantandam vineam, hortum &c., hortique fruendi fructus cum onere certi census annuatim solvendi. Differt a feudo; quia per hoc nædum superficies, sed totus fundus feudatario obtingit.

Servitus est jus utendi, vel fruendi re aliena, aut aliquid circa eam impediendi. *Personalis* est, quæ a persona alteri personæ est præstanda: *realis* quæ a re rei præbetur. Exemplum primæ, si quis usum sui servi concedere alteri tenetur: Exemplum secundæ, si quis per tuum agrum currum, vel pecora ad suum agrum ducendi jus habet. Servitus realis *rustica* dicitur, si prædio rustico: *urbana*, si prædio urbano sit adnexa. Prædium *urbanum* vocatur quodvis habitaculum licet in villa, horto aut

diverſorio ſit: prædium vero ruſticanum quodlibet aliud uti ager, horreum, ſtabulum &c.

Poſſeſſio jam pro actu, jam pro jure poſſidendi jamque pro utroque ſimul accipitur, ac communiter definitur, quod ſit rei detentio corporis, animi, & juris adminiculo facta. *Corpore* res occupatur ac detinetur, dum ipſa res, vel ejus ſignum verbi gratia ſigillum, clavis manu apprehenditur, aut ſolo viſu cominus attingitur, ſive dein quis immediate per ſe ipſum, ſive per procuratorem hoc faciat. *Animo* hæc poſſeſſio continuatur, quamdiu eidem ut ſuæ inſiſtendi intentio retinetur. *Jure* poſſidetur, cum nec perſona ad poſſidere, nec res ad poſſideri incapax in jure declaratur, ſicuti ſæculares res eccleſiaſticas poſſidere, & viæ publicæ a privatis poſſideri legibus prohibentur.

Poſſeſſio alia *naturalis*, qua res corpore & animo detinetur; hocque modo præſentes poſſident: alia *civilis*, qua res ſemel corporaliter poſſeſſa animo & jure retinetur; ſicque æſtimatione civili etiam abſentes poſſident. Omnis poſſeſſio titulo ſive vero ſive colorato nititur, ex quo ipſum poſſeſſionis jus fluit. Titulo vero ac certo nixa *juſta;* colorato, id eſt, in ſe falſo, credito ut vero, fulta, poſſeſſio *bonæ fidei:* titulo dubio innixa, poſſeſſio *dubiæ fidei;* aperte vel probabilius falſo ſuperſtructa poſſeſſio *malæ fidei*, ac injuſta erit. Sed de his iterum.

CAPUT

CAPUT II.

Varii Dominium acquirendi recenſentur modi.

Res non omnes cujusvis hominis ſub dominium cadere poſſunt, quasdam ipſe Deus ſupremus rerum Dominus ſibi reſervavit, nonnullas Reges terræ ſibi per ſpeciales leges vindicant. Ad primam claſſem cœli, ſydera, elementa, præcipue aereum, & igneum, membra, ac vita hominis ſpectant; ad claſſem alteram metallorum venæ, maria, portus, caſtella &c. & id genus alia reducuntur: unde de his ſermo hic nullus erit.

Inter ea, quorum dominium homo etiam privatus acquirere poteſt, quædam nullum umquam habuere dominum, uti feræ, aves, piſces &c.: alia amiſerunt dominum, uti theſauri, & bona derelicta: alia adhuc habent dominum ſed incertum uti res deperditæ: alia denique certo domino ſubjiciuntur, uti domus, villa, ager &c. Hæc vel jure gentium, vel jure poſitivo, vel denique privata contrahentium, aut paciſcentium voluntate tranſire in alterius dominium poſſunt. De ſingulis breviter quidquam dicemus.

Res, quæ *nullum prius habuere dominum*, primi occupantis dominio ſubjiciuntur. Hinc fera in ſylvis non circumſeptis capta cedit dominio capientis. Idem de piſcibus, qui in communibus undis natant, Jus Romanum ſtatuit.

Quodſi

Quodsi Princeps vel Magistratus adversus venantes, vel piscantes pœnam aliquam statuat, hæc post condemnationem est solvenda. Verum si ad privatos spectent aquæ veluti stagna, qui sine domini licentia piscaretur, peccaret, & ad restitutionem teneretur. Simile de sylvis, quas princeps aliis locavit, vel in feudum dedit, aut muris cinxit, judicium esto. Imo si locus esset absque muris, si tamen specialibus legibus jus venandi sibi soli Princeps reservavit, aut alio titulo acquisivit, non liceret feras capere, aut occidere, & sic capiens onus restitutionis contraheret, supposito, quod loci Dominus damna reparet, quæ vicinis feræ inferunt. Quodsi lustri dominus damna, quamvis gravia, quæ feræ colonis intulere, reficere negligat, aut omnino detrectet, absque restitutionis onere occidi feræ possent. Animadvertant itaque Principes, qui sylvas habent, debere se damna resarcire, quæ vicinis bestiæ causarunt. Profecto crudelitas, qua Principes interdum illos puniunt, qui cervum, vel aprum occidunt, christiano homine est indigna. Conferrine potest vita hominis, qui ad imaginem Dei est conditus, & Baptismate ablutus, cum vita feræ, quæ domini solum voluptati, & deliciis servit? Venandi quidem jus ad Principes spectet, illudque tueri liceat, non autem cum jactura subditorum vitæ, quæ ipsis quoque Principibus, si quidquam humanitatis habent, pretiosa esse debet. Nonne summa est injustitia, ne delicias suas Principes perdant, malle rusticos, qui agros suos coluerunt, & per annum integrum laboraverunt,

fame

fame perire, quam æquo animo pati, ut feras occidant, quæ eorum ſegeſtes comedunt (*a*)? Petrus Bleſenſis celeberrimus Auctor, ad Vigornienſem in Anglia Epiſcopum ſcribens egregie ſic ait: *Abſurdum & deteſtabile eſt Eccleſiæ immunitatem violatam intueri, ſacrique Ordinis dignitatem conculcatam, uniceque a Principibus beſtiarum immunitatem curari; triſti homines premi ſervitute, cervos vero, capreolos, damas, & lepores integra frui libertate. Hodie enim funeſta lex non ſolum homines punit, qui feram capiunt, ſed qui cepiſſe ſuſpecti ſunt: membra truncantur, quæ natura ad generandum tribuit, eruuntur oculi, pedes, manusque amputantur, & horrende deformatur homo, quem ad imaginem ſuam Deus condidit.* Hunc deinde Epiſcopum hortatur, ut Regem moneat, civiles has leges ab eo eſſe abolendas, quæ Principes hominibus tam crudeles reddunt, ut feras fer-

(*a*) Licet cum ruſticis, qui a feris damnum vel timent, vel paſſi ſunt, mitius ſit agendum, juſtæ tamen ſunt pœnæ, quibus feripetæ, ſeu venatores clancularii hinc inde affliguntur. Hi enim quibuslibet in ſylvis obvias feras, ſæpe gravidas, trajiciunt, ſua imaginaria venandi jura cum læſione, ac cæde aliorum innocentium tueri intendunt; uxores & liberos timoribus perpetuis, ac extremis tandem calamitatibus exponunt, ſuamque vitam tum temporalem, tum æternam caſui, & fortunæ inſani committunt. In hos proin rigidius animadvertere Confeſſarius debet, nec prius abſolvere, usquedum periculoſæ artis exercitium actu reliquiſſe, poſt notabile temporis intervallum inventi fuerint.

ſervent. Idem Navarrus celebris Caſuiſta docet. Tilletus obſervat, Reges Philippum pulchrum, & Philippum longum teſtamentis ſuis die 17. Maji 1311, & die 26. Auguſti 1321. quandam pecuniæ vim legaſſe ad damna reficienda, quæ vicini ſylvis ſuis incolæ a feris paſſi ſunt. Regium hoc eſt exemplum Regibus imitandum.

Res quæ habuerunt, ſed *jam nullum habent Dominum*, veluti antiqui theſauri in agro abſconditi: qui eas in fundo ſuo invenit, ſibi ſumere cunctas poteſt; ſi vero in fundo alieno fortuito repererit, medietatem ſolum rei inventæ acquirit, aliaque medietas fundi domino cedit. Si non requiſito domino fundi ex induſtria ſit quæſitus theſaurus, & inventus; inventor poteſt expenſas deducere, theſaurus autem totus domini eſt. Repertus arte magica ſive in proprio, ſive alieno fundo, totus ad Fiſcum devolvitur. Hæc de Jure communi. Verum ſi Princeps aut Respublica circa hoc aliam legem ſancivit, ſervanda eſſet, nec poſſet privatus contra illam quidquam ſibi ſumere. Doctores aliqui docent, illum, qui theſaurum in agro abſcondi novit, poſſe hunc agrum emere, nulla theſauri facta mentione, ſicque cum fundo theſaurum poſſe ſibi vindicare. Hanc ſententiam ſancti Thomæ auctoritate tuentur; ſed ſi attente ſanctus Doctor legatur, id non evincitur. Requirit enim ſanctus Thomas 1. *Ut res iſtæ habeantur pro derelictis.* 2. *Ut inventor res iſtas caſu reperiat*, nec ibi eas latere antea ſciverit (2.2. *qu.* 66. *art.* 5.). Profecto emptio iſta bonæ fidei,

fidei, & caritati videtur prorsus contraria; nec venditor jus suum supra thesaurum in agro suo absconditum vendere censetur, nec emptor hanc fraudem in se vellet committi, quam ipse adversus proximum suum adhibet. Porro quoad res derelictas, hæreditates vacantes diversæ Provinciarum leges, ac consuetudines sunt attendendæ.

Res, quæ *aliquem dominum, sed incertum habent,* uti illæ, quas quidam perdidit, aliusque casu invenit, raro in inventoris dominium transeunt. Quæ in locis desertis, aut littore maris sunt inventæ, pro derelictis haberi possunt, adeoque nulli, nisi domino certo, forte comparenti restitui debent. Quæ in viis publicis, aut emptis domibus reperiuntur, veluti thesauri in muris absconditi, legitimo domino restituere inventor tenetur, illumque diligenter inquirere, qui si nequeat cognosci, inventæ res sunt pauperibus distribuendæ (*a*). Quodsi is, qui ista invenit, ipse est pauper, potest juxta necessitatem suam hæc sibi applicare, docti Confessarii consilium secutus. Si postquam pauperibus res est distributa, verus ejusdem dominus detegatur, nulla restituendi obligatio adest, dummodo antea

(*a*) Inventorem quemlibet res inventas sibi servare posse multi docent; hancque praxim rei perditæ domino favorabiliorem esse dicunt, eoquod hic rem suam apud inventorem mansuram præoptet, ut quovis tempore hanc in se, vel in æquivalenti repetere ab illo possit, quod, re semel pauperibus erogata, fere impossibile foret.

tea conveniens habita sit diligentia ad cognoscendum dominum.

Bona, quæ jam *certum, ac notum habent dominum*, alterius domini fieri nequeunt nisi prior dominus titulo vel gratuito, vel oneroso rei proprietatem, sive jus reale libere in alium transferat. Inter titulos *gratuitos* donatio inter vivos, legatum, & quodammodo testamentum recensentur; ad titulos *onerosos* emptio, venditio, permutatio, aliique validi, ac in Jure approbati contractus reducuntur, de quibus late Juristæ agunt, nosque pauca infra attingemus.

Præter contractus adhuc alii, quibus dominium acquiritur, a Doctoribus tituli recensentur, videlicet accessio, commixtio, specificatio.

Accessio fit, dum novus ornatus, vel aliud quid rei, quæ jam prius tua erat, supervenit, eique nectitur. Duplex est: naturalis una, industrialis altera. Accessio *naturalis* fit dum fœtus ex tuo animali prodit, vel dum fluviatili alluvione vix notabili quamtum alteri detrahitur tantum solo tuo accrescit. Quodsi patens sit alluvio, majorque terræ pars tuæ accesserit, hæc sub priori domino manet, nisi avulsa pars ab illo derelicta credatur. Accessio *industrialis* contingit, dum alterius opera quidquam fundo tuo inædificatur, implantatur, inseritur, limeo tuo intexitur, in charta tua scribitur, pingitur. Unde si Joannes tuo in solo bona fide ædificium construat, totum tuum est, ei tamen materiæ pretium, & expensas refundere debes, non enim æquum est, ut cum alterius innocentis detrimen-

to quis locupletetur. Eadem ratio de arbuſtis in tuo ſolo jam radicatis procedit. Mala fide alterius ſolo inædificans pro materia &c. exigere nihil poteſt; niſi forſan abſentis domini negotium utiliter geſſiſſet. Pari modo qui ex aliena materia ſuo in fundo ædificat, ædificii dominium acquirit, materiæ tamen domino ſatisfacere tenetur.

Commixtio fit, dum res ad duos dominos ſpectantes ſive fortuito, ſive ſtudio permiſcentur, ut diſcerni invicem non poſſint. Æquali in quantitate permixtæ ſub æquali utriusque dominio manent; magna inæqualitate confuſæ partis potioris domino cedunt, qui alteri rependere æquivalens debet.

Specificatio evenit cum ex re aliena quidquam alterius ſpeciei conficis. Quodſi res ſpecificata ad priſtinam ſpeciem redigi nequeat, ut veſtis ex alieno panno conſuta, tua manet, attamen panni pretium eſt refundendum; ſi vero res ad priorem reduci ſtatum poſſit, uti calix ex argento conflatus, a domino petita, reddi debet; quia dominii titulus una cum forma evaneſcit.

SECTIO II.

DE FURTO.

CAPUT I.

Furti notio, divisio & gravitas exponuntur.

Furtum occulta, ac injusta rei alienæ est ablatio, domino rationabiliter invito. Dictum est 1. *occulta* ablatio, ut furtum distinguatur a rapina, qua domino præsenti quidquam injuriose aufertur. 2. *Injusta;* nam si aliunde legitima auferendi licentia sit concessa, furtum auferendo non committitur. Sic Israelitæ furti peccato se non contaminaverunt, cum vasa, quæ ab Ægyptiis commodata acceperant, non reddiderunt; *Hoc enim* (ait sanctus Augustinus) *Deus jussit, qui noverat, quid quemque pati oporteat; nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubente ministerium præbuerunt.* 3. *Rei alienæ;* nam rem nostram, quam alius injuste detinet, quandoque uti postea dicam, occulte eidem subtrahere possumus. 4. *Domino rationabiliter invito;* hinc furtum non committit, qui furioso gladium aufert, ne alium interficiat; sed vendendus esset gladius, ejusque pretium in domini utilitatem convertendum. Mulier quoque, quæ marito pecuniam surripit, quam ille ludo solet insumere, non peccat, dummodo hanc in familiæ commodum expendat.

Duplex

Duplex Juristæ furtum distinguunt, simplex, & qualificatum; hoc specialem quamdam malitiam sibi adjunctam habet, qua tamen illud caret. Inter furta qualificata numeratur 1. *Sacrilegium* ceu ablatio rei sacræ, vel profanæ in loco sacro asservatæ. 2. *Peculatus* ceu ablatio rei ad Principis aut Reipublicæ filium spectantis. 3. *Plagium* ceu abductio aut venditio hominis sive liberi, sive servi invito domino. 4. Abigeatus ceu gregis, vel aliquorum ex grege animalium abductio. Huc falsæ monetæ cusores, infideles depositarii, commodatarii &c. reducuntur.

Rapina, cum in injusta ac violenta rei surreptione consistat, specie a furto differt. Præter damni siquidem injustitiam, violentiæ insuper injuriam præsenti domino raptor infert, sicque gravem malitiam furto superaddit. Non tantum qui aperta vi aliis sua rapiunt; sed & qui auctoritate, minis, gravique metu nonnullos adigunt, ut sua offerant, aut petita non denegent, rapinæ rei sunt. Vitium hoc potentum est, qui tamen, nisi ablata restituant, *potenter tormenta patientur* (*Sap.* 6.).

Furtum ex genere suo peccatum grave est; magnæ enim virtuti nimirum caritati adversatur. Justitiæ quoque opponitur, quæ bonorum possessionem firmam constituit, prohibetque ne alter alteri quidquam rapiat. Civilem insuper societatem, & Reipublicæ pacem turbat; si enim furtum permitteretur, confusio, dissensio, ac tumultus ubique regnarent. Hinc Zachariæ 5. di-

citur: *Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ; quia omnis fur judicabitur*; & Apostolus ait: *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt* (1. *Cor.* 6.). Suis olim adolescentibus furtum Lacedemonii permisere, dummodo illud occultum permaneret, sed illos minime imitati sunt cæteri populi, a quibus, etiam magis barbaris, furtum severissime semper punitum est. *Furtum* (inquit sanctus Augustinus *Lib.* 2. *Confess. cap.* 4.) *certe punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?*

Quæ in furto quantitas ad peccatum mortale sufficiat, statui difficulter potest. Juxta omnes furtum mortale est peccatum, quando summa, seu res ablata vel in se vel respectu ejus, cui auferebatur, prudentum æstimatione notabilis est. Plures Casuistæ asserunt, unum aureum materiam in se, etiam respectu ditissimi satis gravem esse. Comparative ad eos, quibus damnum furto infertur, materia illa gravis censetur, quæ ad diurnum læsi hominis victum sufficit; aureus autem Principi, duo vel tres floreni diviti nobili, unus florenus mercatori, medius vel infra civi, pauci crucigeri pauperi sufficiunt; sicque his qui talem quantitatem aufert, grave furtum committit.

Sæpe contingit, quod fur, levem licet materiam furripiat, ob scandalum tamen, vel damnum ex suo furto secutum, & prævisum vel ob suam malam intentionem graviter peccet.

Sic

Sic fur, si prævideat, aut prævidere posset, eum, cui minutum quidquam furatur, esse blasphematurum, aut in aliud mortale peccatum lapsurum; quia vir iracundus, & ad blasphemias proclivis est, furando mortaliter delinquit. Idem dicendum si instrumenta vilia quidem, sed necessaria artifici auferrentur, sine quibus ille quotidianum lucrari victum non posset. Item si ille, qui domum ingressus, ut multa aut pretiosa inde auferret, nonnisi pauca, aut vilia furtive acquireret.

Qui pluribus vicibus plura parva furta committit, quæ conjuncta magnam summam conficiunt, veluti si unum alterumve solidum sæpius surriperet, ex quibus successive magna summa coalescit, mortaliter peccaret; quia ingentem summam surriperc intendit. Hinc textores, qui identidem pauca fila retinent, ex quibus paullatim sibi conficere vestes intendunt, quoties id agunt, ex prava cordis dispositione mortaliter peccant; quamvis enim magnum damnum singulis non afferant, communitati tamen illud inferunt, publicamque justitiam lædunt, quæ omnes artificum fraudes prohibet. Quodsi statim ab initio gravem materiam surripere statuit, primo jam furto graviter peccavit, quamvis paullatim ad illud pervenerit, aut ab incæpto aliunde impeditus destiterit. Si vero absque mala illa intentione temere furta minuta continuentur, cum ad gravem quantitatem perventum est, grave furti peccatum aderit. Novus Casuista docet, postremum parvum furtum,

æque ac præcedentia, peccatum dumtaxat veniale esse; sed hæc opinio non minus quam illa est damnanda, quæ asserit, ad restitutionem illum non teneri, qui pluribus vicibus exigua furta commisit (*a*).

CAPUT II.

Extrema necessitas, & occulta compensatio explicantur.

Extrema necessitas, cujus descriptionem (*Tom. I. pag.* 395.) dedimus, ex communi omnium sententia, rei alienæ ablationem excusat, seu potius ex re aliena, ac privata communem efficit, unde qui hac necessitate pressus diviti aliquid furriperet non peccaret, si aliter suæ vitæ consulere non posset. Quodsi aliquis furatus esset, antequam in extremam necessitatem incideret, in hac necessitate re furtiva uti posset, eam tamen restituere teneretur, quam primum, unde restituat, acquisierit.

Si mercator extra patriam degens pecunia careret, huncque latro vellet occidere, nisi certam pecuniæ vim sibi tribueret; posset ille hoc casu pecuniam hanc furripere, quam in patriam reversus restituere teneretur. Si res in extrema necessitate furrepta adhuc exstat, hanc restituere oportet: veluti si quis, ut ab hostibus fuge-

(*a*) Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Num. 38.

fugeret, equum furripuiſſet; ubi elapſus eſt, illum reſtituere debet. At ſi res oblatæ uſu consumuntur non ſunt hæ reſtituendæ, præſertim ſi levioris momenti ſint, quas dominus, paſſæ neceſſitatis conſcius, veroſimiliter donaſſet. Verum ſi opes deinceps acquirantur, res graviores in neceſſitate ſublatæ, ac conſumptæ, denuo reſtituendæ ſunt, quia uſus ſubſtantiæ, vel ipſa ſubſtantia non abſolute, ſed ſub conditione reſtitutionis, ubi hæc poſſibilis fiat, ad egentem tranſiit, quemadmodum in commodato, vel mutuo ſolet evenire.

Sicut rarus extremæ neceſſitatis eſt caſus, ita & quidquam furripere raro licitum erit (*a*). Sæpe dum gravis neceſſitas premit, acſi extrema adeſſet, obvia rapiuntur; imo cum extrema adeſt, ultra quam neceſſum ſit, humana aviditas ſibi attribuit. Ad utrumque animadvertere Confeſſarius debet, priusquam immunem a peccato pœnitentem pronunciet (*b*).

Alter

(*a*) Inter propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas num. 36. iſta eſt: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Hoc enim ſi liceret, innumeris furtis via pateret.

(*b*) Addi adhuc poteſt, in extrema neceſſitate rapere quidquam licitum eſſe 1. Si rei dominus non ipſemet in extrema neceſſitate ſit, aut in eam conjiciatur. 2. Si peti a domino res non poſſit, aut deneganda petitio certo prævideatur. Porro hisce ſervatis conditionibus etiam proximo extreme periclitanti, ſi aliter non poſſumus,

Alter quidquam furripiendi titulus occulta compensatio est, cum nempe inscio eo, qui nobis debet, vel idem, vel æquivalens ex illius bonis subtrahimus. Sobrius ejus usus sit oportet, plures namque ad illam conditiones requiruntur, quæ si non adsint, adhiberi licite non potest.

1. Debitum *certum*, ac *rigorosum*, seu ex justitia ortum esse debet: unde si dubium sit, aut in mera gratitudine fundetur, occultæ recompensationi nullus est locus, resque sic subtracta omnino restitui domino debet, cui in dubio possessio favet. 2. Requiritur, ut rem sibi debitam ob debitoris auctoritatem &c. repetere in judicio non possit, id enim si posset, occulte compensans se ipsum judicem constituendo contra justitiæ publicæ leges delinqueret, sic tamen subtracta restituere necessario non deberet, nisi absurda alia sequerentur. Hinc 3. oportet, ut nulli ex hac surreptione damnum vel præjudicium causetur; id est, ut nullus furti accusetur, suspicionem, aut pœnam quamdam incurrat; nam rem suam cum injuria alterius innocentis recuperare caritas prohibet. 4. Ut, quamtum fieri potest, res in eadem specie accipiatur, nihilque ultra debitum furripiatur; quia quoad utrumque dominus non solum quoad modum sed etiam quoad substantiam rationabiliter est invitus.

---

re furtive sublata subvenire ex caritate tenemur, prout sanctus Thomas (2. 2. *Quæst.* 66. *art.* 7. *ad* 3.) docet.

tus. 5. Ut caveatur, ne poſtea debitor iterum ſolvere cogatur.

Quemadmodum in reliquis, ita in hac quoque materia novi quidam Caſuiſtæ propoſitiones proferunt civili ſocietati admodum periculoſas.

Horum unus docet, Famulos, qui nimis exiguum ſalarium ſuum putant, poſſe tantumdem ſibi ex domini bonis ſumere, quantum ad æquandum ſuorum laborum meritum neceſſarium eſſe judicant.

Duas tamen huic doctrinæ conditiones addit. Prima eſt, ſi famuli cum dominis paciſcantur de pretio laboribus ſuis debito hac conditione adjecta, quod ſi ſibi utilem famulorum operam repererint, eorum ſalarium augebunt, prout ratio & juſtitia dictabunt; quod tamen domini non implent. Hoc enim caſu, inquit hic Auctor, quod vere ſibi eſt debitum famuli accipiunt; dumque ipſi per ſe id accipiunt, dominorum negligentiam ſupplent, qui hoc ipſum præſtare ſpecialiter tenentur. Altera conditio eſt, quando famuli ob calamitates & inopiam ad acceptandum pactum quodcumque adiguntur, quod a dominis proponatur; tunc enim hi famuli non id cedunt dominis ſuis, quod ad juſtum laborum ſuorum pretium deeſt. Quemadmodum autem domini usque ad æquivalentiam ſatisfacere tenentur; ſi huic debito deſint, poſſunt famuli famulæque per ſeſe dominorum defectum ſupplere. Tres tamen caſus excipiuntur: primus eſt, quando ex mera compaſſione hos ſibi ſervos aliquis aſſumit; ſecundus eſt, quando ipſi

famuli non requisiti servitium suum offerunt; tertius est, quando alii famuli pro eodem salario idem servitium præstarent.

Nova hæc doctrina, licet ab Auctore suo tot adminiculis fulta, furtis domesticis viam sternit, & famulos de servitii sui valore & qualitate judices constituit (*a*). Quem autem limitem huic valori decernent famuli avidi, & laxioris plerumque conscientiæ? Ecquis paterfamilias tute sua bona custodiat; si famulis liceat servitii sui pretium propriis manibus e dominorum bonis sumere?

Docet idem Auctor, posse uxores maritis suis aliquid surripere, unde ludant, si talis ipsæ conditionis sint, cui ludus inter alimenta honestasque recreationes deputetur. Nonne hic alia aperitur via vanis expensis mulierum, quæ nobili se natas loco affirmantes ingentem pecuniæ vim maritis auferent, quam cum magno familiæ incommodo ludendo dissipabunt?

Casuum conscientiæ Professor quidam docuit, posse filios, qui utiliter aut in agro, aut in officina laborant, id pro suo labore & industria

(*a*) Perniciosam domesticorum licentiam Innocentius XI. repressit, dum hanc num. 37. propositiones damnavit: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Hinc operarius facta semel conventione de mercedis tenuitate apud patremfamilias conquestus, nihil aliud responsi tulit, quam: *Non facio tibi injuriam; nonne ex denario convenisti mecum* (*Matth.* 20.)?

ſtria ſurripere, quod pater præter alimenta extraneis tribueret; poſſe item aliquid ſurripere, ut ludo honeſtisque recreationibus juxta conditionem ſuam indulgeant.

Non multis opus eſt argumentis, ut doctrina iſta damnetur. In Proverbiis Spiritus ſanctus ſententiam perſpicue pronunciavit: *Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo, & a matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt* (*Prov.* 28.): ubi textus græcus habet: ἀνδρὸς ἀσεβοῦς: *hominis impii.* Hæc verba ſatis oſtendunt peccatum filiorum, aliquid a patre ſubtrahentium, eſſe graviſſimum, homicida enim, impioque homine nihil eſt iniquius magisque deteſtandum. Quid dici poteſt validius? Sanusne erit Caſuiſtæ opinionem ſequi; an Spiritus ſancti oraculo obtemperare?

CAPUT III.

Variæ furti ac rapinæ ſpecies.

Furtum adeo inviſum, ac pudendum eſt vitium, ut plerique illud, ne foris appareat, abominabilem veluti lepram tegant: aliena rapiunt, nec tamen fures, aut raptores videri volunt. Id ut efficiant, variis juris, aut neceſſitatis titulis ſuam iniquitatem colorant. Aſt ejusmodi coloribus quandoque homo, numquam Deus fallitur. Fraudes potiores compendioſe hic attingam; explicatior earum mentio in decurſu fiet.

Qui

Qui aliena bona invenit, nec, dum potest, reddit, furtum committit, juxta hanc sancti Augustini regulam: *Si inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Novus Casuista docet, absque peccato rem inventam retineri posse, si sequentes adsint circumstantiæ. *Prima* est, ut diligens inquisitio adhibeatur pro vero domino reperiendo. *Secunda*, ut propositum adsit rem inventam reddendi, ubi verus dominus detegatur. Verum hanc exceptionem destruit addens, si rei inventor pauper sit, posse inventam rem sibi retinere; quam ubi semel propriam fecit, restituere amplius non tenetur, etiamsi compareat verus dominus. Sed de hoc iterum.

Qui merces ultra justum pretium vendunt, vel minoris emunt, furti sunt rei. Tria vero intra justi terminos assignantur pretia, summum, medium, infimum. Si mercator vilioris qualitatis mercem summo pretio vendat, & emptorem fallat, qui rerum pretium ignorat, furtum committit; quemadmodum etiam si rei substantia vitio sit affecta, veluti vinum aqua mixtum; aut si quis falso pondere, vel mensura in vendendo utatur, aut rem vendat apparenter bonam, revera autem malam, vel brevi temporis tractu corrumpendam, furtum committitur.

Qui falsam monetam cudunt, vel bonam corrodunt, aut immutant: qui alteri justum lucrum impediunt, aut damnum afferunt: mercenarii, qui diurnum opus fraudant: artifices artem suam infideliter exercentes: officiales suorum munerum onera negligentes: qui famulis sala-

salarium negant: publici ministri, qui ultra taxam exigunt; qui dominorum suorum bona sibi tradita non diligenter custodiunt: qui se paupores esse simulantes eleemosynam petunt; qui falso testimonio alteri bona rapiunt, aut damnum inferunt, qui tributa, vel decimas non solvunt: Principes, qui populos insolitis onerant tributis, non ut Reipublicæ consulant, sed ut avaritiam suam vel ambitionem expleant: Clerici Beneficia possidentes, quorum functiones exercere non valent: qui Beneficia emunt, aut indignis conferunt: decoctores, usurarii, monopolia exercentes, vel bona sua dissipantes: hi omnes contra hoc Præceptum peccant. Verum a reliquis peccatis peccatum hoc valde differt; non enim satis est hujusce peccati veniam a Deo poscere, sed insuper illi, cui damnum allatum est, fieri debet restitutio. Quamobrem exacte mihi de restitutione est agendum; pauci siquidem recte illam intelligunt, & pauciſſimi exequi volunt.

SECTIO III.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

CAPUT I.

Restitutionis Notio, Obligatio & Origo.

Restitutio justitiæ est actus, quo cuique redditur, quod illi raptum est, aut utcumque ab illo acceptum. Si justitiæ hic est actus, non est

est illi miscenda vanitas, ut illi faciunt, qui pro eo quod restituant iis, quibus aliquid surripuerunt, templa ædificant, altaria ornant, suumque ibi nomen inscribunt. Sed de hoc plura postea.

Facillimum est aliena rapere, & solers quisque ad furandum ingenium habet, sed arduum & difficillimum est aliena restituere. Ajebant sanctus Rex Ludovicus, aliena numquam esse rapienda; nam in verbo *Reddere* nimis abundat *R*, quo fit, ut verbum istud ægre admodum pronuncietur. Nihilominus gravis restituendi obligatio, ac necessitas in sacra Scriptura æque ac in sanctis Patribus invenitur. Apud Ezechielem de impio legitur: *Si egerit pœnitentiam.. & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, vita vivet* (*cap.* 33.). Et Apostolus ait: *Reddite ergo omnibus debita* (*Rom.* 13.). *Si res aliena* (inquit sanctus Augustinus *Epist.* 54. *ad Macedon.*) *propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur.* Hinc illud pervulgatum est axioma: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Suas Deus injurias quoquammodo liberaliter dimittit; sed proximo illatas reparari jubet, priusquam misericordiam largiatur.

Admirandum potius, quam imitandum restitutionis exemplum Zachæus in Evangelio præbet (*Luc.* 19.), hoc maxime ævo, quo illum adhuc publicanum plures sequuntur; sed pauci admodum pœnitentem imitantur; hinc illa rara est domus, de qua pronunciare liceat: *Hodie huic*

huic domui salus facta est. Magni fures æternæ salutis jacturam pati malunt, quam raptas divitias, sibique, & filiis partam dignitatem amittere. Sibi facile blandiuntur, novorum Casuistarum amplectentes sententiam, qui eos a restituendi onere liberant, & tot vanas distinctiones, ac falsas subtilitates in hac materia excogitant. Quemadmodum enim actiones plerasque a peccato immunes asserunt, ita restitutionis obligationem ab illis amovent, uti ex sequentibus palam fiet.

Restitutionis obligatio triplici ex radice oritur. 1. Ex re accepta; 2. Ex injusta acceptione; 3. Ex injusta actione. Ex *re accepta* restituere debent illi, qui bona fide, ac justo titulo rem alterius detinent, quales sunt depositarii, commodatarii, conductores, inventores &c. Ex *injusta acceptione* restituere fures, raptores, aliique injusti detentores, ac male fidei possessores tenentur. Ex *injusta actione*, seu læsione restituendi onus iis incumbit, qui proximo in bonis suis damnum voluntarie inferunt, quamtumvis ipsi nullum exinde emolumentum capiant (*a*). Ad

(*a*) Non ex quacumque injusta actione, sed tali, qua justitia commutativa læditur restituendi obligatio oritur. Nam justitia, quæ est constans, ac perpetua voluntas, seu virtus inclinans voluntatem ad perpetuo jus suum cuique tribuendum, triplex est, videlicet *legalis*, quæ inclinat voluntatem membrorum civilium ad jus suum communitati, vel Principi tribuendum: *Distributiva* quæ inclinat voluntatem Principis, vel Magi-

Ad istam classem spectant incendiarii, agrogrum depopulatores, hominum, pecorumque occisores, & id genus alii, quibus vindictæ aut indomitæ passioni satisfeciſſe ſumma voluptas eſt. Huc quoque reducendi, qui actu etiam venialiter peccaminoſo damnum grave alteri inferunt. Sic qui nugando, vel indignando alterius horreum, vel ædes incenderet, ac combureret, reſarcire damnum teneretur; quia ipſi voluntarium eſt peccatum, cujus pœnam pati debet, ne alter omnino innocens gravetur. Sæpe etiam ob ſolam inadvertentiam, aut culpam, ut vocant, *juridicam* Judex reſtitutionem imponit, cujus ſententiæ parendum eſt. Imo propter commiſſam negligentiam ante omnem judicis ſententiam reſtituere obligantur qui ex officio, vel contractu quodvis a proximo vel cive damnum

---

Magiſtratus ad jus ſuum membris ſeu ſubditis tribuendum: *Commutativa* quæ inclinat voluntatem unius membri ad jus ſuum alteri membro tribuendum. Hæc ſola jus ſtricte ſumptum reſpicit, quod ex pacto, contractu, dominio, aut alio privato titulo ortum reſpicit, adeoque ex hujus ſolummodo violatione reſtituendi obligatio promanat. Sæpe tamen juſtitiæ legali, aut diſtributivæ commutativa miſcetur; quia variis in materiis per pactum ſaltem implicitum Princeps, vel communitas membris, & membra communitati ſe obligaſſe cenſentur. Sic civis defraudatas ſteuras Principi, vel Magiſtratui reddere, & Princeps ignavos, aut imperitos Præſides, vel Judices conſtituens damna inde ſubditis obvenientia refundere tenetur; quia id mutuum pactum ſaltem tacitum & nata exinde ſtricta obligatio exigere videntur.

num avertere tenentur, de quibus singulatim infra dicemus.

Omnia fere, quæ circa restitutionem sunt consideranda, duobus hisce versibus continentur:

Quis, quid restituet, cui, quantum, quomodo, quando;
Ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

Horum explicatio in iis, quæ sequentur capitibus fiet.

CAPUT II.

Quinam teneantur restituere.

Omnis, qui alienum possidet, restituere tenetur. Triplici autem modo quis possidere alienum potest, videlicet bona fide, mala fide, dubia fide. Triplicis quoque generis fructus ex re possessa consequi possunt: nimirum *naturales*, qui naturaliter absque humanæ industriæ interventu nascuntur saltem quoad substantiam, uti gramina pratorum, lana, lac, fœtus animalium, fructus arborum &c.: *industriales*, qui non tam ex re quam industria proveniunt, ut artefactum, negotiationis lucrum &c.: *mixti*, qui partim ex re, partim ex humana industria fluunt, ut caseum, butyrum, segetes, vinum, plantæ.

Possessor *bonæ fidei*, qui nempe ab ipsa possessionis origine rem suam esse putat, aut saltem esse alienam ignorat, quamprimum alieni scien-

tiam acquirit, auditque, illum, a quo rem quamdam accepit, injuſte eam acquiſiſſe, adeoque ejusdem dominium numquam habuiſſe, rem illam aut creditoribus, aut legitimis hæredibus reddere tenetur. Quodſi non faciat ex eo tempore malæ fidei poſſeſſor evadit. Ejusmodi autem bonæ fidei poſſeſſor neque ad lucrum ceſſans, neque ad damnum emergens, ſed ſimpliciter ad rem domino ſuo reſtituendam obligatur, ſicut & ad fructus naturales nec non mixtos, qua naturales, adhuc exſtantes, & illud, in quo factus eſt ditior, dum re illa utendo ſuis pepercit: unde ſi ad convivium invitatus quis fuerit, ubi eo inſcio dapes ex furto apponuntur, deſuper informatus id reſtituere teneretur, quod domi pro prandio ſuo expendiſſet. Si autem ſumpto jam domeſtico prandio furtivi hujusmodi convivii inſcius particeps fieret, ad nihil poſtea teneretur. In caſu, quo quis rem furtivam, ſibi donatam, vendidiſſet, pretium, ſi res ipſa repeti non poſſet, foret reſtituendum, ſi autem rem illam vel pretium alteri donaſſet, illamque vel hoc repetere nequeat, ad nihil ultra tenetur, quia bona fide proceſſit, nec inde ditior eſt factus. Idem dicendum; ſi res exempli gratia equus bona fide acceptus apud ipſum periit, aut ablatus fuit. Quodſi quis equum bona fide emat, poſtea furtivum agnoſcens, eumdem non furi ſed domino tenetur reſtituere, quia res clamat ad dominum; poteſt tamen etiam coram judice ſuum pretium a fure repetere, qui ſi non amplius compareat, infortunio tribuendum erit. Aſt ſi durante adhuc bona fide equum denuo vendi-

vendidit, domino equi nihil niſi forſan lucrum reddere tenetur; quia pretium ſuum, quod prius ſolverat, retro accepit.

Poſſeſſor bonæ fidei juxta leges civiles poteſt præſcribere, & elapſo certo tempore rem ſibi vindicare, eamque tranquille retinere, licet eamdem alienam fuiſſe poſtmodum deprehendat. Huic tamen regulæ omnino fidere non oportet; Nobilis enim, qui exempli cauſa quadraginta annorum præſcriptione prædium poſſideret, quod falſo prædeceſſorum ſuorum teſtamento, falſave donatione obtinuit, tutus non eſſet in conſcientia, ſi illud legitimorum hæredum, aut creditorum damno ſibi vindicaret. Chriſtianæ juſtitiæ lex civilis juſtitiæ legibus in hoc caſu præferenda videtur (*a*).

Malæ

(*a*) Præſcriptionem haud ſecus ac ſententiam injuſtam, quæ in rem judicatam tranſiit, pro foro ſolum externo valere communis antiquorum Theologorum contra Juriſtas ſententia fuit. Eamdem graves noſtri ævi Doctores, præcipue Lovanienſes ſunt ſecuti, quibus communior recentiorum Theologorum refragatur opinio. Circa ſubtilem hanc controverſiam S. Raymundi conſilium placet, qui ait: *Conſulerem ei* (præſcribenti alienum reſcienti) *ut reſtitueret ſaltem propter ambiguum duplicitatis, & quia vix poterunt concurrere omnia, quæ exiguntur ad præſcriptionem. Si nollet acquieſcere, non audeo ipſi dare ſecuritatem, quod ſit in ſtatu ſalvandorum per jura pro prima parte adducta. Non audeo etiam præciſe definire eum teneri, vel eſſe propter hoc in ſtatu damnandorum, præſertim cum ſic videatur ſerva-*

Malæ fidei poſſeſſor ille eſt, qui rem, quam poſſidet, ſcit eſſe alienam, ſive dein ante, ſive poſt inchoatam poſſeſſionem iſtam ſcientiam acquiſierit. Hic nædum rem, ejusque fructus naturales & mixtos, ſed & lucrum ceſſans, & damnum emergens domino reſtituere tenetur, Idque verum eſt, etiamſi res conſumpta, deſtructa, aut iterum alienata fuerit. Si tamen res ex vitio intrinſeco, aut communi infortunio exempli gratia ex incendio apud iniquum poſſeſſorem periit, propter quod æque certo apud dominum periiſſet, reſtituenda ſub peccato non eſt; quia hujusmodi ablatio, vel detentio injuſta in affectu quidem, non tamen in effectu domino damnoſa fuit: verum non ex intento, ſed ſecuto damno reſtitutionis obligatio oritur; alias, qui furtum eſt meditatus, ſed impeditus, jam reſtitutionis lege teneretur, quod eſt nimium.

Poſſeſſor *dubiæ fidei* eſt, qui de rei poſſidendæ, aut poſſeſſæ proprietate dubitat. Si antequam poſſeſſio inchoetur, dubium prudens ſuboriatur, ſitne venditor, donator, teſtator &c. rei vendendæ, donandæ &c. dominus, poſſeſſio inchoari nequit, ſicque inchoata malæ fidei poſſeſſioni æquivalet; præſcriptioni fundandæ impar eſt, nec meliorem poſſidentis conditionem efficit: hinc res vel cum alio, æquale jus habente, dividi, vel tota alteri, cui fortius jus competit, relinqui debet, aut in defectu illius pauperibus erogari.

Qui

---

re per univerſum orbem, quocumque ſe diffundit, Eccleſia.

Qui inchoata jam possessione de rei proprietate dubitare fundate incipit, in veritatem indagare tenetur; hoc si negligat, aut procrastinet, comperta postmodum injusta rei acquisitione, nædum rem, sed & fructus interea consumptos restituere, aliaque malæ fidei possessoris onera subire in conscientia tenetur. Si neglecta debita investigatione veritas postea detegi amplius non possit, quia exempli gratia mortui sunt illi, qui ipsam noverant, tenetur dubitans rem cum illo dividere, quem illius dominum esse dubitat, aut cum pauperibus, si dominum nequeat reperire. Ratio est; quia cum debitam diligentiam omiserit, ipse est in culpa, ideoque pœnam pati debet, quæ & negligentiæ suæ, & probabilitati inveniendæ veritatis debet respondere.

Quodsi post congruam diligentiam adhibitam veritas adhuc lateat, ac æquale utrimque dubium maneat; potest ille, qui possidet, rem sibi vindicare, quia juxta Juris regulam in dubio *melior est conditio possidentis.* Posset etiam rem illam vendere, dummodo emptorem de hoc dubio moneret.

CAPUT III.

Quinam ex injusta actione restituere teneantur.

Actio, quæ ad restitutionem obliget, contra justitiam esse debet, quod quadrifariam potest evenire 1. impediendo, ne quis rem ali-

quam acquirat, aut lucrum aliquod faciat: 2. illi damnum inferendo: 3. ipso invito rem suam illi rapiendo: 4. aliena bona retinendo.

Qui alterum impedit, ne lucrum aliquod faciat, quod absque hoc impedimento juste fecisset, istud illi lucrum restituere tenetur. Quod si alter injuste dumtaxat facere lucrum potuisset, tunc nulla adest restituendi obligatio; nullum enim jus ille habet ad lucrum, quod impeditur. Hinc qui testatorem a legato faciendo impediret, ad legati restitutionem teneretur, si injuste impediret; si enim jure impediret restituere non teneretur. Casuista quidam graviter hic hallucinatur. Aliquem, inquit ille, impedio ab obtinenda hæreditate, aut Beneficio; quandonam ad restitutionem teneor? Respondet cum ejusdem farinæ Auctoribus, tunc teneor, quando vi, aut dolo impedivi; non autem si precibus, blanditiis, aut donis, ista siquidem libertatem non auferunt. Quasi vero potentis personæ preces respectu personæ infimæ jussa non essent; vel munera ad justitiam lædendam, & quodlibet obtinendum apta non essent; & quasi hujusmodi quoque rebus damnum alteri non inferretur.

Qui artifices ab opere impediunt, aut necessaria ipsis instrumenta auferunt, damnum sarcire debent, quod artifices cessando ab opere patiuntur. Hinc Judices, qui ex negligentia aut injusta alia de causa reos diutius quam oportet in carcere detinent, damna tenentur reficere, quæ ex hac dilatione reis obveniunt. Ad reficienda pariter vasallis suis damna tenentur Nobiles, qui

qui illos injuste carcere damnant, aut ab excolendis suis agris impediunt.

Damnum alteri potest inferri vel in anima, vel in corpore, in bonis, vel in fama. Qui alterius animæ nocet, illumque vel ad mortale peccatum, vel in errorem pertrahit, eumdem ad pœnitentiam debet postea exhortari, & removere ab errore. Alterius corpori nocetur, quando verberatur, vulneratur, mutilatur, aut occiditur. Si alterius mancipium occiditur, ejusdem pretium domino est solvendum; si vero feriatur, remediorum expensæ solvendæ sunt. Si homo liber occiditur, ejus hæredibus necessariis, filiis, & uxori damna sunt reparanda, quæ ex ejusdem morte patiuntur: quod si suis ille laboribus filios alebat, ipsis alimenta sunt præstanda, si pater nulla illis bona reliquit. Si aliquis vulneratus, aut mutilatus fuit, qui labore suo victum sibi lucrabatur, remediorum expensæ sunt solvendæ, & operæ restituendæ, quas amisit; quod si debilis, aut mancus toto vitæ suæ tempore ob acceptum vulnus esset futurus, huic alimenta essent præstanda. Id verum est, si injuste ille verberatus, aut mutilatus fuit; nam si jure id factum fuit, nulla restituendi adest obligatio. Si quis domos & spicarum manipulos combussit, & arbores vineasque succidit, damnum debet reparare, sive per se id fecerit, sive per alium. Hic casus in plerisque Diœcesibus est reservatus, & a magistratibus punitur. Idem de illis dicendum est, qui animalia sua in vicinorum prædiis pascere sinunt, ubi damnum

afferunt. Hi reſtituere tenentur, mulctamque præterea ſolvere, quæ juxta locorum varietatem varia præſcribitur. Si caſu & absque culpa alienum prædium grex ingrediatur, nulla adeſt reſtitutionis obligatio. Civiles leges canonicæque præſcribunt, ut ſi alienum prædium beſtia vaſtavit, vel damnum ſarciatur, vel beſtia ipſa prædii domino cedat. Hæc mihi opinio verior videtur, quia civiles canonicæque leges in publicum commodum ſunt conditæ, ut gregum domini diligentius caveant, ne vicinorum prædiis greges ſui noceant.

Qui ligna in ſylvis communibus cædunt, non peccant, niſi hac licentia nimium abutantur cum damno communitatis, ad quam ſylvæ ſpectant; hoc enim caſu reſtituere tenerentur. Si particularium ſint ſylvæ, ligna in iis cædere non licet absque domini conſenſu; pauperes tamen excipe, qui pauca inde ligna pro ſuo uſu poſſent auferre, quin ad reſtitutionem tenerentur. Harum ſylvarum domini, ſive Nobiles, ſive Principes non adeo rigidi eſſe debent, ut ingentibus mulctis, aut corporalibus pœnis illos puniant, qui pauca ligna pro neceſſario uſu in eorum ſylvis cædunt.

Quod aucupium concernit, aliæ domeſticæ ſunt aves, aliæ ſylveſtres. Qui domeſticas aves rapit, peccat, & ad reſtitutionem tenetur; veluti qui columbas, gallinas, ſimilesque in nidis furantur, aut poſtquam jam adoleverunt. Quoad ſylveſtres, qui illas occidit, non peccat; hæ etenim ad neminem ſpectant. Si vero falco, aut

aut accipiter occiderentur, qui ad dominos suos pertinent, illorum pretium esset restituendum.

Qui pecuniam accepit, ne malum opus patraret, exempli gratia, ne aliquem occideret, acceptam pecuniam restituere tenetur. Ratio est, quia sicut acceptam pecuniam restituere tenetur qui illam accepit pro opere, quod ex justitia facere debet; ita restituere tenetur, qui pecuniam accepit ne opus faceret, quod jure facere nequit. Si vero pecuniam quis accepit ne opus faceret, quod facere jure poterat, licet ab aliqua alia virtute id facere prohiberetur; tunc nihil tenetur ille restituere.

Inter rem juste, & injuste acceptam hoc intercedit discrimen, quod cum res juste est accepta restitutionis onus solum ad possessoris hæredes, aut fidejussores transeat, cum vero injuste est accepta, per octo personarum genera restituendi obligatio serpat, ita ut aliis deficientibus, quemlibet in solidum stringat. Transit namque 1. ad *mandantem*, qui alteri damnum inferri jussit, 2. ad *consulentem*, qui ad damnificandum proximum suasione, promissis, instructione induxit, 3. ad *ratihabentem*, qui injusti facti approbatione facit, ut damnum majus vel inferatur, vel jam illatum non resarciatur, 4. ad *palponem*, qui laudibus vel timiditatis exprobratione ad damnum inferendum quemdam commovet, 5. ad *recipientem*, qui furem, remque furtivam occultat, ac tuetur, 6. in *participantem*, qui in actione injusta, aut re ablata participem se fecit, 7. ad *mutum*, & *non obstantem*,

qui nempe præcepto, minis, monitis, prout ex officio debebat, damnum non impedivit, 8. ad *non manifestantem*, qui crimen, ejusque auctores scit, nec tamen revelat, prout ex officio, vel contractu &c. tenetur uti tenentur satellites, apparitores, aliique publici justitiæ ministri: unde si privatus civis furem vicini sui domum ingredi videt, eumque nec admonet, nec impedit, nec manifestat, contra caritatem, non contra justitiam peccat, quia ad hoc ex officio non tenetur (*a*). Econtra si testis in judicio citatus veritatem dissimulet, damnum hinc alteri obveniens reparare tenetur; nisi ex præcedentibus testimoniis contrariis ferri sententia posset, nec ullum pondus ipsius testimonium negotio afferret.

Hinc & caupo, qui filiisfamilias, quos parentibus suis pecuniam surripere novit, vinum dapesque porrigit, ab his acceptam pecuniam tenetur restituere. Restitutione pariter est obnoxius, si aleas ipsis aut latrunculos tribuat, ut clam apud se ludant. Item si gallinarum & pullorum fures scienter recipiat, & furtivas aves coquat, illisque porrigat; tunc enim formalis est receptator.

Sarto-

(*a*) Novem itaque modis ad injustam proximi læsionem cooperari quis potest; sex priores *directi & positivi*: tres posteriores *indirecti*, & *negativi* sunt; omnes hoc metro clauduntur:

Jussio, Concilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans; Mutus, non Obstans, non Manifestans.

Sartores, aliique artifices, qui a famulis vel ancillis pro opera sua oleum, vinum, panem, aut similia accipiunt, hæc illorum dominis debent restituere; quamvis enim operæ suæ mercedem tantum accipiant, illorum tamen dominis damnum afferunt, quibus ista clam sublata norunt, servisque furandi animum addunt, ansamque præbent.

Si plures vineam, hortumve ingrediantur, & quidpiam singuli inde auferant, quod simul omne collectum vineæ vel horti domino ingens damnum parit, quantum illorum quisque tenetur restituere?

Distinctione hic est opus: si omnes vineam ingressi sunt, ut furarentur, & se invicem ad furandum incitarunt, singuli in solidum restituere tenentur. Si mutuo se ad furandum non incitarunt, sed singuli alios ingredi conspicientes simul ingressi sunt, singuli quoque damnum sarcire tenentur, quod eodem tempore effectum est, quia major non adest ratio illud uni potius quam alteri imputandi.

Sed si aliquis quin alios furantes conspiceret, aliquid furatus sit, restituere tantum debet, quantum ipse abstulit.

Si militum agmen injuste oppidum depopuletur, non singuli milites damnum tenentur reficere, quod agmen universum patravit; sed dux, qui illud permisit, aut jussit. Quod si plures milites se invicem excitantes domum aliquam depopulentur, singuli in solidum tenentur damnum illatum reparare.

CAPUT

CAPUT IV.
Quid sit restituendum.

Illud est restituendum, quod alteri ablatum est furto, aut alio injusto modo, & alienum quidquid injuste detinetur. Ablata res ipsa est restituenda, non ejus pretium, quibusdam tantum casibus exceptis.

Primus casus est, quando res amplius apud illum non exstat, qui ipsam bona fide detinuit, quamvis male fuerit accepta: tunc si absque culpa vel malitia res periit, neque pretium est restituendum.

Secundus casus est, quando res valde est corrupta, tunc rem ipsam oportet restituere, & juxta domini arbitrium damnum resarcire: quod intellige, si quis rem alienam mala fide possedit. Nam qui rem exempli gratia apud se depositam haberet, si hæc absque culpa sua vel malitia corrumpitur, non tenetur nisi qualem nunc habet reddere; atque idem de illo dicendum est, qui rem alienam esse ignorans, apud se illam detinuit.

Tertius casus est, quando qui rem alienam abstulit, nequit ipsam restituere, quin suum peccatum detegat, & infamiam patiatur: tunc sufficit pretium restituere.

Si quis aliquid ex injusta sua actione tenetur restituere, tunc non solum rem ipsam restituat oportet, aut ejus pretium; sed præterea fructus naturales, & mixtos, quos ex illa percepit.

Hinc

Hinc qui aliena prædia possedit, perceptos fructus tenetur restituere, detractis expensis in colendo prædio factis. Qui equum locari solitum detinuit, debet cum equo lucrum perceptum reddere, aut illud quod ejusdem dominus percepisset. Si quis alteri centum nummos abstulit, ex quorum jactura cogatur iste domum suam vendere, aut pecuniam ab usurario accipere, tenetur fur damnum istud reparare. Quod si mercatori pecunia ablata sit, qui merces emere, ex iisque lucrum capere solet, tenetur fur lucrum illud cessans restituere. Verum si res ablata ex se non fructificat, ejus tantum valor est restituendus, non autem fructus: veluti si fur centum aureis nummis, quos furatus est, ad negotiandum utatur, & mille acquirat, sortem tantum tenetur reddere, non autem lucrum perceptum.

Qui deposita pecunia negotiatur, proveniens inde lucrum restituere non tenetur, dummodo depositi restituendi non fuerit in mora.

Qui suppellectili aliqua depositа utitur, aut ex ea lucrum capit, hoc cum domino partiri non tenetur: sufficit ut supellectilem reddat, damnumque reparet, si quod ex suppellectilis usu domino obvenit (*a*).

Qui

(*a*) Contrarium Antoine tuetur, aitque depositarium ex justitia teneri ad non utendum re aliena apud ipsum depositа; quia non rei usus ei est concessus, sed solum commissa custodia. Quivis enim habet jus, ut nemo utatur re sua fine suo consen-

Qui aliquid mutuo, aut censu, vel alio lícito contractu accepit, non tenetur fructus restituere, quos ex eadem re negotiando percepit; nisi fraude sua aut mala fide alteri damnum aliquod attulerit. Exempli gratia: qui certo tempore mutuatam pecuniam deberet reddere, illa ludendo vel negotiando utitur, nec statuto tempore illam reddit; tenetur hic damnum reficere, quod creditor ex dilata restitutione patitur: veluti si pecuniam ab usurario petere, gravesque solvere usuras creditor cogeretur, si autem ex dilatione nullam creditor jacturam patiatur, nullum tenetur debitor damnum eidem reficere.

CAPUT V.

Quibus fieri restitutio debeat.

Eorum plerique, qui ad restitutionem tenentur, aut non restituunt omnino, aut iis non restituunt, quibus oportet. Quod ut intelligatur, animadvertendum est ad quatuor personarum genera posse bona spectare: 1. ad veros dominos;

---

consensu: unde qui talem usum usurpat, jus alterius violat, & contra justitiam peccat; sicque lucrum inde captum injustum, ac restitutioni foret obnoxium. Addit tamen domini consensum etiam præsumptum sufficere, huncque præsertim circa pecuniam præsumendum, dum eam dominus sæculo aperto, aut non obsignato, servandam tradit, nec alio indicio, se utendi facultatem denegare ostendit, modo recipiens sit moraliter certus, se eo, quo exigetur, tempore reddere summam posse. Theol. Mor. *Tr. de Contract. cap. 4. Quæst. 2.*

nos; 2. ad illos, qui auctoritate aliqua pollent; 3. ad dominorum hæredes legitimos; 4. ad pauperes.

Prima universalis regula hæc est, veris dominis, si noti sint, bona esse restituenda, nisi prudens adesset timor, ne reddita re abuteretur, & peccatum aliquod committeret: veluti si magiæ libri aut instrumenta fuissent ablata, hæc reddenda non essent, ne illis dominus abuteretur. Si aliquid a fure est acceptum, quod alteri ablatum novimus, id non furi, sed domino est restituendum; nisi malum aliquod fur minaretur, & revera posset timeri. Si quid a puero acceptum est, qui sub patris potestate vivit, id non filio, sed patri est restituendum. Idem dicendum est de furioso, qui armis sibi redditis abuti posset. Si dominus procul absit, adhibenda est diligentia, ut ad illum res ablata deferatur; quod si dominus non reperiatur, nec illum reperiendi sit ulla spes, pauperibus res est distribuenda.

Secunda regula hæc est: si verus rei dominus mortuus sit, restitutio ejus hæredibus est facienda. Quod si restitutionis debitum ex aliqua injuria oritur, veluti ex homicidio, tunc hæredibus solum necessariis restitutio fieri debet, nempe parentibus, patruis, fratribus, non autem legatariis.

Tertia regula est: si non adsint veri domini, & vere dubium sit cui fieri debeat restitutio, tunc pauperibus fieri debet, aut in pia opera est eroganda.

Verum,

Verum, ut jam diximus, non debet sibi quisquam in hac re indulgere, nec justitiæ opus in superbiam vertere. Usurarius exempli gratia, qui multam ex usuris pecuniam collegit, & sat a quibus extorserit: item publicanus, qui aut provincias, aut privatos injustis exactionibus vexavit: nequeunt hi extortam pecuniam ædificandis Ecclesiis insumere; sed usurarius debitoribus debet restituere, & publicanus provinciis aut privatis, quos læsit, vel xenodochiis, aut opera facere, quæ in publicum commodum redundent. Hæ siquidem Deo factæ oblationes ipsi sunt abominabiles, ut sacræ Litteræ testantur: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata* (*Eccles.* 34. 21.): Qui hæc peragit, furtorum suorum, ut ajunt sancti Patres, Deum complicem facit, & in prædæ societatem vocat.

Sancti Ludovici ætate celebris usurarius pœnitentia ductus Mauritium adiit Parisiensem Episcopum, qui Ecclesiam suam ædificabat, ab eoque petiit, in quodnam pium opus collectas usuras posset expendere. Simplex Episcopus Ecclesiæ fabricam illi proposuit. Deinde usurarius Ecclesiæ Cantorem adiit, pium doctumque hominem, & acceptum ab Episcopo consilium eidem exposuit. Respondit Cantor, se Episcopi sententiæ acquiescere non posse, sed illum hortari, ut præconis voce ediceret, quorcumque pressisset usuris, omnes ad se venire, seque omnibus quæcumque illis rapuisset, esse redditurum: his peractis, subdidit, si vis, Ecclesiam construe. Cantoris consilium usurarius

est

est amplexus, & præconis ore vocatis creditoribus ingentem illis pecuniæ vim restituit; postea Cantorem denuo adiit, qui illi mox suasit, ut ad complendam restitutionem aliquid tunc demum ad Episcopum deferret.

Cum intellexisset idem sanctus Rex a Theobaldo Rege genero suo ingens Fratribus Prædicatoribus monasterium fuisse constructum, factum vituperavit, eumdemque per Jonvilleum sic monuit; „ Videret quid ageret, nec se de„ ciperet, putans se debita sua omnia solvisse „ ingentibus hisce in Fratres Prædicatores lar„ gitionibus. Sapiens enim homo, dum vivit, „ debet bonum testamenti executorem imitari; „ hic siquidem ante omnia testatoris debita de„ bet solvere, & quos ille læsit reficere: si quid „ autem adhuc supereſt, hoc pauperibus distri„ buere “. Libenter hæc attuli, ut sancti Regis sententia circa restitutionem cognoscatur; videlicet damna illata prius esse reparanda, & deinde pietatis opera esse facienda.

CAPUT VI.

Quantum, quomodo, & quando sit restituendum.

Tantumdem est restituendum, quantum ablatum fuit, vel quidquid alienum possidemus, ut jam diximus.

Quoad damnum rebus illis illatum, quæ justum suum pretium nondum sunt adeptæ, velu-

ti ſegetes virides, aut parva animalia, earum valor æſtimandus eſt pro tempore illo, quo ad perfectionem ſuam perveniſſent, ſi non fuiſſent ablatæ aut corruptæ, deductis expenſis, quæ erant faciendæ. Verum attendendum quoque eſt periculum, cui ante perfectionem ſuam res ſunt expoſitæ; incerta enim res minus quam certa valet. Cum autem domini periculum hoc vendere nollent, major facienda eſt reſtitutio, quam valeat periculum, ſi ex malitia damnum eſt illatum; ſi vero caſu damnum effectum eſt, ſufficit rem reſtituere detractis expenſis & periculo.

Qui equæ pullum rapuit, cum quinque argenteos exempli gratia valebat, quem dominus alere volebat, & quem poſtea viginti vendidiſſet argenteis, tenetur hic viginti argenteos reddere; pretii augmentum ſiquidem ad pulli dominum ſpectat, cum rei ſit intrinſecum. Verum ſi ab extrinſeco valor augeatur, id ſolum oportet reſtituere, quanti res valebat cum rapta eſt: exempli gratia: Joannes Petro frumenti ſaccum abſtulit, qui tunc quatuor valebat argenteos, & quem Petrus erat conſumpturus; ſi fur frumentum aliquamdiu ſervet, & ſeptem poſtea vendat argenteis, ſufficit ſi quatuor argenteos reddat, quia Petro hoc ſolum damnum attulit.

Reſtitutio aut per ſe, aut per alium fieri poteſt. Si quis per ſe reſtitutionem facere nequeat, oportet, ut illam ſaltem per alium exequatur, veluti per Confeſſarium, aut prudentem aliquem gravemque virum. Quod ſi perſona

sona illa, cui restitutio facienda committitur, hanc non faciat, sed rem sibi vindicet, restitutionis obligatio non cessat.

Præstat per seipsum restitutionem facere, præsertim si mutuo aut in depositum res accepta est: quod si ille, cui res restituenda traditur, hanc furetur, restituendi obligatio perseverat.

Qui totum simul restituere tenetur, debet id exequi; si vero cum integram restitutionem facere possit, illam differt, peccat; & quo plus differt, eo magis peccat: quoties autem restituere potest, & negligit, toties peccat. Id attendant, quicumque debita sua solvere, & ablata reddere ad mortem usque differunt, vel solum testamento suo restituunt. Hi in peccato moriuntur; quemadmodum etiam qui bona incerta possidentes non investigant, an hæc ad se pertineant, illaque cum hoc dubio hæredibus suis testamento relinquunt.

Porro quandonam judicandum est, non posse aliquem commode restituere?

Primo si quis restituere statim nequit, absque vitæ suæ vel honoris periculo, potest restitutionem differre. Quando sine gravi suo damno restituere nequit, potest restitutionem differre, dummodo creditor idem damnum non patiatur: verum attente damnum hoc est examinandum, & tale esse debet, ut qui patitur, illud ferre non teneatur. Exempli causa, si quis restituens in extremam egestatem laberetur, quoniam bona sua vilissimo pretio vendere co-

geretur, posset restitutionem differre; non vero differre illam posset, si lucrum dumtaxat amitteret, quod ex alienis bonis capit, aut capere potest; capere siquidem lucrum nequit ex sua iniquitate. Excipe quoque, si debitor culpa sua in eam necessitatem incidit, ut sine gravi suo damno restituere nequeat; hoc enim casu statim restituere debet.

Quæritur autem, an cum vitæ suæ periculo restituere quis debeat, quando creditor periculum idem subit. Scotus & Navarrus putant debitorem in hoc casu teneri ad restitutionem. Addit Navarrus, tunc solum restitutionem esse faciendam, quando res ablata apud debitorem exstat: exempli gratia si, quis alteri panem abstulit, antequam hic in extremam egestatem incideret; postea autem eamdem ambo paterentur, ita ut alteruter absque pane illo fame periret; deberet fur alteri panem reddere, ipse vero mortem oppetere.

Quoad infamiam, ejus timor a restitutione non excusat; nam humanus pudor conscientiæ, & divinæ legi cedere debet, quæ restitui aliena jubet. Industria tamen aliqua uti fur potest, ne detegatur; nam sufficit, ut res ablata domino revera restituatur, qui curiosius de fure restituente non debet inquirere.

Qui in extrema sua necessitate aliquid alteri surripuit, id restituere tenetur, si secundiore fortuna utatur; nisi illud in eleemosynam acceperit.

CAPUT

CAPUT VII.

Quo ordine & loco sit restituendum.

Duplex restitutionis ordo est adnotandus. Unus eos, qui restituere tenentur, concernit, alter illos attingit, quibus fieri restitutio debet.

Quoad eos, qui *restituere tenentur*, iste servandus est ordo. Imprimis restituat oportet, qui rem alienam sive in se, sive in æquivalenti detinet, aut consumpsit. Si plures de eadem participarunt, quilibet pro rata suam videlicet partem restituere tenetur; hisce non restituentibus, restitutionis onus devolvitur 2. ad mandantem, sive eum qui jussione, vi, metu, fraude alium ad damnum tertio inferendum induxit, 3. ad exequentem ceu illius instrumentum, 4. ad consentientem, 5. ad laudantem, 6. ad recipientem, 7. tandem ad eum qui tacuit, non obstitit, non manifestavit, uti potuit, & vi muneris, ac officii sui debuit (*a*). Hi omnes sicut in furti peccato communicant, ita & communem

(*a*) Iste restitutionis ordo *indirecte* eos solum obligat, qui vi officii, vel contractus ad loquendum, resistendum &c. adstringuntur; *directe* autem illos, qui efficaciter, seu cum effectu ad injustam damnificationem quidquam contulerunt. Hinc si mandans vel consulens re adhuc integra mandatum, vel consilium serio revocet, aut si fur jam antea efficax furandi propositum habuerit &c. stricta restituendi obligatio in fure sistit; aliosque non attingit. Ita communis.

munem reſtitutionis obligationem habent, adeo, ut ſi prior reſtituere aut non velit, aut non poſſit, ſequens ad hoc *in ſolidum*, ſeu totum ſupplendum teneatur, niſi forſan ad partem præciſe illius facta cooperatio fuiſſet. Quodſi poſterior vel libere, vel aliunde coactus reſtituiſſet, recompenſationem a prioribus petere poſſet; ſi vero debitum principaliori eſt remiſſum; niſi exceptio ſit appoſita, remiſſum quoque cooperatoribus cenſetur.

Hoc præſuppoſito reſtituentium ordine, circa res reſtituendas, aut *perſonas*, quibus reſtitutio eſt facienda, Doctores hasce aſſignant regulas.

Prima regula hæc eſt: Quando aliquis rem alienam habet, ſive illam furatus fuerit, ſive invenerit, ſive apud ſe depoſitam habeat, hanc legitimo domino debet reſtituere; quem ſi non reperiat, pauperibus illam diſtribuat.

Secunda eſt, res certas prius eſſe reſtituendas, illas videlicet de quarum vero domino conſtat, antequam reddantur illæ, quarum dominus eſt incertus.

Tertia eſt, debita legitime contracta prius eſſe ſolvenda, deinde illa quæ non legitime contracta ſunt. Exempli gratia, uſurarius debitis obſtrictus ſua prius debita ſolvere debet, quam uſuras, quas exegit. Attendendæ quoque circa hanc ſolutionem leges & conſuetudines loci, quando juſtæ ſunt; cum vero ſunt injuſtæ, ſtandum eſt juri communi. Dos mulieris prius eſt

ſolven-

ſolvenda ; ſed hujus dotis prætextu non ſunt fraudandi creditores, ut in quibusdam provinciis iniqui ſolent mercatores. Deinde reſtituenda prius ſunt bona creditoribus hypothecata. Tertio depoſita, quæ apud debitorem periere. Quarto prius illis ſolvendum eſt, qui ſpeciale exigendi privilegium habent. Quinto veniunt loco creditores communes, inter quos priores tempore ſunt anteferendi.

Quoad reſtitutionis locum, ſi ſolum ex re accepta facienda ſit reſtitutio, non cogimur eam ibi facere, ubi ejus dominus moratur, ſi longe diſtet, ſatis eſt illum de facienda reſtitutione monere. Hinc ſi quis exempli cauſa aliquid a fure bona fide emit, ſufficit dominum admonere ſe ad reſtituendum eſſe paratum, quin ſuis ſumptibus rem emptam ad illum mittat. Quod ſi mala fide empta res eſſet, cum conſtet eſſe furto ablatam, tunc ad dominum, ſi vellet, eſſet mittenda, ut nullum damnum ipſe pateretur, idque magis adhuc de fure eſt dicendum.

CAPUT VIII.

Cauſæ a reſtitutione excuſantes recenſentur.

Prima & juſtior cauſa, quæ a reſtitutione excuſat, eſt cum creditor debitum remittit. Verum ut valida ſit hæc remiſſio, oportet, ut qui eam facit, poteſtatem faciendi habeat. Filiifamilias non poſſunt parentum ſuorum credita remittere, nec famuli dominorum, neque villicus

cus aut colonus domini sui. Deinde oportet, ut remissio sit prorsus libera, non coacta. Tum oportet, ut nulla fraus adsit. Demum, ut nullus quoque adsit timor reverentialis. Hinc Domini, qui vassallis suis timorem incutiunt, aut illos opprimunt, ut sibi debita vel jura remittant, a restitutionis debito non sunt soluti.

Secunda causa, quæ a restitutione excusat, est quando pro re debita justa datur compensatio. Exempli gratia Dominus, qui vassallo suo mille aureos debet, huic tradit officium, quod tantumdem valet, & alteri tantidem vendere posset: hoc pacto Dominus a restitutione liberatur. Verumtamen hoc ad Beneficia non debet extendi; non enim exempli causa licet Episcopo, alterive Collatori domestici sui servitium, vel aliud debitum Beneficii collatione solvere; Beneficia ad civile commercium non spectant, nec iisdem possunt debita solvi.

Tertia causa est bonorum cessio; sed hæc absque fraude fieri debet, nec quidquam creditoribus est celandum, nisi forte quod ad cessionarii vitam est omnino necessarium, vel artis suæ instrumenta, quibus victum sibi comparat. Quod si post cessionem debitor acquirat, unde sua debita solvat, debet id restituere, quod bonorum cessioni deest.

Casuista recens ait, posse cessionarium aliquid sibi e bonis suis reservare, ut familiam suam honeste alat; alter vero prioris opinionem secutus addit, id verumesse, etiamsi debita, propter quæ facta est cessio, ex injusto & aper-

te

te iniquo furto promanent. Veluti ſi quis a pluribus pecuniam mutuo accipiat, quam non intendit reſtituere, eo quod bonorum ceſſionem mox ſit facturus: quod decoctoribus favet, & ad aliorum rapienda bona viam ſternit. At hic duorum iſtorum Caſuiſtarum apertus eſt error.

Quarta cauſa a reſtitutione excuſans eſt uſucapio & præſcriptio. Uſucapio eſt modus, quo mobilium bonorum dominium acquiritur poſſeſſione continua temporis a lege præſcripti, nempe trium annorum; ad præſcriptionem vero bonorum immobilium decem annorum ſpatium requiritur inter perſonas, quæ in eadem morantur urbe, vel viginti, triginta, aut quadraginta annorum ſpatium juxta diverſitatem rerum & locorum, pro perſonis quæ habitatione inter ſe diſtant.

Quatuor requiruntur conditiones, ut valida ſit uſucapio vel præſcriptio. *Prima* eſt, ut continua adſit rei poſſeſſio per totum tempus a lege præſcriptum, & juſtus adſit titulus poſſidendi. Ubi enim poſſidendi jus deeſt, neque uſucapiendi, neque præſcribendi jus haberi poteſt; ſicut uſuvenit in filiisfamilias, in ſervis ſine dominorum conſenſu, in monachis, in furioſis, ſi furoris tempore poſſidere incipiant, in amentibus tempore amentiæ, in laicis quoad bona Eccleſiaſtica.

Secunda conditio eſt bona fides, quæ toto præſcriptionis tempore durare debet; poſſeſſor enim malæ fidei nullo umquam tempore valide præſcribit.

Tertia est justus titulus, qui rei dominium perpetuo transferat; hinc res commodatæ, locatæ, mutuo acceptæ, emptæ ante pretii solutionem, depositæ neque usucapi, neque præscribi possunt.

Quarta conditio est, ne illius rei usucapio, vel præscriptio a legibus prohibeatur; quemadmodum usucapi, vel præscribi prohibentur res furto sublatæ, res per vim possessæ, res sacræ, res religiosæ, servus fugitivus, & homo liber.

Hæ conditiones si simul adsint, communiter existimatur, qui usucapionem aut præscriptionem rei alienæ habet, non teneri illam restituere, etiamsi verum illius dominum noverit. Ego vero huic opinioni ægre assentior, quamvis civiles, canonicæque leges illam approbent; hæ siquidem leges incommoda illa a Republica avertere satagunt, quæ evenirent, si bona semper manerent incerta. Verum generalis hæc utilitas efficerene potest, ut si forte aliquis sciat se rem non suam possidere, sed alienam, hanc nihilominus licite coram Deo retinere possit? Potestne Dei lex, quæ alienum retinere vetat, propter justitiæ humanæ formalitatem robur suum amittere (*a*)?

Docent

(*a*) Communior, quæ pro præscriptionis valore pugnat, sententia Auctoris suppositum negat. Non enim ille, qui bona fide præscripsit, alienum possidet pro statu, sed uti scholæ loquuntur, distractive alienum, id est, quod aliquando erat alienum, sed Juris dispositione ex eo tempore, quo præscriptio est completa, in proprium tran-

Docent Doctores, universalem hæredem, qui rem a patre vel a consanguineo acceptam mala fide possideat, non posse præscribere; universalis enim hæres eadem cum auctore suo persona censetur, ideoque ab uno in alium mala fides transit, ita ut si ex mala fide non possit auctor præscribere, neque hæres præscribat. Diversimode loquendum est de particulari hærede, seu legatario, aut emptore; isti siquidem possunt præscribere.

Vera & tutior causa a restitutione excusans est illam faciendi impotentia; verum si debitor hanc impotentiam removere potest, debet id præstare, parce vivendo, manibus suis operando, & mendicando. Sotus distinctionem affert inquiens, si debitor est malæ fidei, qui res furto ablatas aut injuste acquisitas debeat restituere, & vitiis suis & prodigalitate in impotentiam inciderit, hic quælibet pati debet ad mendicitatem usque, ut restituat; si vero debitor sit bonæ fidei, & solum ex infortunio aliquo restituere impotens factus est, hic non tenetur hanc necessitatem perpeti, nec inferius a statu suo delabi; sed sufficit, ut aliquid a solitis expensis detrahat, & parce vivat, ut restituere possit.

Donec durat impotentia, nemo restituere tenetur; sed si ab impotentia aliquis emergat, & restituere jam possit, debet restituere, quamvis impotentiæ tempore a restituendi onere fuerit a judice liberatus.

SECTIO

---

transiit. Hanc autem disponendi facultatem Principi aut Reipublicæ competere nemo negat, nisi qui dominium altum in subditorum bona utrique abjudicat.

SECTIO IV.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAPUT I.

Restitutio ab uxoribus, filiis, ac familia facienda.

Quoad uxores distinguendum est; habere siquidem ipsæ possunt bona paraphernalia quæ ad ipsas spectant, aut bona quæ industria sua lucratæ sunt, aut quæ per legatum, aliove modo ipsæ acquisierunt.

Peccat uxor, quæ marito suo bona surripit, quorum ille dominium habet vel usumfructum, veluti bona dotalia, si notabilem summam sine legitima causa surripiat; unde novorum Casuistarum falsa est doctrina, qui eisdem hæc furari permittunt, ut seipsas ornent, & ludant. Dixi *notabilem summam*, quæ juxta mariti bona, statumque est metienda. Dixi *sine legitima causa*; nam si parvum quid uxor surriperet, ut eleemosynam erogaret, quam vir facere negligit, vel ut familiam suam aleret, cui vir non satis consulit, non peccaret, nec restitutioni esset obnoxia: verum nihil potest surripere, ut sibi pro viduitatis tempore consulat, sub prætextu quod maritus bona sua dissipet. Id bene attendant

Con-

Confessarii; sæpius etenim facere id solent Provinciæ mulieres, quæ fere omnes privatum peculium habent, quo in sui commodum utuntur, quin filiis suis etiam egentibus consulant.

At mulier, quæ parentes suos egentes conspiceret; posseme viro suo pecuniam surripere, ut illis succurrat?

Respondeo, debere ipsam prius a marito petere, unde parentibus subveniat: quod si maritus id neget, existimo posse illam aliquid surripere, ut parentum necessitati succurrat, non ut illos ditet, aut illis superflua comparet; quo casu oportet, ut post viri sui mortem, harum expensarum filiis suis, si petant, rationem reddat, ipsasque a dote sua detrahat.

Peccat quoque filius, qui patri suo bona surripit, quorum pater dominium vel usumfructum habet; nam si filius Beneficium possideat, quorum fructus pater percipit, non peccat filius, si horum fructuum valorem surriperet, qui ad se, non ad patrem spectat.

Si filius sæpius & humiliter patrem rogavit, ut sibi necessaria pro honesta status sui conditione suppediteret, idque præstare pater recusset, potest filius sibi necessaria surripere. Dixi *necessaria*, non superflua; quidquam enim surripere nequit, ut illud vane & ambitiose insumat. Plerumque filiifamilias sibi blandiuntur, putantque se posse patribus suis illa surripere, quibus in vestium pompa, luxuque abutantur. Rigidi in hoc sint Confessarii, & quælibet potius hujus-

hujusmodi furta prohibeant, quam luxum, alia que vitia nimia indulgentia foveant.

Filius, qui patri suo furatus est, tenetur ad restitutionem, & illud in specie, si extat, patri suo tenetur reddere, vel æquivalens, si rem ablatam consumpsit; idque ex propriis bonis præstare debet, si hæc possideat, vel in paternæ hæreditatis divisione damnum, quod fratribus attulit, debet resarcire.

Verum si probabiliter præsumere liceat, patrem restitutionem non fore petiturum, nec fratres aut sorores damni raparationem petituros, tunc non tenetur filius restituere. Porro patris voluntas potest cognosci ex amore quo filium prosequitur, ex sua pecuniæ despicientia, & ex peculiaribus aliis circumstantiis (*a*).

Si

(*a*) Major certo quantitas in uxorum, & filiorum, quam extraneorum furtis requiritur. Quæ autem quantitas ad grave peccatum sufficiat, gravemque restituendi obligationem pariat, una ac generali regula determinari nequit; sed magis ad facultates, statum ac genium parentum, aliasque circumstantias est respiciendum. Sæpius parentes magis quoad modum, vel abusum, quam quoad ipsam substantiam sunt inviti. Semper itaque ab ejusmodi furtis filios retrahere, damna in familiam redundantia, malasque sequelas iisdem exponere; raro restitutionem, ex hæreditate faciendam imponere Confessarius debet, præsertim quia fratres aut sorores eadem plerumque praxi utentes damna mutua compensatione elidunt.

Si filius in domo paterna operaretur, ejusque labor famuli operam æquaret; possetne patri suo tantumdem surripere, quantum hic pro famuli mercede solveret?

Respondeo cum distinctione: vel pater hic pauper est, vel dives, & filius vel ob spem mercedis operatur, vel nullam labore suo mercedem quærit. Si pater pauper est, tenetur filius illi gratis servire, ideoque nihil potest surripere; quemadmodum nec surripere quidquam potest, si gratis intendat operari, cum pater dives est. Sed si mercedem veluti extraneus lucrari voluit, idque patri significavit; potest tunc filius aliquid operæ suæ æquivalens patri surripere, si est emancipatus; etenim per emancipationem bonorum patris proprietatem acquirit, & usumfructum. Quod si non est emancipatus, sicut solam proprietatem, non usumfructum acquirit juxta leges, ideo vivente patre nihil potest surripere: sed eo mortuo pro suæ operæ merito aliquid potest accipere.

Peccant etiam famuli, & famulæ dominis suis surripientes panem, vinum, obsonia, & his similia, quorum quotidianum usum habent, sed restitutioni non sunt obnoxii, quando hæc surripiunt, ut ipsi absumant, sintque res exiguæ, quas probabiliter domini tribuerent, si peterentur (*a*). Sed si hæc furantur, ut ven-

(*a*) Rebus hisce exiguis accenseri nequeunt quotidianus, aut valde frequens potus Caffee, haustus vini, aut alia mensæ adhuc servientia esculenta,

vendant, aut aliis donent, ad restitutionem tenentur. Restituere quoque tenentur, si optimum vinum surripiant, quod famulis tribui non solet, aut escas delicatiores; hæc etenim necessaria illis non sunt, nec famulis illa tradere domini volunt.

CAPUT II.

Restitutio Judicibus, Advocatis, Procuratoribus & Notariis incumbens.

Judex, qui injusta sua sententia, aut ignorantia bona aufert alicui, juxta sanctum Thomam ad restitutionem tenetur (2. 2. *qu.* 76. *art.* 2.) quia injuste alteri injuriam affert, officium que suscipit sine scientia ad illud exercendum re jus-

lenta, de quorum furtiva consumptione delicatulæ ancillæ sæpius se accusant; raro, aut numquam se emendant. Hæc quippe annuum in computum ducta in grave damnum coalescunt, quod unice reali successiva restitutione; non autem (prout nonnulli inepti hujusmodi furtorum fautores putant) oratione, vel majore in famulatu solertia est resarciendum. In casu, quo de domini contraria voluntate ancilla dubitat, vel caute inquirere, vel eo loco ac tempore, quo videri ab hero &c. queat, prius facta reiterare debet; & brevi quid de præterito judicandum, quidque pro futuro sit faciendum, cognoscet. Eadem regula circa pauperes, vel clancularias coadjutrices &c. est servanda. Huc spectat propositio ab Innocentio XI. damnata: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Est 37.

sita. Hoc animadvertant Judices illi, qui recte fungi munere suo ignorant, vel necessariam diligentiam omittunt in iis examinandis negotiis, de quibus sententiam ferunt.

Causæ relatores, qui pauperum lites jacere sinunt, vel de die in diem expedire differunt, ut amicis suis, vel potentibus faveant; clientibus suis damna tenentur reficere, quæ iisdem negligentia sua inferunt.

Supremarum Curiarum Consiliarii hujusce peccati sæpe sunt rei, dum pauperum causas vel ex negligentia, vel ex potentum metu negligunt; ex quo fit, ut pauperes vel amittant, quod juste petunt, vel cum gravi sua jactura negotium transigant.

Judex, qui pro injusta ferenda sententia pecuniam accepit, debet illam restituere non ei, qui eamdem dedit; æquum enim est, ut qui justitiam corrumpere molitus est, hanc jacturam patiatur; sed illi, quem injusta sententia læsit, ut damna eidem illata aliquo modo reficiat.

Judex, Regis Procurator, aliive Officiales nequeunt pecuniam pro officiis suis accipere, quando causam non judicarunt. Exempli gratia si reus accusatori pecuniam tradat, ut lis cesset. Debent enim hi justitiam reddere, nec ita reis favere, ut illos impunitos dimittant. Quidquid igitur propterea accipiunt, restituere tenentur. Id locorum Domini attendant, qui a reis pecuniam accipiunt, ne hi in judicium vocentur, vel ut injusta sententia absolvantur; graviter enim

peccant, acceptamque pecuniam tenentur restituere. Horum plerique nullum hic adesse peccatum putant; imo hoc lucrum inter cætera dignitatis suæ emolumenta enumerant.

Advocati, qui injustas tuentur causas, vel ex malitia aut ignorantia clientes suos iniquis litibus implicant, damna reficere illorum debent, qui perversa sua consilia amplexi sunt: quod si negligentia sua clientum negotia in perniciem ruant, ad restitutionem pariter tenentur.

Advocatus, qui clientis sui causam injustam esse certo novit, illique suadet, ut rem transigat, transactionemque componit, peccat, & damnum resarcire debet, quod alter ex hac transactione injuste patitur. Idem dicito, si scripturas inutiles conficiat, ut majorem mercedem accipiat, augmentum hoc debet restituere.

Procuratores, qui technis suis efficiunt, ut alter causa injuste cadat, ad damni restitutionem tenentur. Tenentur quoque, si litem frustra protrahant, vel si indebitas mercedes exigant, aut vacationum pretium, quas non peregerunt, aut apographorum, pro quibus nihil solverunt: nisi tabelliones gratis id sibi præstarent, ut similem deinceps gratiam ipsi reciperent.

Si usurario petente injustum contractum Notarius scribat, ut debitorem obliget, injustitiæ particeps est, & ad restitutionem tenetur; si vero petente debitore usurarium contractum scribat, peccat quidem, quia leges usuram prohibentes violat, sed ad restituendum non adstringitur.

Pec-

Peccant Notarii, qui in suo exercendo officio Regum edicta non servant, qui acta fideliter non exprimunt, sed aut illa mutilant, aut illis aliquid addunt; qui actorum Libros celant, & horum exemplaria dare negant, & præsertim Ecclesiæ legata: hi damna resarcire debent, quæ ex ipsorum infidelitate aut ignorantia promanant.

CAPUT III.

Restitutio tabelliones, apparitores, & testes obligans.

Tabelliones, qui ultra taxas a Principis aut Parlamenti edictis præscriptas aliquid exigunt, ad restitutionem tenentur; quando item in conficiendis apographis non tot in foliis singulis lineas, nec tot in singulis lineis voces conscribunt, sicuti debent; vel cum longa & superflua verba iisdem interserunt; si petita apographa tradere differunt, ex qua dilatione litigantes damnum patiantur, restituere pariter debent.

Apparitores, qui falsas denuntiationes faciunt, aut veras absque debita diligentia faciunt, aut data opera efficiunt, ut actus nullitate laboret: aut qui in bonorum obsignatione aliquid celant, aut vili vendunt pretio, damnum inde secutum sarcire tenentur.

Testes juridice vocati, qui reddere testimonium recusant, aut veritati contrarium reddunt, damnum hinc obveniens resarcire debent, quidquid contra novi aliqui Casuistæ dicant. Etenim privati homines Judicibus, a Principe pro tuen-

da juſtitia conſtitutis, obtemperare tenentur; & eorum ſilentium vel mendacium alteri damnum adfert, quod ex caritate & munere, quo fuguntur, debent impedire.

Qui certo ſcit falſum ſuum teſtimonium morti rei aut mutilationi cauſam non dediſſe, ſed ex falſo aliorum teſtimonio illum fuiſſe damnatum, a reſtituendi onere pro rata ſua non eſſet exemptus: quæ rata a piis prudentibusque viris eſt ſtabilienda, qui veras firmasque ſequuntur doctrinas, non novas, quæ peccatores ab omni liberare onere nituntur.

Si pro falſo reddendo teſtimonio aliquis pecuniam accepit, hanc debet reſtituere, ſive falſum præſtiterit teſtimonium, ſive non præſtiterit; ſi enim illud non præſtitit, jus nullum habet aliquid exigendi; ſi vero præſtitit, non poteſt ex iniquitate ſua lucrum reportare, licet falſum aſſerendo alteri obſecutus fuerit, & ipſe in aliquod ſe diſcrimen conjecerit: hoc ſiquidem pacto peccatum indirecte venderetur, quod eſt infra quodcumque pretium; ex alia autem parte cautio nimia eſſe nulla poteſt, qua falſa teſtimonia coerceantur.

CAPUT IV.

Reſtitutio vectigalium Conductores, Monopolitas, & Publicanos ſtringens.

Vectigalium conductores reſtituere tenentur, ſi quid ultra taxam exigunt, aut quidquam pro exemptis mercibus. At quoniam ægre admodum

modum aut vix fieri potest, ut restitutio illis fiat, qui damnum sunt passi, idcirco hospitalibus illiusve loci pauperibus facienda est restitutio; nisi conductor illos cognosceret, quos læsit. Pro suis quoque famulis, quos probos eligant oportet, rationem reddere debent, & restitutionem facere, si forte aliquem illi læserunt; nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur, debentque ipsi idoneos homines, probosque eligere.

Qui monopoliis suis grave mercium dominis damnum afferunt, & lucrum ipsis adimunt, quod ab aliis percepissent, ad restitutionem tenentur. Qui vero damnum aliquod se passos fingunt, quod revera passi non sunt, tenentur restituere, si quid forte damni causa acceperunt.

Publicani, qui insolita populis, & officialibus tributa vel onera proponunt, absque gravi publica necessitate, imo contra antiquos Regni mores, ad restitutionem tenentur; licet quasi hostes regni perniciem detestabilibus hisce inventis moliantur.

Qui a Principibus immania dona exquirunt, & mutuatæ illis pecuniæ fructus enormes exigunt, restitutioni sunt obnoxii; quia, ut postea de Usura declarabimus, hanc cum a privatis hominibus, tum Regibus exigere est vetitum.

Hi publicani, atque hi mutuatores, nullam consiliorum suorum, aut mutuationum causam afferre possunt, quam Reipublicæ commodum, & Principum necessitatem. At hæc ipsa ratio

vix usurpari ab hujusmodi hominibus revera potest; a subdolis enim istis consiliis & mutuationibus Reipublicæ pernicies, & subditorum, Principumque oppressio plerumque oritur, immanis siquidem hisce artibus pecuniæ vis extorquetur, unde coguntur Principes novis oneribus subditos premere, aut principatus vendere, vel quasi decoctores debita non solvere. Alia quoque iniquitas huic immanium fructuum exactioni inest, videlicet hos fructus ab iis solvi, qui sortem non acceperunt, nempe a populo, & vi extorqueri.

Obscuro interim loco natos homines conspicimus hisce consiliis atque mutuationibus istis ingentes comparare divitias, magnificas ædes construere, superba suppellectili uti, splendide epulari, regio fere luxu & ambitione vivere. Non tamen illos Confessarii arguunt; sed quædam dumtaxat pia opera illis suggerunt, templi alicujus ædificationem, magnifica & pretiosa altaribus dona, aliasque eleemosynas.

Hoc pacto illis juxta præcipitium conciliatur somnus, & in gremio fovendus anguis porrigitur, ita ut his blanditiis deliniti in suorum latrociniorum partem Deum etiam vocare non vereantur. At facilius est hoc malum detestari, quam corrigere; dum illud fovent, aluntque, qui corrigere deberent. *Peccatum rapinæ* (inquit divus Thomas *lib. 5. de Eruditione Princip. c. 6.*) *multum nocet; macula est valde adhærens. Vix enim deletur, vix enim aliquis perfecte restituit, quæ rapuit.*

Qui

Qui publicanis istis & negotiatoribus mutuo dant, usuram pariter committunt, ex qua restituendi obligatio consurgit. Neque illos excusat, quod amittendæ pecuniæ suæ periculum subeant, quia debitores sui cum Principe negotiantur, qui potest, si velit, spe sua illos frustrare; etenim mutuo non darent, si se existimarent pecuniam amissuros. Cautiones omnes adbibent, sæpe pignus, aut fidejussorem postulant. Verum hisce mutuationibus efficiunt, ut novis populus prematur oneribus; nam si publicanis hæc pecuniæ summa a privatis non suppeditaretur, numquam illi cum Principibus sua negotia tractarent.

CAPUT V.

Restitutio a Beneficiatis peragenda.

Nulla restitutio tam districte a Canonibus præscribitur, nulla a Doctoribus tam perspicue traditur, quam quæ a Beneficiatis est facienda; nulla tamen rarius fit. Ecclesiasticas regulas Beneficiati vel negligunt vel pro libitu interpretantur, & laxiorum Casuistarum opiniones facile sequuntur, qui plura sophismata pro eliminanda restitutione commenti sunt. Sed Jesu Christi judicium non effugient, qui de bonorum Ecclesiæ dissipatione rigidam inibit rationem.

In primis statuendum est, Beneficiatos suorum reddituum non ita esse dominos ut iis velut arbitri utantur (quidquid novi plerique Casuistæ dicant, qui circa id Canonibus & sanctis

Patribus adverſantur); Eccleſiæ ſiquidem ſunt hæc bona, quorum uſum & diſtributionem Canones præſcribunt.

Igitur Beneficiati horum bonorum ſunt *diſpenſatores*, eaque fideliter diſpenſare debent; propterea non eis licet, bonis iſtis avaritiam ſuam, luxum, aut vanitatem explere. Oportet, ut honeſto cultu contenti ſint, & quod ſupereſt, Eccleſiæ, pauperibusque diſtribuant juxta Canonum juſſa, qui hæc bona vocant *patrimonium pauperum, pretia peccatorum.*

Quam ob rem Beneficiarius ſi in alios uſus eccleſiaſtica bona diſtribuit, reſtituere tenetur, quidquid Eccleſiæ ſuæ vel pauperibus detraxit (*a*). Pauperibus furatur, quicumque illorum bona inaniter diſſipat; eſtque hoc furtum ſacrilegium, in prophanum ſiquidem uſum ea bona convertuntur, quibus Eccleſia divinis Officiis, Miniſtris ſuis, & pauperibus vult conſulere. *Non ſunt illa noſtra* (inquit ſanctus Auguſtinus) *ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus.* Eadem ſanctus Hiero-

(*a*) Eadem reſtitutionis lege illi quoque laici tenentur, qui ejusmodi eccleſiaſtica bona abſque paupertatis titulo ſive ex donatione, ſive ex teſtamento a Clericis acceperunt. *Nemo enim poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur* (*Reg. Jur. 79. in 6.*). Cum igitur Clerici in bona eccleſiaſtica dominium ipſimet non habeant, neque in alium illud transferre ullo tempore poſſunt.

Hieronymus ita tradit: *Quoniam quidquid habent Clerici pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes; susceptioni peregrinorum & hospitum invigilare debent.* Addit-que idem sanctus Doctor: *Si quando fames, penuria, & egestas opprimit mundum, sciamus id ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non recipiat eleemosynam, fraudari dicet sua possessione* (*Ep. ad Damasum*). Porro quis dubitet furtum quodlibet ad restitutionem adstringere? Si sacrum quis calicem, aut pixidem furatus fuisset; ullusne Confessarius furem hunc a sacrorum vasorum, vel eorumdem pretii restitutione liberaret? Sacra paullo minus sunt ecclesiastica bona, quæ a sæculi bonis sejuncta sancte & pie expendi Ecclesia jubet. Perspicue id docet sanctus Bernardus ita scribens: *Quidquid præter necessarium victum & simplicem vestitum de altari retines, tuum non est; rapina est, sacrilegium est.* In alia vero epistola sic loquitur: *Sane patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum sunt; & sacrilega crudelitate eis surripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores, non utique domini, ultra victum & vestitum accipiunt* (*Epi. ad Falconem.*).

Beneficiarii ditiores ecclesiasticis redditibus sic plerumque utuntur, ut consanguineos suos ditent. A Pontificibus hoc malum exordium sumit, quorum plerique familiam suam ditare studeant, neposesque suos Principes creare; unde plura in Ecclesiam scandala promanant. Pauci admodum Clementem IV. & sanctum Pium V.

imitantur, qui admirabilia moderationis exempla hoc in negotio edidere, & qui ante Dei tribunal ſucceſſores ſuos condemnabunt. Illorum exemplo permoti cæteri Beneficiarii conſanguineos ſuos ditare curant, quorum ut ſerviant commodis, Beneficiorum ſuorum pauperes fame perire ſinunt. Hoc pacto, ut eſt in proverbio, *a bove majori diſcit arare minor.*

Verum quidem eſt, ſi Beneficiarius pauperes conſanguineos habeat, poſſe illis ſuccurrere, & ſane potiori jure, quoniam hi ad ipſum ſpectant, & naturali lege illis præcipue ſubvenire tenetur; ſed moderatio adhibenda eſt, nec illis plus tribuere, quam eorum conditio petat; pauperibus enim reliquis furatur, ſuperfluum quidquid conſanguineis tribuit. Apoſtolorum trigeſimus ſecundus Canon ſic expreſſe ait: *Omnium negotiorum eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet, nec ei liceat de eis aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare. Quod ſi pauperes ſunt, tamquam pauperibus ſubminiſtret, ne eorum occaſione res Eccleſiæ deprædentur.*

Tridentina Synodus idem ſtatuit capite primo de Reformatione, Seſſione vigeſimaquinta, inquiens; *Omnino vero ſancta Synodus eis interdicit, ne ex redditibus eccleſiaſticis conſanguineos, familiaresve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſunt, ut pauperibus diſtribuant: ea autem*

autem non distrahant, non dissipent illorum causa. Imo, quam maxime potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquos carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, deponant (a).

Nihil

(a) Argumentum, quod clericalis dominii defensores ex recepta ubique ac approbata testandi consuetudine derivant, parum aut nihil roboris habet. Nam dum Ecclesia hanc Clericis facultatem indulsit, non arbitrariam, ac absolutam, qualem domini habent, sed ad pias causas restrictam, quæ meris etiam dispensatoribus competit, disponendi potestatem concessit, cujus proin limites longe transiliunt, qui ad causas omnino profanas, id est tam materialiter, seu quoad substantiam, quam formaliter seu quoad finem profanas testantur. Porro præter superflua adhuc alia bona uti patrimonialia, industrialia, parsimonialia &c. apud Clericos reperiuntur. Beneficialium superfluorum numquam domini fiunt, bene vero cæterorum; de his libere disponere possunt, non de illis. Ne itaque lites multiplicentur, testamentorum, ac legatorum executiones diu impediantur, Ecclesia quævis Clericorum testamenta ad causas etiam profanas facta pro foro externo valida agnoscit; quia ex ea parte, qua profanas causas respiciunt, non ex ecclesiasticis superfluis, sed aliis testatoris dominio subjectis bonis constare præsumuntur: sintne pro foro etiam interno talia, ipsimet testantes Clerici, eorumque Confessarii viderint. Auctoris sententiam tenent Nat. Alexander, Concina, Antoine, Cuniliati, van Espen, aliique celebres ex Clero Doctores.

Nihil ſanctius aut verius dici poteſt, ſed nihil minus ſervatur. Non inficior poſſe Beneficiarium conſanguineum ſuum in ſcholis alere, dummodo quatuor iſtæ adſint circumſtantiæ. Primo, ut ſtudiis conſanguineus uratur ad bonos addiſcendos mores, utque ſic aptior evadat ad munus aliquod exercendum juxta ſui ſtatus conditionem. Nam ſi ex ambitione ſolum ſtudia colat, ſi ad ſtudia ſit minus aptus, aut ſi inde vitioſior fiat, non liceret eccleſiaſticis redditibus illum in ſtudiis alere.

Beneficiarii plerique conſanguineos ſuos in ſcholis alunt, ut hi ipſis in Beneficiis ſuccedant, quin examinent, utrum illos ad eccleſiaſticum ſtatum Deus vocet, & utrum qualitatibus præditi ſint, quæ ad recte ferenda Beneficii onera ſunt neceſſariæ. Iſtud diligenter eſt conſiderandum, ne nos naturæ affectus fallat, quo regi in hoc negotio non debemus, ne erremus, & Eccleſiæ ſpiritui adverſemur. Verum ſi conſanguineus vocationis ſigna oſtenderet, & requiſitas conditiones haberet; poſſet Beneficiarius in hunc finem illum ad ſtudia mittere, dummodo tamen non illi Beneficium ſuum vellet renunciare, ſi in ſtudiis non proficeret, & juxta Eccleſiæ ſpiritum legesque ad illud non eſſet aptus. Iſta eſt ſecunda circumſtantia.

Tertia circumſtantia, an tuto poſſit Beneficiatus ex Eccleſiaſticis redditibus conſanguineum in ſcholis alere, eſt, quod ejusdem pater nequeat hanc expenſam facere. Non enim ideo Eccleſiaſtici redditus Beneficiatis traduntur, ut familias

lias suas ab iis sumptibus eximant, quos commode facere possunt, & debent. Sæpe autem evenit, ut consanguinei sic enutriti Ecclesiæ utiles non evadant, aut ejus servitio mancipare se nolint.

Sed potior circumstantia est, ne Beneficiarius Ecclesiæ suæ & pauperibus detrahat, quæ præstare eisdem debet, ut consanguineum suum in scholis alat; prius enim Ecclesiæ suæ & pauperibus, quam consanguineis suis debet consulere.

Quæri potest, an Beneficiato liceat parco victu cultuque uti, ut, quod hinc detrahit, consanguineis suis tribuat? Quoad hoc hanc regulam arbitror esse statuendam, videlicet posse Beneficiatum parsimonia hac uti, quodque sibi detrahit, consanguineis tradere, quia poterat illud in suos usus insumere, dummodo tamen sordide & indecore non vivat, nec inde populo scandali aut murmurationis occasionem præbeat; verum tutius esset, & viro Ecclesiastico magis dignum, Christi pauperibus illud largiri, quod honesto suo cultui detrahit.

Beneficiati, qui Horas Canonicas recitare omittunt, tenentur pro omissionis rata pauperibus vel suis Ecclesiis restituere, prout jam supra est dictum (*Part. I. pag.* 457.).

Clerici excommunicati Beneficiorum suorum fructus lucrari nequeunt, si absolutionem petere negligant, juxta quorumdam Casuistarum limitationem. At Panormitanus hanc limitationem

nem rejicit, aitque, Clericos excommunicatos absolute lucrari non posse fructus neque post absolutionem, quos excommunicationis tempore perceperunt. Ante Panormitanum idem docuere Glossa, Hostiensis, & Innocentius III. Igitur ex horum Doctorum sententia fructus in excommunicatione perceptos tenentur restituere.

Beneficiarii, qui consanguineis quidem suis nihil tribuunt, sed pecuniam congregant, & in arca condunt, bona pauperum detinent, sordidamque præseferunt avaritiam, indignam omnino Ecclesiæ ministris, qui in Cœlis tantum debent sibi thesaurizare, ibique eleemosynis amicos sibi parare, Si ex hac avaritia pauperum necessitatibus non subveniunt, graviter profecto peccant, & quæ collegerunt, tenentur restituere. Verum si ex parsimonia pecuniam colligunt, timere tamen semper debent, ne peccent; collectaque ab ipsis pecunia est veluti domesticus dæmon, qui crudelius ac formidabilius eorum animam possidet, quam corpus posset possidere.

CAPUT VI.

Restitutio Confessariis imputanda.

Valde interest, ut norint Confessarii, quando sibi restituendi onus incumbat; hoc enim pacto pœnitentes restitutioni obnoxios de restitutionis onere diligentius admonebunt.

Quando ex malitia, ex metu, aut ex culpabili ignorantia pœnitentes suos de onere restituendi;

mendi, quod illis incumbit, non admonent Confessarii; tunc ipsimet restitutioni sunt obnoxii, quia eorum silentium alieni damni est causa. Hæc doctorum plurium Casuistarum est sententia, quam ego libenter amplector non modo pro Confessariis, qui ex officio confessiones audiunt, sicut Episcopi & Parochi, verum etiam pro aliis quibuscumque. Nam in Sacramenti pœnitentiæ administratione Confessarii sunt quasi medici & judices: tamquam medici ægris pœnitentibus ea remedia debent porrigere, quæ ad spiritus sanitatem obtinendam sunt necessaria; tamquam judices veram sententiam debent pronunciare, & pœnitentes ad restitutionem compellere, cui sunt obnoxii. Illos excusare ignorantia non potest; si enim officium suum exequi nesciunt, illud nullatenus debent exercere.

Confessarius, qui ex malitia, ex metu, aut ex culpabili ignorantia pœnitentem in aliquo casu a restitutione liberum judicarit, quando revera ad illam tenebatur, aut illi faciendam dixerit, cui non est facienda, restituendi onus in se transfert; quia consilio suo malo damni alterius causa est.

Quod si hoc verum est, quid agere debent Principum Confessarii, qui illos numquam admonent de restitutione subditis facienda, propter damna auctoritate & vi iisdem illata; sed illis blandiuntur, tutaque id facere conscientia posse pronunciant? Respondet perspicue sanctus Augustinus inquiens: *Illud vero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit,*

venit, ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſte poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis. Nolentes autem reddere, quæ novimus & male abſtuliſſe, & unde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur, quosdam clam, quosdam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe recipere medicinam, & in aliorum perniciem ad majorem inſaniam concitari; aliquando etiam, ſi res magis curanda non impedit, ſancti altaris communicatione privamus (*epiſt.* 54. *ad Macedon.*). Quomodo inſignis hujus Epiſcopi praxis cum profano prorſus quorumdam Confeſſariorum more poteſt convenire, qui Principes reſtitutioni obnoxios neque arguunt, neque increpant, ſed ſilent; qui non modo pœnitentes ſuos male ablata reddere detrectantes ab Euchariſtia non arcent, verum ad hanc ſumendam hortantur? At evangelicus homo erat ſanctus Auguſtinus, qui potentum faciem non metuebat, & juxta Dei lumen de rebus judicabat. Sæpe pœnitentes male ablata redderent, ſi monerentur, adeo, ut ex Confeſſariorum culpa interdum non peracta reſtitutione moriantur; atque hoc pacto ſive ex pravo metu, ſive ex iniqua cupiditate illos in gehennam mittunt, quos ad cœlum manuducere Confeſſarii debuiſſent.

SECTIO

SECTIO V.

DE CONTRACTIBUS, ET FRAUDIBUS.

CAPUT I.

Contractus notio, divisio, & conditiones.

Contractus late sumptus est duorum aut plurium de eadem re conventio in uno saltem obligationem pariens; strictius sumptus in Jure definitur, quod sit ultro, citroque, seu mutua obligatio (*L. labeo ff. De verb. Signif.*). Definitio ista in sensu causali est accipienda; non enim contractus est ipsa fornalis obligatio, sed hæc ex contractu seu conventione veluti ex lege, quam sibi contrahentes posuere, sponte sequitur, jamque naturalis, jamque simul civilis est.

Dividitur autem contractus in *nominatum*, & *innominatum*. Ille certum aliquod in jure, aut humano commercio nomen accepit; hic anonymus mansit, & quadrifariam initur videlicet: *facio, ut facias: do ut des; facio ut des; do ut facias.* Exempli gratia do tibi superfluum meum oleum, si mihi de tuo vino tantumdem præbeas &c. faciam auferri hanc fenestram, si tu facias auferri illam januam &c.

Contractus nominatus 1. alius in utilitatem solius dantis; alius in commodum solius acci-

pientis; alius in utriusque contrahentis vel plurium emolumentum cedit. 2. Alius *gratuitus*, in quo aliquid datur, quin quidquam pro eo accipiatur, uti in donatione, commodato &c. alius *oneroſus*, in quo quidquam pro dato accipitur, uti in venditione, locatione. 3. Alius *bonæ fidei*, in quo nædum id, quod expreſſum eſt, ſed & aliud juxta æquum boni viri judicium utcumque connexum ſervari debet: alius *ſtricti juris*, in quo expreſſis verbis unice inſiſtitur. Inter hos mutuum, ſtipulatio, donatio, promiſſio gratuita, legatum, teſtamentum &c.: inter illos emptio, venditio, conductio, locatio, depoſitum, commodatum, pignus, permutatio, ſocietas &c. occurrunt. 4. Alius *nudus*, qui obligationem ſolum naturalem non civilem habet, & tales ſunt omnes contractus innominati necdum adimpleti, ſicut & promiſſiones de contractu nominato ineundo &c. alius *veſtitus*, qui adjuncto quodam firmatus obligationem etiam civilem parit, judicisque aſſiſtentiam experitur. Adjuncta, quibus contractus veſtiuntur, præcipua ſunt juramentum, teſtes, ſcriptura, rei conventæ traditio, executio. 5. Alius *imperfectus*, cui aliquid deeſt; alius *perfectus*, cui, quo minus obliget, nihil deeſt; hanc autem perfectionem nonnullis contractibus ſolus conſenſus rite expreſſus: aliis inſtrumentum ſcriptum; aliis ipſa rei traditio adfert. 6. Denique contractus alius eſt *formalis*, ſeu explicitus, qui verbis vel ſignis expreſſis initur, uti emptio, venditio &c. alius *virtualis*, ſeu implicitus, aut quaſi contractus, qui tacite per aliquod factum,

aut

aut libere susceptum iniri præsumitur. Tales contractus omnibus publicorum munerum, ac officiorum acceptationibus se ingerunt; ita, ut, qui ea suscipiunt, non secus acsi verbis spopondissent, ad sui muneris partes obeundas, ex justitia obligentur.

Omnis contractus validus, etiam nudus, pro foro saltem interno obligat (*a*). Ut autem validus sit contractus, requiritur 1. personarum ad contrahendum habilitas; 2. rei ad alienandum capacitas; 3. consensus legitime manifestatus; 4. ea, quam leges præscribunt, forma.

Legitima ad contrahendum *habilitas* iis competit, qui sanæ rationis usum, ac liberam bonorum suorum administrationem habent. Hinc Paterfamilias de rebus sibi subjectis, & uxor de paraphernalibus pacisci potest, non de dote, aut bonis familiæ contra mariti voluntatem. Similiter filii nondum emancipati, circa castrensia bona absque parentum consensu valide contrahunt; non item circa adventitia aut profectitia; quia non horum, sed illorum dumtaxat administra-

(*a*) Triplex contractuum potest esse obligatio. *Naturalis* tantum, quæ ex jure naturali fluit: *Civilis* tantum, quæ ex legibus in præsumptione, hic & nunc falsa, fundatis oritur, & actionem in foro externo tribuit: *Mixta*, quæ ex utroque jure promanat, adeoque & conscientiam stringit, & externam actionem tribuit. Obligationem civilem non naturalem pactis nudis quædam leges denegant.

ſtratio eis eſt permiſſa (*a*). Si tamen filii adhuc impuberes ſint, de quibuscumque contrahant, nihil agunt. Pupilli quoque ſine tutoris conſenſu nihil poſſunt, niſi forte in proprium commodum contractus cedat. Idem de prodigis absque curatorum præſcitu contrahentibus jure ſtatuunt (*b*).

Alienationis *capacitas* illis in rebus datur, quorum dominium, ſimul & adminiſtratio ei, qui contrahere cupit, plene competit. Hinc hypotheca, depoſitum, in contractum venire nequeunt; quia dominium in ea penes priorem poſſeſſorem manet, hujusque etiam reſtricta po-

teſtas

(*a*) Bona *caſtrenſia* ſunt, quæ a filiis per militiam ſagatam; *quaſi caſtrenſia*, quæ per militiam togatam, videlicet per officium publicum Medici, Judicis, Beneficiati &c. acquiruntur, utrorumque & dominium & adminiſtratio filiis competit: *Adventitia*, quæ filiis privato ex labore, aut donatione, hæreditate ab aliquo lineæ maternæ adveniunt: horumque dominium penes filios, adminiſtratio tamen & uſusfructus penes patrem manet: *Profectitia*, quæ filii cum bonis paternis negotiando, aut per interventum patris acquirunt, & tam dominium, quam adminiſtratio unice patri competit.

(*b*) *Filius* vel *filiafamilias* eſt proles ſub patris cura, ac poteſtate degens, a qua eam de ſe nulla ætas liberat. *Minor* ſeu *minorennis* eſt proles jam pubes, patre orbata, cui patris loco curator præficitur. *Pupillus* eſt proles adhuc impubes patre deſtituta, cui pro patre tutor conſtituitur. Pubertas in fœmellis anno 12. in maſculis anno 14. completo incepiſſe præſumitur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

testa- est. Super bona quoque ecclesiastica contrahi nequit; quia mera eorum administratio, non dominium Præpositis est concessum. Si ex necessitate, aut majore utilitate facienda eorumdem alienatio videatur, a Papa peti licentia debet; nisi aliud speciale privilegium, aut consuetudo ferat. Pactum de re quadam danda sub conditione turpi jure positivo non valet; si tamen semel impleta conditio sit, ex lege naturali promissum dandi obligationem adesse cum sancto Thoma communior tenet, damnum enim, aut periculum, quod alter illicitum præstando subiit; emolumentum aut delectatio, quam alter exinde cæpit, pretio æstimari, atque adeo in pactum deduci valide potest.

Consensus ad contractus valorem requisitus 1. verus, 2. liber, ac 3. mutuus sit oportet. Hinc 1. si exterius tantum annutus fingatur, mensque contrarium, videlicet non contrahere, cogitet; contractus nullus est, nullamque per se obligationem naturalem parit. Sic tamen contrahens propter duplicitatem cordis, & dolum graviter peccat, utque compaciscentem servet indemnem, vel rem ipsam dare, vel aliud æquivalens præstare tenetur, quod si recuset, conveniri coram judice potest, qui ex verbis expressis pro valore contractus pronunciabit. 2. Si error substantialis interveniat, resque alia sive numero, sive specie, quam tu exigebas, aut alter promittebat, postea comperiatur, contractus non tenet; quia in rem talem nullatenus consensisti; secus foret, si rei sperata solummo-

do qualitas, primario ac unice non intenta deesset. Si una pars consensum deneget, contractus haud resultat; si tamen minis, gravique metu, etiam injuste incusso consensus obtineatur, quia hic adhuc voluntarius est, de jure naturæ contractum efficit; ast satis infirmum; quia propter illatam injuriam rescindi coram judice potest. Contractum matrimonialem gravi metu injuste extortum non valere, infra dicemus (a).

Contractuum *forma* in consensu, certis quibusdam cæremoniis, aut conditionibus vestito, consistit. Sicut diversi contractus, ita diversæ eorumdum formæ sunt. Imo idem sæpe contractus diversis in provinciis diversa, quam leges præscribunt, forma celebratur. Non igitur gene-

(a) Contractus injuste extortus, sicut & ille, qui jure sive naturali sive positivo est irritus, juramento non firmatur. Nam aliud est juramentum esse validum, & aliud, contractum juramento firmari. Juramentum est *validum*, quando potest servari sine peccato, & damno tertii; quamvis per illud nullum jus acquirat is, in cujus favorem factum est: sicque facile potest relaxari. Juramentum vero *firmat* contractum, quando huic jam valido, ac legitimo supervenit, ita ut non solum Religionis, sed & justitiæ obligationem inducat, alteriusque jus obfirmet; hinc obtenta juramenti relaxatione adhuc justitiæ obligatio, ex contractu valido orta, remanet, quæ, utpote realis, ad hæredes transit. Nihilominus contractum jure naturali validum, quem Jus positivum unice in favorem contrahentis irritum decernit, hujus ipsius contrahentis juramento firmari, communior Doctorum opinio est.

generalis regula tradenda, sed municipalis lex præprimis est attendenda. Plura de hoc Juristæ scribunt, nonnulla in iis, quæ sequuntur, capitibus attingemus.

Sed quid; si contractus absque juris forma concludatur? valetne pro foro saltem interno? De hoc Theologi ipsimet non conveniunt. Eorum sententia mihi magis arridet, qui contractus contra vel præter legum præscripta initos quosdam validos, quosdam invalidos pro foro interno declarant. Contractus, quos Jura præcise sic fieri *prohibent*, semel facti valent, ac conscientiam ligant. Nam *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem* (*cap. ad Apostolicam. De Regular.*). Quos vero leges civiles nædum prohibent, sed & factos *irritant*, ac *annullant*, pro foro conscientiæ non obligant, præsertim si legibus sacri Canones subscribant, aut non refragentur. Hæc quippe potestas legislatoribus competit, justosque fines habet. Hinc est, quod matrimonialis contractus in gradibus prohibitis initus penitus nullus sit; econtra testamentum forma solemni destitutum, usque dum expresse, ac juridice rescindatur, jus hæredi tribuat; quia quoad primum jus utrumque conspirat; cum tamen quoad secundum Jus sacrum civili resistat (cap. *Relatum. de Testam.*).

CAPUT II.

Restitutio ex contractu debita.

Antequam generalem tradamus restitutionis regulam a contrahentibus observandam, denuo scire oportet, inter contractus quosdam cedere in utilitatem solius *accipientis*, uti mutuum, commodatum, Precarium, Pignus, Hypotheca, Fidejussio; alios in utilitatem solius *dantis*, uti depositum; alios in utilitatem *utriusque*, uti Emptio & venditio, Locatio & Conductio, Census, Cambium, Emphiteusis, Feudum, Assecuratio.

Non solum ex culpa Theologica, sed & juridica illi, qui contractu se obstrinxerunt, restituere tenentur. Culpa juridica debitæ diligentiæ omissio est, & triplex a Juristis distinguitur: lata, levis, levissima. Culpa *lata* seu *gravis* ea est, quando diligentia omittitur, quam ejusdem conditionis homines in suis negotiis adhibere communiter solent. Culpa *levis* est omissio cautionis & diligentiæ, quam diligentiores adhibent. *levissima* est omissio diligentiæ, & circumspectionis, qua viri prudentes, ac diligentissimi utuntur. Differt a casu, tamquam eventu, quem nec diligentissimi prævidere, aut impedire possunt. Si rem apud te depositam in loco parcoti relinquis, culpam latam, quæ sæpe dolo æquiparatur; si in loco non clauso, culpam levem; si in loco apparenter, sed non vere ac circumspecte clauso, culpam levissimam comittis; si deni-

denique rem optime custoditam, ac recluſam fractis repagulis fures auferant, eluvia, aut ignis consumant, casui imputandum erit.

Ex contractu primi generis, qui *in accipientis* utilitatem fit (precarium excipe) accipiens, si res apud ipsum pereat, ex culpa quacumque, etiam leviſſima ad ejus restitutionem tenetur; naturalis enim æquitas postulat, ut quicumque in sui commodum aliquid accepit, in eo servando diligentiam exactiſſimam adhibeat; unde si eam omittat, resarcire damnum alterius debet. Si tamen ex casu fortuito res perierit, restitutionis nulla est obligatio, nisi id expresse in pactum fuisset deductum, aut in accipientem (prout in mutuo contingit) translatum rei dominium sit, sic enim res non priori, sed moderno domino, videlicet mutuatario periret.

Ex contractu in *solius dantis* utilitatem cedente, si res apud accipientem pereat, hic solummodo ob dolum, vel culpam latam restituere tenetur. Hoc enim in casu accipienti nulla fit gratia, sicque ad majorem, quam communem diligentiam adstringi non potest. Aliud foret, si depositarius exempli gratia se ipsum obtulisset, si exactam curam promisisset, aut pro rei custodia mercedem accepisset.

Ex contractu in *utriusque* commodum cedente ob latam seu gravem & levem culpam restituendi datur obligatio. Æquum enim est, ut accipiens, aut retinens rei in suam utilitatem concessæ curam habeat, non tamen exactiſſimam; quia non ille solus, sed etiam dominus

commodum ex ea reportat. Verum si res casu pereat, qui illam accepit, restituere non tenetur, nisi de hoc pactum expressum præcesserit. Nam si pactum adesset exempli gratia quasdam merces transferendi, qui illas transfert, restituere tenetur, si pereant; quemadmodum etiam si quindecim diebus id vendere distulisset, quod cum accepit, intra quatuor dies vendere promisit, restituere teneretur, si res corrumperetur, aut periret, quia culpa sua promissa non implevit.

De quasi contractu eadem fere regula tenet. Si quis ex officio publico Medici, consiliarii &c. quidquam in alterius commodum faciat, nihilque inde mercedis accipiat, tantummodo damnum ex dolo, aut culpa lata secutum resarcire tenetur; quia non pro suo, sed alterius emolumento agit. Si tamen officium, aut munus quæsiviſſet, consilium suum non rogatus obtrusisset, vel mercedem recepisset, culpam levem, imo si sic conventum esset, etiam levissimam præstare deberet; sicut enim hic inversus est casus, ita & opposita ratio valet.

Hæ genericæ contrahentium obligationes sunt. Speciales magis Juristæ tradunt, quos sciendi cupidus consulere potest. Nos præcipuas tantum in iis, quæ sequuntur, capitibus exponemus. Prius de contractibus gratuitis, postea de onerosis acturi.

CAPUT

CAPUT III.

Promissionis, & donationis notio, ac obligatio.

Promissio est spontanea fidei obligatio, quæ cum deliberatione, & veritate fit de re possibili & licita. Dicitur 1. *Fidei obligatio*, quæ antequam alter eam acceptet, haud subsistit (*a*). 2. *Spontanea*, quia coacta promissio nullius est roboris. 3. *Cum deliberatione*, quæ deliberatio tanta esse debet, quanta ad mortale peccatum requiritur. 4. *De re licita;* quia de re mala non est servanda promissio. Hujusmodi Herodis promissio fuit Herodiadi facta, qua se ille temere obstrinxit, & quam sancti Joannis occisione crudeliter est executus. 5. *Cum veritate;* etenim si ficta sit promissio, obligationem non parit; quæ autem ex joco fit, aut urbanitate, nullam pariter obligationem inducit (*b*).

Pro-

(*a*) Multi censent ad promissionis gratuitæ acceptationem solam promissarii taciturnitatem sufficere; ad onerosam vero, e. g. matrimonii promissionem claris omnino verbis, vel signis expressam requiri. Sed quidquid demum de hoc sit, id saltem de promissione Ecclesiis, civitatibus, aliisque piis locis facta est verum, hanc enim tacita etiam acceptatione firmari communiter Doctores sentiunt.

(*b*) Ficta equidem promissio ex se ad nihil obligat; si tamen ex ea damnum promissarius patiatur, illud recompensare promissor debet. Porro præcipuæ promissiones, quas Jura irritas reddidere, sunt

Promiſſio hisce veſtita conditionibus in gravi materia gravem juſtitiæ obligationem inducit. Unde ſi is, cui facta promiſſio eſt, ob infidelitatem promittentis damnum eſt paſſus, illud reſarcire promiſſor tenetur; idque de promiſſionibus tam oneroſis, quam gratuitis eſt verum. Melius proin eſt numquam promittere, quam promiſſa non ſervare; ſtulta enim ac infidelis promiſſio Deo diſplicet.

Cuivis Promiſſioni tacita hæc conditio ineſſe præſumitur: *Si res in eodem ſtatu maneant, nec notabilem mutationem patiantur.* Hinc pleribus modis illius deficere obligatio poteſt. 1. Si inutilis, aut omnino noxia promiſſa res promiſſario fiat. 2. Si illicita, aut moraliter impoſſibilis promiſſionis executio evadat. 3. Si promiſſarius ſponte obligationem remittat, aut fidem retro datam ipſus ſervare nolit. 4. Si is, cui promiſſio gratuita eſt facta, ex amico in promiſſoris inimicum mutetur. 5. Denique ſi novæ ac improviſæ circumſtantiæ emergant, in quibus ſtatim ab initio promiſſio, ſaltem gratuita, facta non fuiſſet. Porro promiſſionem oneroſam ſtrictius, quam gratuitam obligare, ex earum

---

ſunt 1. Illæ quæ inducunt ad liberius peccandum. 2. Promiſſiones non condendi, aut non revocandi teſtamentum, talem vel talem inſtituendi hæredem, & ſimiles aliæ, quibus libera de rebus ſuis diſponendi poteſtas reſtringitur. 3. Promiſſiones Beneficii eccleſiaſtici nondum vacantis, ſive in communi ac indeterminati (cap. *Nulla. de Conceſſ. Præbend.*), ſive in particulari & determinati (Conc. Later. III. *cap.* 8.).

earum notione, ac differentia cognosci facile potest.

Donatio est liberalis, ac deliberata doni largitio; donum autem quodvis datum gratuitum vocatur. Donatio gratuita sit oportet; nam si aliquid ob acceptum beneficium alteri traditur, potius debiti solutio, aut grata remuneratio, quam donatio est. Conditiones, quas supra pro valore promissionis adduximus, potiore jure ad validam donationem requiruntur, illique omnes, qui contrahere (*pag.* 219.) etiam donare possunt (*a*).

Duplex

(*a*) Jure positivo irritantur 1. Donationes, quas Novitii ante bimestre immediate sacram professionem præcedens sive Monasterio, sive aliis fecerunt (Trid. *Sess.* 25. *cap.* 16.). 2. Donationes bonorum immobilium absque Papæ licentia a Prælatis, vel religiosis communitatibus factæ (Bull. *Ambitiosæ.*). Fideicommissarius de fideicommisso nihil alteri donare potest. 4. Donatio inter vivos liberalis a marito uxori, aut vicissim facta invalida, aut saltem infirma & revocabilis est (L. 1. 2. & 3. ff. *de donat. inter vir. & uxor.*) sed juramento firmata, aut remuneratoria, aut valde moderata valet. 5. Eodem sensu, eademque limitatione donatio, quam pater filio non emancipato fecit, valore caret (L. *cum de bonis C. de donat.*); valet tamen donatio a filio patri, aut a matre filio facta, nisi leges municipales aliud quid decernant. 6. Donatio omnium bonorum, tam præsentium, quam futurorum (nisi forsan ad pias causas, aut mortis causa sit facta) suo robore destituitur (L. *Stipulatio. ff. de verbor. obligat.*). 7. Donatio quin-

Duplex a Doctoribus donatio distinguitur, una *inter vivos*, altera *mortis causa*. Illa prior statim ac acceptata est, jus ad rem in donatarium transfert, nec amplius revocari, nisi in certis casibus, potest: posterior, quoad donator vixerit, suo effectu caret, facilique ex motivo imo pro arbitrio revocari potest, ast non revocata morte donatoris firmatur.

Casus, qui donationem inter vivos revocabilem efficiunt, tres assignantur. *Primus* est ingratitudo donatarii, uti si hic donatorem injuriis, aut verberibus excipiat, insidias struat, grave damnum inferat, aut ei magna in necessitate constituto non succurrat. *Secundus* est proles *suscepta*, non prævisa, nec sperata; si nempe huic ex donatæ rei traditione in sua legitima præjudicium causaretur. *Tertius* est ipsius donationis *inofficiositas*, si nempe hæc contra pietatem parentibus, aut filiis debitam sit facta, ita, ut eorum justam sublevationem, aut legitimam minuat.

Ab usurario, vel fure rem eamdem in specie accipere non licet, quæ usura vel furto surrepta est; nam juxta vulgatum juris axioma *Res clamat ad dominum*, eamque oportet restituere.

Quod si usurarius vel fur ad restituendum impos donatione fiat, tenetur ne donatarius restituere?

Ut

---

quingentos solidos excedens, invalida est (L. penult. C. de donat.). Sub *solido* aliqui unum aureum vulgo ducatum, alii duos intelligunt.

Ut recte huic quæstioni respondeam, peto, an donatarius cognoverit donantem impotentem ad restituendum donatione fieri; vel si cognovit, ad donandum impulerit, nec ne? Si hanc impotentiam cognovit, profecto restituere tenetur, quia damno alieno cooperatur. Auctores aliqui cum Petro Navarro putant, non teneri donatarium restituere, si furem vel usurarium ad donandum non impulit. Alius addit, ad restitutionem non teneri, nisi donans ex donatione præcise impos fiat; nam si donans homo esset industrius, qui artem aliquam exercendo restituere posset, & ex negligentia sua factus esset impos, tunc donatarius ad restituendum non adstringitur. Verum hæc ratiocinatio subtilis potius est, quam vera; nec in praxi amplectenda. Quemadmodum nec illa, quam idem Auctor subjicit, videlicet restituendi impotentiam non censeri ex donatione profectam, sed ex prava usurarii voluntate, si hic restituendi voluntatem non habuit; nam prava hæc voluntas novum est peccatum, quo usurarius animus obfirmatur, nec ideo tertius debet damnum pati. Præterea nonne potest usurarius voluntatem mutare? Quod si muret, nonne ex donatione ipsa impos ad restituendum evadet?

CAPUT IV.

Testamenti notio, conditiones, & appendices.

Inter ultimas voluntates testamentum eminet, ac definitur voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri statuit, cum

cum directa hæredis institutione. *Solemne* est, in quo omnes, quas Jura præscribunt, solemnitates observantur. Solemnitates istæ diversis in provinciis diversæ sunt, easque ex legibus municipalibus discere oportet (*a*). *Minus solemne* dicitur, quod hujusmodi solemnibus cæremoniis caret. Talia testamenta fiunt a militibus in castris, a civibus tempore pestis, a rusticis in villis &c. quæ propterea *privilegiata* vocantur. Solemne testamentum quandoque est mere *nuncupativum*, dum nempe coram congregatis testibus hæres viva voce instituitur, eique legata exequenda committuntur; quandoque & sæpius clausum, ac scriptis adnotatum, dum videlicet instrumentum coram testibus producitur, ac tamquam fide dignum ab ipsomet testatore subscribitur.

Testamentum, licet aliqua juris civilis, aut consuetudinis solemnitate careat, nihilominus quoad conscientiam valet. Hinc, qui hæreditatem adiit, solvere tenetur legata, præcipue ad pias causas a testatore facta; etenim quoad pia legata, id communiter Doctores tradunt, quamvis de valore testamenti profani inter sese dissentiant (*b*). Ad

(*a*) Jure cæsareo septem requiruntur testes, mares, puberes, specialiter rogati, & idonei. 2. Coram his testamentum propria vel aliena manu scriptum & subscriptum suæ voluntati omnino conforme esse testator pronunciat. 3. Testes propria manu sua nomina subscribunt, & eodem ac continuo tempore sigilla apponunt.

(*b*) Circa testamenti hujusmodi valorem unice loci consuetudinem, & judiciorum praxim attendendam

Ad condendum testamentum per se nulla lex obligat; plerumque tamen, ut lites ac rixæ evitentur, testari per accidens necessum est. Christiani testamenta condituri meminerint se fideles esse, non ethnicos, ac proin oportere, ut fidei, pietatisque suæ monumenta relinquant, non ambitionis, & vanitatis. Tot fideicommissa instituunt, totque condunt substitutiones, ut familias suas perennare velle videantur ii, qui infimo loco nati iniquis plerumque artibus aliquem familiæ suæ splendorem, ingentesque divitias compararunt. Terram ille nimis amat, qui de familia sua adeo est sollicitus, Parum Reipublicæ confert, ut hujusmodi familiæ sint æternæ, quando ex humanarum rerum vicissitudine illustres tot progenies extinguuntur.

Jure canonico testari prohibentur 1. Clerici de bonis beneficialibus congruæ sustentationi superfluis,

---

dam esse, P. Antoine existimat. Duas inter sententias, quarum una testamentum civili solemnitate destitutum absolute validum, altera simpliciter invalidum pronunciat, P. Billuart mediam tuetur, illudque partim validum partim invalidum esse docet, eo nempe sensu, quod testamentum sic factum ex testatoris voluntate valorem habeat; non tamen firmitatem: ob *valorem* (ait) potest hæres institutus, si nemo contradicat, hæreditatem tuto adire; ob *infirmitatem* potest hæres ab intestato juste excipere, hæreditatem petere, & adjudicatam retinere. Sicque pluribus conscientiæ perplexitatibus, & peccandi periculis obviatur. (Tract. *de Contractibus*, *Diss.* 2. *a.* 3. §. 3.).

perfluis, 2. Religioſi poſt emiſſum paupertatis votum. Jure civili teſtandi poteſtas adimitur 1. Servis ad cauſas profanas. 2. Filiis impuberibus; nam puberes de bonis caſtrenſibus, & cum licentia patris, etiam de adventitiis valide teſtantur. 3. Amentibus. 4. Prodigis ab administratione bonorum ſuſpenſis. 5. Obſidibus. 6. Poſſeſſoribus dubiis. 7. Ob crimen læſæ Majeſtatis, vel aliud grave delictum ad carcerem, vel mortem condemnatis.

Hæreditas proin nihil aliud eſt, quam ſucceſſio in jure, quod defunctus habuit. Ille, qui ſic ſuccedit, hæres dicitur, & quidem *ex teſtamento*, ſi a teſtatore ſit deſignatus, vel *ab inteſtato*, ſi ob conjunctionem propinguitatis ex juris diſpoſitione defuncto in bonorum poſſeſſione vel totali, vel partiali ſuccedat. Qui in linea recta deſcendente, vel defectu hujus in aſcendente teſtatori junguntur, hæredes *neceſſarii*; qui in collaterali, hæredes *arbitrarii* reputantur, ſicque hi, non vero illi, niſi ob gravem cauſam (*pag.* 222.) excludi ab hæreditate poſſunt.

Teſtamento ſæpe ſuperadditur codicillus, inſeritur fideicommiſſum, aut legatum. Eſt autem *Codicillus* ultimæ voluntatis diſpoſitio, qua circa ea, quæ in teſtamento ſunt poſita, aliquid explicatur, aut additur, aut diminuitur, quædam videlicet apponendo legata, fideicommiſſa &c. per codicillum nullus directe inſtituitur hæres, ſed inſtitutus ſupponitur.

Fideicommiſſum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, qua gravatur hæres ut vel totam hæreditatem,

tatem, vel ejus partem cuidam tertio tradat, qui proin hæres saltem mediate, & indirecte instituitur (*a*).

Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua hæres aliquid ceu donum particulare cuidam tertio relinquit, qui, quamprimum hæreditatem hæres adiit, jus ac dominium in legatum acquirit, illudque in suos hæredes transfundit. Id curare hæres debet, & præcipue pia legata, quæ ante alia sunt solvenda; ea præsertim, ex quibus missæ pro testatoris anima sunt offerendæ. Non sunt a Confessariis absolvendi hæredes, qui ista exequi negligunt, cum exequi possunt. Idem circa eos est observandum, qui legata perpetua temere omittunt (*b*).

Quatuor circa legata, ut eorum valor innotescat, circumstantiæ sunt animadvertendæ. *Prima* est *conditio* legato adjuncta, quæ quasi voluntatis testatoris suspensio est. Si conditio præsens, vel transactum tempus respicit, dummodo

(a) Hæredi, nimiis fideicommissis gravato, lex quædam civilis, (quæ a suo auctore *Trebellianica* vocatur) facultatem concedit, ut solutis debitis, & funeralibus quartam hæreditatis partem sibi retinere possit, ne omnino frustra hæreditatem adierit. Similem concessionem alia lex, *Falcidia* dicta, hæredi excessivis legatis gravato tribuit.

(b) Alexander VII. hanc damnavit propositionem: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.* Est num. 43.

modo vera sit, valet; tunc enim testatoris voluntas fit absoluta. Si vero conditio est futura, non sufficit eam quomodolibet compleri; sed oportet, ut juxta testatoris voluntatem compleatur. Exempli gratia ille, cui Bibliotheca est legata sub hac conditione, ut doctoratus lauream accipiat, si indoctus, & immeritus sola gratia vel pecunia ad istum gradum evehitur, non potest legatum accipere: quod si recipiat, restituere tenetur. Si Nicolaus aliquid Joanni legavit ea conditione, si non nubat, Joannes etsi uxorem ducat, legatum non amittit; nam non nubendi conditio, utpote naturali libertati repugnans, tamquam injusta ac inhonesta in Jure reprobatur. Econtra si conditionem testator adjecit, ut legatarius nubat, hic legatum accipere potest, etsi Religionem ingrediatur, non enim honesta est conditio, quæ hominem a perfectiori statu removet. Atque hæc universalis est regula, conditionem quamlibet inhonestam ac turpem tamquam nullam repelli, & pro non adjecta haberi juxta Authenticam *de sanctiss. Episcopis. §. sed & hoc. collat.* 9.

Secunda circumstantia est *modus* quo legata exequi testator jubet; qui modus utique dispositionem non suspendit, sed a legatario est stricte servandus.

Tertia circumstantia est *causa* legati, quæ vel impulsiva, vel finalis est, additisque conditionibus ac adimpletis obtinetur.

Quarta demum circumstantia est legati *specificatio*, quando nempe res ipsa demonstratur, veluti

veluti si dicatur: Lego Sempronio centum nummos, qui in meo scrinio sunt. Si error substantialis in hac specificatione irrepserit, uti si nihil in scrinio reperiatur, invalidum est legatum, at si triginta ibi inveniantur, hi legatario sunt tradendi (L. 1. *ff. de Dote præleg.* §. *vel.*). Quodsi accidentalis sit error, legatum non vitiatur: velut si testator dicat: Cajo lego prædium, quod a Petro emi: licet illud a Petro non emisset, adhuc legatum valeret.

Juxta has circumstantias probe examinanda sunt, quæ fiunt, legata; hæc enim sæpe vanitatem magis, quam caritatem præseferunt. Hujusmodi sunt Beneficiorum fundatio, Capellarum ædificatio, atque his similia, quæ absque Ecclesiæ incommodo possunt prætermitti, nec admodum utilia vel necessaria sunt iis in locis, ubi pauperibus potius esset subveniendum. Beneficiorum patronatus suæ genti, familiæque relinquitur, sua stemmata ædificiis jubentur apponi: uno verbo, cuncta pro familia fiunt, & sub pietatis velo ambitio tegitur. Summa vero injustitia tunc committitur, quando restitutionis loco pia legata conduntur. Quædam hæc est latrociniorum suorum cum Deo transactio, illique ea offeruntur, quæ ipse abominatur. Attamen hæc passim fieri conspicimus, & dolemus, quæ pius, prudensque Confessarius numquam laudare, aut suadere poterit. Si quis Ecclesiam hæredem instituisset, filiis suis prætermissis, hanc se hæreditatem respuere clamat sanctus Augustinus, & alium quemlibet quærendum esse,

qui illam adeat, non Auguſtinum; patres tantummodo hortatur, ut, ſi quatuor filios habent, quinque numerent, addito nempe Jeſu Chriſto, id eſt pauperibus. Ut pia legata inſtituant, ſuos filios exhæreditare parentes non debent; ſed neque parochiæ ſuæ pauperum oblivisci, his ſiquidem cœli ſunt janitores.

CAPUT V.

Depoſiti, commodati, ac precarii notiones, & obligationes.

Depoſitum eſt contractus, quo aliquid alteri cuſtodiendum traditur, quocumque placuerit, tempore repetendum. In depoſiti contractu dominium non in depoſitarium transfertur, ſed penes deponentem manet. Ut perfectus ſit hic contractus, rei traditio, ejusque in cuſtodiam expreſſa acceptatio requiritur. Ordinarie res mobiles deponuntur; immobiles vero ſequeſtrari dicuntur, usquedum cui cedendæ ſint ex litis deciſione, ac judicis ſententia conſtet.

Duplicis generis eſt depoſitum: aliud ſit ſolum favore dantis; aliud favore dantis ſimul & accipientis, ſicut quando huic pro cuſtodiendo depoſito pretium ſolvitur.

Si ſecundi generis ſit depoſitum, quædam pro illius cuſtodia præſtare debet depoſitarius, quæ circa prioris generis depoſitum præſtare non tenetur.

Quæſi-

Quæritur, an si domus ardeat, supellectilem suam absumi pati debeat depositarius, ut bona servet, quæ sibi in depositum sunt tradita.

Ut rite quæstioni huic satisfiat, observandum est, an bona in depositum tradita majoris sint pretii, ac depositarii supellex; an vero minoris, vel æqualis. Si bona illa majoris sunt pretii, debet depositarius eadem servare, & suæ supellectilis jacturam pati; eam siquidem diligentiam in custodiendo depósito debet adhibere, qua in propriis servandis bonis utitur. Porro pretiosiora sane bona sua prius ille servaret, quam viliora, si utraque periclitarentur. Hoc tamen tunc verum est, quando depositarius sperare probabiliter potest, depositi dominum redditurum sibi fore rerum suarum pretium, quarum jacturam propter illum patitur; secus enim nemo sua bona tenetur amittere, ut aliena servet. Potest depositarius hoc casu bonorum suorum, quæ perire passus est, ut depositum servaret, pretium petere; præsumitur enim ille hoc tacito pacto bonorum suorum jacturam fecisse, ut aliena servaret, si passum a se damnum alter resarciret. At si in utriusque favorem factum sit depositum, non potest depositarius nisi partem pretii petere supellectilis, quam amisit; nam hoc casu debet uterque damnum participare. Quod si in divitis domo excitaretur incendium, ibique aliquid a paupere fuisset depositum, suaderet caritas, ut dives suam supellectilem perire pateretur, quam depositum pauperis; facilius enim potest dives illam amittere supel-

lectilem, quam pauper depositi sui jacturam pati. Si vero cautionem hanc dives non adhibeat, saltem ex eadem caritate pauperis damnum resarcire debet. Alias depositarii obligationes ex iis, quæ supra (*pag.* 217.) diximus, colligere licet.

Commodatum est contractus, quo res alteri traditur, ut ea ad certum tempus, certoque modo utatur; neque per hunc contractum rei dominium transfertur, sicut in mutuo.

Qui alteri ad certum tempus rem commodavit, potest illam invito commodatario sumere, licet hic damnum aliquod patiatur, quando ipse, nisi eam recipiat, æquale damnum est passurus; non enim illam commodaturus fuisset, si ex hoc commodato aliquod sibi damnum eventurum prævidisset. Quæ ratio exceptiones destruit, quas Auctores nonnulli afferunt, videlicet non posse commodantem rem commodatam resumere, si aliquod ex commodato eventurum sibi damnum prævidit; censetur enim juri suo renunciasse; vel tunc solum posse commodantem rem commodatam repetere, quando commodatarius rem eamdem aliunde possit obtinere.

Verum quid commodatario est agendum, si militum excursio, incendium, naufragium, aut quid simile eveniat? Respondeo, si res sibi commodata pretiosior sit, quam res propria, hujus potius jacturam, quam illius commodatarius pati debet; in commodatarii siquidem favorem hic fit contractus.

Præ-

Precarium eſt gratuita uſus rei conceſſio ad nutum revocabilis. Sicque a commodato differt, ubi res ſemel conceſſa, ante conventum & elapſum tempus repeti nequit, niſi, uti jam diximus, æquale damnum, ob rem non repetitam, commodanti immineret.

CAPUT VI.

Ludi, ac ſponſionis deſcriptiones, & leges.

Ludus eſt contractus, vel pactum, quo ludentes animi oblectandi cauſa paciſcuntur, ut victori cedat, quod uterque expoſuit. Dictum eſt, *animi oblectandi cauſa*, ut mala illa praxis excludatur, qua plerique ludo veluti arti operam navant, fraudibus utuntur, & vix umquam reſtitutionis debitum curant.

Ludorum duo ſunt genera: alii a ſorte omnino pendent, veluti taxillorum, & plerique alearum ludi, aliique hujusmodi; alii ab ingenio prorſus pendent, veluti latrunculorum ludus; alii vero ex utroque genere mixti, partim a ſorte, partim ab ingenio & induſtria dependent.

Alearum, taxillorumque ludi Clericis a ſacris Canonibus vetantur, illisque etiam intereſſe prohibentur (*Can. Apoſtol.* 41.); quemadmodum vero aleis ludere nequeunt, ita nec quidquam lucrari hoc ludo licite poſſunt; quamobrem qui hujusmodi ludis ingentem pecuniæ vim ſunt lucrati, ad reſtitutionem tenentur iis faciendam, quibuscum luſerunt. Verum ſi ludi

ſocii ſint Clerici, præſertim ſi Beneficiati, ſatius eſt hoc lucrum pauperibus diſtribuere. Induſtriæ ludi non ſunt Eccleſiaſticis prohibiti, quamvis ſint de ſe ſæpe mali, vel ratione ſcandali, vel propter temporis jacturam.

Laicis quoque taxillorum alearumve ludi ſunt vetiti a civilibus legibus, ut ex Codice conſtat (*de Aleatoribus.*), & ex noſtrorum Regum Edictis; ita ut ubi leges iſtæ vigent, in ludis hujusmodi lucrantes ad reſtitutionem teneantur, præcipue ſi illi, qui in ludo ſunt victi, pendere non poſſint, veluti filiifamilias, fœminæ maritatæ, quas a maritis ludendi facultatem obtinuiſſe prudenter non præſumitur, Religioſi, & amentes.

Quoad induſtriæ ludos, ex his quoque reſtituendi obligatio oritur, ſi fraus intervenit, ſi quis fallacibus chartis utitur, ſi ſuas mutat doloſe, vel illas ſocii, aut has vidit, vel ex ſigno aliquo cognovit, vel ſi denique aliquid præter ludi leges commiſit, ut lucraretur.

At ſi quis dubitaret, an ludentes dolo vicerit, necne, teneturne ad reſtitutionem? Reſpondeo hunc ad reſtitutionem teneri, ſi contra ludi leges dolo uſus eſt, quamvis ſors illum juverit, quia ab initio mala fide poſſedit: quod ſi noverit, ſocium absque hac fraude certo victurum fuiſſe, non ſolum id debet reſtituere quod accepit, verum etiam ſocii damnum reſarcire; quod ſi non liqueat, an ſocius absque fraude viciſſet, id ſolum tenetur reſtituere, quod accepit. Si quis alium vi & minis ad ſecum ludendum co-

gat,

gat, si vincat, non tenetur pecuniam suam restituere, quam antea perdiderat; illam tamen restituere debet, quam perdit socius a se ad ludendum coactus.

Si lusorum alteruter in ludo sit rudis, alter vero ludum calleat, & socium vincat, hic lucrum restituere tenetur, quia adest mala fides.

Qui cum filiofamilias ludit, quem pecuniæ dominum esse dubitat, sed patri suo illam surripuisse, restituere tenetur; si vero putet pecuniam ad filiumfamilias spectare, quia vel industria sua, vel alterius dono acquisivit, tunc non teneretur illam restituere, nisi summa esset notabilis, ejusque jactura grave incommodum ipsi afferret.

Idem dicito de ludente cum fure, qui ablatam pecuniam ludo exponeret; hæc enim esset restituenda, nam ejusdem dominium fur non habet. Similiter qui cum illo luderet, qui pecuniam apud se depositam exponit, quam si perdat, non habet, unde reddat; hic quoque teneretur restituere, quia socius alienam pecuniam exponit, quam ludo perdere nequit (*a*).

Aliæ

(*a*) Gravis proin peccati se reos constituunt 1. Qui prohibitos ludos frequentant. 2. Qui in ludo perdentes in gravem iracundiam, rixas, & blasphemias prorumpunt. 3. Qui inordinato, ac nimio ludi amore abrepti status sui officia negligunt, aliisque scandalum præbent. 4. Qui simul aut successive notabilem summam amittentes grave suæ familiæ damnum inferunt, ac propterea

Aliæ quoque exercentur fraudes in ludo, exempli gratia, se ludi nescium fingere, & paries perdere, ut deinceps ludere alacrius pergat socius, qui magnam pecuniæ vim amissurus creditur: hæ fraudes, industriæque a restitutione non eximunt. Ille etenim, qui hac arte vincitur, si alterius in ludo peritiam & industriam noviſſet, numquam cum altero ludere voluiſſet.

Sponsio est contractus vel pactum, quo duo de veritate, vel eventu alicujus rei certantes illi, cui veritas assistit, aliquid spondent, aut reponunt, comperta veritate recipiendum. Duo ad sponsionis justitiam requiruntur 1. Ut rei status aut eventus utrique incertus ac dubius appareat. 2. Ut præmium victori cedendum sit moderatum, & sponsorum facultati respondens. Unde si quis certam rei, de qua pignore certat, notitiam habet, restituere tenetur, quod spondendo lucratur. Ille quoque, qui nullam quidem rei notitiam habet; at tantam pecuniæ vim (quod in Italia sæpe accidit) spondendo expe-

nit,

---

rea uxores ad jurgia, & maledicta provocant. 5. Qui variis dolis, ac fraudibus contra ludi leges utuntur. Porro materia, quæ respectu sorti, etiam respectu ludi gravis censetur, & ad grave familiæ damnum sufficiens. De mala ludendi consuetudine illi mariti, & filiifamilias, qui de continuis, ac magnis discordiis domesticis se accusant, rite quærendi sunt, & examinandi, reique inventi absolvi non possunt, donec ludum frequentem, tot malorum seminarium, vitare incipiant.

pit, ac lucratur, ut alterius familia peſſumdetur, exceſſum reſtituere tenetur; quia hujusmodi lucrandi modus civili commercio, ac ſocietati nocet, nec a legibus permittitur.

CAPUT VII.

Emptionis & venditionis notio, ac juſtæ conditiones.

Emptio inſeparabili nexu venditioni jungitur, eſtque contractus mutuo conſenſu perfectus, emptorem, & venditorem mutuo obligans; emptorem quidem ad rei pretium ſolvendum, venditorem autem ad mercem tradendam. Tria circa hunc contractum bene ſunt perpendenda, videlicet Merx, pretium, & contrahendi modus, de quibus quædam diſtincte dicenda occurrunt.

Mercis nomine omnes res pretio æſtimabiles, vel ex natura ſua, vel aliqua lege ab humano commercio non excluſæ deſignantur. Hinc vendi nequeunt 1. Res ſpirituales, uti ſupra (*Part. I.* pag. 503. &c.) oſtendimus. 2. Res alienæ. 3. Res quoad ſubſtantiam vitioſæ, uti vinum corruptioni proximum, animal latente morbo infectum; hæc enim nullius amplius ſunt pretii. Res autem quoad quantitatem, vel ſolam qualitatem vitiatæ, uti vinum minus forte, aut equus recalcitrans &c. vendi poſſunt; earum tamen pretium minui debet, & emptor, præprimis imperitus, de iſto vitio moneri. Quodſi emptor rem tali præciſe qualitate præditam emere intenderet, & quæcumque alia ipſius fini non inſerviret,

viret, venditor, vitiatam obtrudens, ad damnum, quod emptori eveniret, reſarciendum teneretur.

Pretium plerumque in pecuniæ conſiſtit ſumma, quam mutuo conſenſu contrahentes determinant, ac triplex diſtinguitur videlicet infimum, quod & *pium* dicitur, *medium*, & *ſummum*. Sic reſpectu ejusdem rei pretium infimum erunt floreni 5: medium floreni 6: ſummum floreni 7. quodlibet uſuale, & juſtum eſt ita ut ſi tres ejusdem bonitatis triticum pro tribus hisce diverſis pretiis vendant, omnes immunes a reſtitutione maneant. Si tamen quis frumentum deterius ſummo in pretio valde indigenti venderet, non ſolum caritatis, ſed & juſtitiæ limites tranſcenderet, & iniquum pretii exceſſum refundere emptori deberet. *Uſuale* iſtud pretium communi hominum negociantium conſenſu determinatur, ac prout circumſtantiæ ferunt, jam incrementa, jamque decrementa capit. Ne tamen rerum pretia nimium creſcant, Principis ſæpe poteſtas cavet, dum carnium, panis, frumenti, aliarumque rerum, quibus pauperes æque ac divites indigent, pretium taxat. Pretium iſtud *legitimum* vocatur, & usquedum aliud Princeps, aut Magiſtratus præſcribat, indiviſibile manet, civesque obligat. Hinc ſi quis alicui ignaro, aut peregrino pro majore, quam lex determinavit, pretio rem quamdam venderet, injuſte ageret, ac niſi alia cauſa excuſetur, reddere auctarium teneretur (*a*).

Con-

(*a*) Cauſæ, ob quas juſte rerum pretia augentur, ſunt 1. Mercis raritas, novitas, aut antiquitas. 2. Ub-

Contrahendi *modus* non ubique idem ſervatur. De jure naturali emptio, & venditio mutuo conſenſu complentur, præſertim ſi mercis traditio, vel pretii ſolutio acceſſerit. Variæ de hoc leges municipales ſunt conditæ; diverſæ quoque, quas ipſi contrahentes faciunt, attendi debent conventiones, ac conditiones. Nonnumquam res alteri venditur addito *retrovenditionis pacto*, ut nempe elapſo quodam tempore rem eamdem venditori tradere emptor obligetur. Quandoque pactum *legis commiſſoriæ* adnectitur, quo res, ſi elapſo certo tempore pretium non ſolvatur, tamquam non empta, ac libere alteri vendenda declaratur. Quandoque pactum *adjectionis in diem* ſuperadditur, in eo conſiſtens, ut ſi intra certum temporis intervallum emptor liberalior occurrat, res huic præ alio tradi poſſit. Nunc anticipatæ, nunc dilatæ ſolutionis pactum adjicitur, quo vel de pretio ſtatim ſolvendo, & merce poſt certum tempus tradenda; vel econverſo de merce illico tradenda, & pretii ſolutione ad certum tempus differenda

2. Utilitas, aut affectio magna venditoris erga rem. 3. Venditorum paucitas, & emptorum multitudo, quibus nonniſi multa pericula ſubeundo ſufficientes merces conquiri, ac congeri poſſunt. 4. Minutæ, laborioſæ, ac moleſtæ venditiones. 5. Subhaſtatio, in qua per accidens quandoque rei pretium ultra vulgare & ordinarium aſcendit. Si tamen venditor fictum licitatorem, qui pretium augeat, ſubdole conſtitueret, pretii augmentum retinere non poſſet. Oppoſitæ rationes de pretii diminutione procedunt.

renda contrahentes conveniunt. Denique merx in individuo jam est *indeterminata*, uti tres oves ex grege, tria modia ex acervo frumentario; jam *determinata*, ut hæc ovis: Porro hæc individualis determinatio aliquando fit *ad corpus*, id est de re tota prout sensibus subjacet, uti si dolium vini venditur absque respectu ad mensuram; aliquando ad *numerum, pondus & mensuram* attenditur, ut si decem vini cados vendas, ac pro quovis cado decem florenos tamquam pretium exigas.

De specialibus hisce pactis emptionis, venditionisque contractui appositis latius Juristæ agunt. Hic tantum monere oportet, retrovenditionis pactum, nisi unice in favorem primi venditoris cedat, usurarium esse, aut de usura pallium saris suspectum. Si autem rem quamdam exempli gratia pro quinquaginta & quinque solidis credito Joanni vendas ea conditione, ut rem eamdem pro quinquaginta solidis, statim solvendis, Joannes retro tibi vendat, manifestam usuram committis, quidquid demum nonnulli probabilitatis fautores reponant (*a*). Pacta legis commissoriæ, & adjectionis in diem, si nulla fraus interveniat; & propter ea nonnihil pretium

(*a*) Hic contractus ab Hispanis *Mohatra*, ab Italis *flocho* dicitur, nihilque aliud est quam artificiosa usura. Unde Innocentius XI. hanc damnavit propositionem: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, & cum intentione lucri.* Num. 40.

pretium minuatur, justa sunt, eaque in Jure approbationem habent (ff., & C. sub hisce titulis.) (a). Anticipata vero solutio tunc solummodo pretium minuendi jus tribuit, quando ex ea venditori quoddam emolumentum, & emptori vel lucrum cessans, vel damnum emergens consequitur. Econtra dilata solutio eo in casu pretium augendi facultatem venditori confert, quo huic ex ea damnum emergeret, aut verum lucrum cessaret.

Sed quid, si res empta, antequam emptori sit tradita, apud venditorem pereat; cuinam perit? Distinguendum est. Si res in individuo non sit determinata uti tria modia frumenti ex meo horreo, hoc igne absumpto, totum mihi, nihil emptori periit; unde si anticipata solutio sit, vel hanc emptori reddere, vel ubi potero, tria modia eidem tradere teneor; at si res determinata sit in individendo, & ad corpus, semel absolute vendita, nisi aliter fuerit conventum, tota emptori perit. Sic enim Jura disponunt (*de empt. & vendit.* Instit. §. *Cum autem.*

Et

(a) Aliud est pactum legis commissoriæ in emptione & venditione, aliud in pignore, illud in Jure permittitur: hoc interdicitur (L. *Quoniam* C. *De pactis.* Et cap. *Significante. de pignorib. & caut.*). Pignus siquidem communius suo valore crediti valorem superat, unde si statuto tempore debitor non solvat, totum in pœnam retineri absque usura nequit. Si tamen pignus venderetur, ac deducto debito pretii residuum debitori redderetur, omnis usuræ abesset suspicio.

Et L. *Quod ſæpe.* §. 4. ff. *de contract. empt.* & alibi), & æquum eſt, ut emptor, qui rei nondum traditæ commodum percipit, etiam periculum & damnum ſuſcipiat. Si tamen ex venditoris culpa, aut mora res periit, hic ſolus, quod cauſavit, damnum ferre debet, uti lege ſupra citata (§. *cum autem*) clare ſtatuitur. Idem a fortiori dicendum ſi res ſit quidem tradita, ſed nondum ſolutum pretium.

Ex iis, quæ hucusque diximus, facilis quorumdam caſuum ſolutio erit.

Qui equum emeret, quem furtivum novit, vero domino reddere illum debet, vel ejus pretium. Quodſi poſt emptionem equum alteri vendidit; a quo illum verus dominus in judicio repetiit, emptori reddere acceptam pecuniam tenetur.

Si quis moraliter ſit certus, tempore ſolutionis pretium fore majus quam ſit tempore contractus, ac merces ſuas, quas usque ad illud tempus ſervaturus non erat, credito vendit, & quidem pretio nunc indeterminato, inſtante tamen tempore ſolutionis determinato, injuſtitiam committit, & reſtituere tenetur; quia cum damno alterius lucrum quæſivit.

Qui magnam mercium copiam adventuram, & exinde pretium valde minuendum prævidet, ſuasque merces currente pretio omnes vendit, injuſte non agit; quia hic & nunc intra juſti pretii cancellos ſtitit, & uti ſupponitur fraude aut dolo emptori ignaro merces non obtruſit.

Si tamen ad pauperiem redactus exinde improvidus emptor fuisset, caritatem graviter læsam nemo non lugeret.

Famulus mercede conductus, vel qui gratis, aut pretio promisit, se aliquid empturum, non potest de accepta pecunia quidquam sibi vindicare, licet mercator amicitiæ gratia mercem illi minoris vendat; secus agens ad restitutionem tenetur; quia ex officio suo mandantis utilitatem pro virili quærere debet.

Sartor, qui viliores pannos seligit, vel horum immodicum a vestiendo pretium exigit, sperans mercatorem sibi aliquid remissurum, aut donaturum, restitutionem debet illi facere, in cujus usum vestes confecit, & qui pannos illos emi jussit (a).

CAPUT

(a) Quod si mercator propter ista munuscula non vendat carius, aut si cuicumque alteri non remisisset partem pretii, sed majori pretio vendidisset, sartor iste aut hæc munuscula sibi retinere, aut remissam pretii partem committenti computare posset; quia hisce suppositis nemini fit injuria. Verum fallaciter sæpe mercatores loquuntur, ut emptores alliciant; dum nihilominus data munera majore pretio compensant, aut æquali pretio, si occasio se offerat, aliis etiam vendere sunt parati. Et ideo licet factum forte non damnarem; faciendum tamen ægre consulerem. Ita P. Billuart (Tr. *de Contr. Diss.* 3. *art.* 12.).

CAPUT VIII.

Locationis, & conductionis descriptiones, & obligationes.

Locatio & conductio est contractus, quo res vel persona aliqua alteri pro certa pecunia traditur, ut hic ex ea quosdam fructus capere, aut ejus opera uti possit. Sic famuli suam operam dominis locant, sicque locantur prata, vineæ, domus, animalia, resque aliæ, quæ vendi possunt. Qui rem alteri pro pretio certo tempore retinendam tradit, *locator;* qui eamdem acceptat ac pretium spondet, *conductor* dicitur. Locatio a venditione differt; quia in hac totum rei dominium in emptorem transfertur: in locatione autem usus tantum aut ususfructus ad conductorem transit, dominium penes locatorem manet.

Locatoris quadruplex est obligatio. *Prima* est, ut conductorem de rei locatæ vitio admoneat, si quod habeat; secus tenetur de damno, quod conductor pati posset. Exempli gratia locator equi, quem solitum esse novit se in aqua prosternere, mercatorem de hoc vitio debet admonere: alias si vitio equi merces corrumpantur, damnum sarcire equi locator tenetur: si vero locator vitium equi ignoret, nulli restitutioni est obnoxius.

Altera locatoris obligatio est, ut conductori necessarias ab eo factas expensas rependat. Exempli gratia Paulus Joanni domum suam locat,

&c

& Joannes necessarias huic reparationes facit: debet Paulus has expensas Joanni rependere. Utiles quoque expensas rependere locator debet, si eas fieri assentiatur; cum enim hæ quoque locatori lucrum aliquod afferant, æquum est ut expensas rependat.

Tertia obligatio est, ut damnum, quod ex gravi vel levi locatoris culpa conductor patitur, hoc illi locator reparet.

Quarta denique, ne locator ante locationis terminum rem locatam repetat, nisi justa adsit repetendi causa. Quatuor autem justæ sunt repetendi causæ. Prima causa est, si conductor exempli gratia domus locationis pretium non solvat; tunc enim potest quandocumque domo expelli, si ad breve tempus facta sit locatio: si autem ad quinque vel sex annos locata foret, oportet, ut saltem per biennium inquilinus canonem non solverit, juxta cap. *Propter sterilitatem §. verum* de locato. Secunda causa est, quando locator ipse re locata eget. Tertia causa est, si necessitas exigat, ut domus exempli gratia reficiatur; tunc siquidem potest inquilinus etiam invitus domo expelli. Quarta tandem causa est, quando conductor re locata abutitur, sive eam aliis commodando, sive peccando, aut peccandi occasionem præbendo.

Quæri hic solet; an domum publicæ meretrici locare liceat, quæ turpem ibi quæstum exerceat, vel concubinario, qui concubinam ibi detineat? Si impudicis fœminis domum suam

quis locet, quidquid contra novi quidam Casuistæ dicant, certum est hunc graviter contra caritatem peccare; præcipue vero si hujusmodi fœminis majori pretio illam locet, quam alii locaret.

Neque recte affirmabis hanc locationem licitam esse, si locator malum finem non habeat & lucrum dumtaxat respiciat. Sufficit enim, ut conductoris pravus vivendi modus notus sit, nec lucri spes potest efficere, ut alteri licite peccandi occasio præbeatur, aut turpem quæstum exercendi. Si domos ad incolendum hæ fœminæ non reperirent, urbes deserere cogerentur; & forsitan mores suos emendarent, cum se undique repelli conspicerent. Qui domos eisdem locant, si non directe, indirecte saltem illarum peccata fovent: peccatum vero adeo christiano homini est abominandum, ut ab omni etiam ejus specie debeat abstinere. Aderunt alii, quibus locari domus queat; quod si nemo adsit, satius sane est locationis pretium amittere, quam meretricibus asylum præbere, quæ publice luxuriam exercent, & urbium pestis vocari recte possunt.

Scio Romæ meretrices permitti, & fixum eisdem domicilium dari: verum hoc pacto minus malum tolerant Pontifices, ut majus vitent. Attamen severa plura prodiere Edicta, quibus hæc licentia compescitur; & plerique Pontifices, quemadmodum etiam sanctus Pius V. infelices has fœminas a prima Religionis Sede amovere curarunt. Hæ mulieres Galliæ urbes palam ingre-

incolere Dei miserentis gratia non permittuntur: ita ut excusationem nullam possint prætexere, qui hujusmodi fœminis domos suas locant.

Quatuor quoque conductoris sunt obligationes. *Prima* est, ut re locata utatur juxta conventionem cum domino factam. Exempli gratia qui Parisiis equum conduxit, ut Aurelianum petat, non potest eo uti, ut Turones usque pergat, nisi de facili domini consensu præsumat: secus si equus in longiori hoc itinere moreretur, aut læderetur, teneretur conductor damnum reparare.

Secunda obligatio est, ne ante conventionis terminum rem locatam deferat, nisi justa deferendi adsit ratio; nam initum contractum servare debet.

Tertia obligatio est, ut rem locatam in specie, integramque reddat; etenim locatione non transfertur dominium: quod si conductoris gravi vel levi culpa res locata corrupta sit, tenetur ipse damnum reficere.

Quarta obligatio est, ut locationis pretium statuto tempore solvat.

Nihil sacræ Litteræ magis damnant, quam operariorum mercedem prompte non solvere; atque ex illorum numero hoc est peccatum, quæ in cœlum clamant, & vindictam petunt. Attamen plerique divites in illud sæpenumero labuntur; etenim pauperes villicos laborare cogunt, nec tamen pactam mercedem solvunt; aut pro mercede res illis tradunt, quas supra justum va-

lorem æstimant; vel ab invitis diurnas operas exigunt, aut in excolendis agris, aut in ædibus ædificandis. Graviter hi quidem Deum lædunt & id omne reddere debent, quod hujusmodi operæ jure merentur.

Justum famulis salarium solvi debet, labori æquivalens, quem serviendo adhibent, & utilitati, quæ ab eorum servitio promanat; nec eorum necessitate abuti licet, qua pressi dominis servire coguntur.

Neque ante pactum tempus sine gravi causa dimittere illos licet; secus pactum salarium integre solvi illis debet. Quod si famulus ante statutum tempus a domino discedat, sufficit ut illi solvatur salarium pro rata temporis, quo servivit.

Qui cum molitore exempli gratia pepigit, ut triticum familiæ suæ necessarium molat, tenetur pretium augere, si familiæ suæ numerus notabiliter & in longum tempus crescat; nam si hujusmodi incrementum prævidisset molitor, majus profecto pretium petiisset.

Qui certo pretio opus aliquod faciendum in se suscepit, seque in numerandis diebus, vel in labore suo æstimando fefellit, ita ut grave damnum patiatur, potest pretii augmentum petere; æquum enim est, ut justum laboris sui pretium accipiat, saltem juxta boni viri æstimationem: jactare autem non debet se artifex, nec operam suam plus justo æstimare.

Ægris

Ægris famulis tenentur domini quamtum possunt victum & medicamenta suppeditare, nec propterea debent eorum salaria imminuere, aut illos domo expellere, quemadmodum inhumani quidam domini solent, qui non satis considerant famulos suos Jesu Christi fratres esse, & erga illos caritatis officia debere se diligentius exercere, & illius Apostolicæ sententiæ meminisse, videlicet: *Si quis domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior* (1. *Tim.* 9.).

SECTIO VI.

DE USURA.

CAPUT I.

Usuræ definitio, & divisio traditur.

Usura hodie quasi torrens ruptis aggeribus omnia alluit, & Casuistæ non valida illi & tuta opponunt repagula, sed mille aperiunt vias, quibus impune se effundat. Majori propterea diligentia hoc argumentum a me est tractandum, & peculiares usuræ casus sunt attingendi, qui in Provincia & in mea Diœcesi evenire solent, ut super his Confessarios instruam.

Resolutiones, quas afferam, scio plerisque non placituras, qui ingentes ex usura divitias

sibi comparant, iisque potius fidem præbeat qui iniquos ipsorum contractus vel laudant, vel excusant. Ego vero officio meo fungar; si autem isti perire voluerint, mundus ego ab eorum sanguine ero.

Usura est lucrum ultra sortem, ex mutuo immediate proveniens. *Lucrum* appello, ideò temporalem rem pretio æstimabilem, sive pecuniam, vinum, oleum, triticum, sive servitium aut obsequium.

Quinque requiruntur ad stabiliendam usuram. 1. Oportet ut adsit mutuum, quod accipientem ad eamdem reddendam rem non obligat, sed ejus dumtaxat valorem; alias non esset mutuum, sed commodatum. 2. Oportet ut mutuator aliquid ultra sortem lucretur. 3. Oportet ut lucrum istud sit pecunia æstimabile, alias nulla adest usura; veluti si quis, ut alterius amicitiam acquirat, pecuniam det mutuam, amicitia siquidem æstimabilis non est pecunia. Sed si quis ad reparandam injuriam alteri mutuat, usuram committit; hæc enim reparatio æstimabilis est pecunia, & pecunia passim sit. 4. Oportet ut lucrum istud ex mutuo proveniat; si enim aliunde provenit, nempe ex lucro cessante, aut ex damno emergente, nulla intervenit usura. 5. Oportet ut istud lucrum ex mutuo immediate proveniat; si enim mutuatarius exempli gratia aliquid ultra sortem donare velit gratitudinis ergo, absque stipulatione directa vel indirecta, usuram non committeret hoc donum accipiens.

Dixi.

Dividitur usura in manifestam, & in palliatam. *Manifesta* usura illa est, quæ evidenter apparet. *Palliata* illa, quæ se alicujus contractus, vel falsi prætextus velo tegit.

Dividitur etiam in realem, & in mentalem. *Realis* illa est, quæ expresso pacto fit aliquid dandi supra sortem. *Mentalis* est mutuum sine exteriori hoc pacto factum, sed cum intentione aliquid ex mutuo ultra sortem accipiendi. Nam si mutuator desiderium dumtaxat, vel spem quamdam haberet aliquid ultra sortem accipiendi, sed non in hunc finem mutuo daret, mentalis usura non adesset; ad usuram igitur solum spectat formalis intentio. Propterea illud, quod apud sanctum Lucam legitur: *Mutuum date nihil inde sperantes*: de intentione, non de sola spe est intelligendum; quæ intentio, ut diximus, debet esse formalis lucrum ex mutuo percipiendi, & mutui potissima causa esse debet.

In palliata usura mutuum sub alio contractu tegitur, exempli gratia quando merx ultra summum pretium venditur, quia pecunia statim non accipitur; vel eum ideo infra pretium infimum res emitur, quia ante tempus pecunia solvitur: uterque hic contractus usuram continet. Mercatores etiam, qui merces summo pretio vendunt, quia pecuniam non accipiunt, easdemque ex tempore infimo pretio redimunt, usuram committunt. Iste est contractus *Mohatra*, quem novi quidam Casuistæ tam obstinate tuentur, & qui adeo bono Reipublicæ opponitur.

CAPUT

CAPUT II.

Quam grave inter Christifideles usura peccatum sit, & quam severe Ecclesiæ legibus prohibeatur.

Contra naturæ legem est usura. Rationem affert sanctus Thomas, quia illa naturalem justitiam lædit, quæ ultra rei valorem quidquam prohibet accipere, & de re non sua lucrum capere vetat. Porro utraque injustitia in usura committitur; qui enim ex pecunia sua lucrum capit, vel illud accipit propter mutuatam pecuniam, vel propter pecuniæ ipsius usum. Si propter mutuatam pecuniam lucrum capit, aliquid accipit ultra verum pecuniæ pretium & valorem: si vero propter pecuniæ usum lucrum exigit, ex re non sua lucrum capit; dum enim mutuo dat pecuniam, ejus dominium in mutuatarium transfert, ad quem ejusdem pecuniæ usus pertinet. Pecunia inter illa computatur, quæ usu consumuntur, quorum dominium absque usu nequit transferri; quorum nempe valor in usu consistit, & a mutuatore in mutuatarium transit: hinc qui ex pecunia lucrum exigit, ex re non sua illud captat, quod naturæ legi adversatur.

Fructum præterea ex re de se sterili usura capit, pecunia siquidem pecuniam non gignit. Verumtamen primum præsertim naturæ præceptum usura violat, illud videlicet: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Porro nollet egens usurarius, ut alter ex mutuata sibi pecu-

nia

nia lucrum exigeret; igitur neque ipse dans mutuo lucrum debet exigere. Divino vero jure expresse usura est vetita. In Deuteronomio hanc Deus Judæis legem tradidit: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore* (*Cap.* 23.). In Exodo autem ait: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes* (*Cap.* 22.). In Levitico vero sic inquit: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, & frugum superabundantiam non exiges* (*Cap.* 25.). En legem, quam Judæis Deus tradidit. Hanc secutus Ezechiel Propheta illum justum appellat, qui *ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit* (*Cap.* 18.). Jerosolymam vero ita increpat: *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem; usuram, & superabundantiam accepisti* (*Cap.* 22.). David quoque illum ait in monte sancto Domini sessurum, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (*Psalm.* 14.), hic videlicet in cœlo requiescet. Usura, quam exercebant Judæi, vocabulo exprimitur, quod canis morsum significat. Sanctus Joannes Chrysostomus ait fœneratitiam pecuniam aspidis morsui esse similem; sicut enim qui aspide mordetur, obdormiscit, & perseverante somno venenum progreditur, donec ad cor perveniat, & mor-

mortem afferat; ita qui mutuam pecuniam accipit, accipiens lætatur, sed mox bonorum suorum jacturam dolet, quæ ab usura vorantur. Sanctus Ambrosius usuram homicidio comparat. Putant plerique ingentem solum usuram esse iniquitatem, sed falluntur: usura quælibet mortalis est peccatum, quia graviter caritatem lædit, quæ christianorum est lex.

Dei Filius apud sanctum Matthæum & sanctum Lucam vitæ præcepta fidelibus tradens ait oportere ut eorum justitia veterum justitiam superet, majorque sit & abundantior; & de usura loquens sic inquit: *Si mutuum dederitis a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes* (*Luc.* 6.).

Mutuum absque usura dare a Dei Filio inimicorum dilectioni comparatur. Porro inimicorum dilectio non consilium est, sed præceptum; igitur absque usura mutuum dare præceptum est, non consilium. Usura igitur maximum inter christianos peccatum est, ut diximus, quia caritatis legem violat, qua regnum suum Christus moderatur. Judæis dixerat: *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno* (*Deuter.* 23). & ratio, cur Judæo erga Judæum usura fuit vetita, in eo sita est, quod Judæi ex eodem patre, nempe Abrahamo, secundum carnem fratres erant & unum religionis corpus constituebant. Porro fideles non solum omnes Dei fili-

filii sunt, verum etiam omnes corporis Christi membra sunt, ut ait sanctus Paulus: *Sicut enim corpus unum est, & habet membra multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus* (1. Cor. 12.). Tam magna est hæc conjunctio, ut dicere non vereatur sanctus Augustinus: *Non multi Christi, sed unus Christus.* Quare usura inter fideles hanc conjunctionem dissolvens longe detestandum est peccatum. Animadvertere quoque oportet, vocem *alieno*, quæ in Deuteronomio usurpatur, non significare præceptum extraneis fœnerandi; sed permissionem propter cordis eorum duritiem Judæis factam, quemadmodum Christus ait Moysem ipsis divortium permisisse. Pharisæi, qui mali erant sui ævi Casuistæ, in hoc populum decipiebant, divinumque id ajebant esse præceptum, quod sola est legislatoris permissio, qui minus permittebat malum, ut majus vitaret.

Concilia quoque ingentibus pœnis additis usuram vetuere. Illiberitanum Concilium hunc canonem edidit: *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari & abstinere. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correptus se jam cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia sciat se esse puniendum.*

Carthaginiense IV. Concilium usurarios ordinari vetat: *Sicut usurarios, vel injuriarum suarum ultores.* Porro Canones a sacris Ordinibus

nibus ſolum propter capitalia crimina homines arcebant. Agathenſe Concilium iisdem verbis utens eamdem innovat prohibitionem.

Valentinum III. Concilium ait: *Uſurarum etiam turpia lucra iterum canonis ſeveritate inhibemus.*

Lateranenſe II. Concilium ſub Innocentio Papa II. ſic ait: *Porro deteſtabilem & probroſam, divinis & humanis legibus proſcriptam, in veteri & novo Teſtamento abdicatam, illam, in quam, inſatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni eccleſiaſtica conſolatione ſequeſtramus.* Epiſcopos deinde & Presbyteros admonet, ne absque magna cautione uſurarios in Eccleſiam recipiant; jubetque, ut omnes fœneratores *in tota vita infames habeantur, & niſi reſipiſcant, chriſtiana ſepultura priventur.*

Lateranenſe III. Concilium ſub Alexandro Papa III. ſic inquit: *Quod uſurarii manifeſti ad Altaris communionem non admittantur, nec chriſtianam habeant ſepulturam.*

Hactenus probavimus eccleſiaſtico jure aequo ac naturali, & divino uſuram eſſe vetitam; ſed illam quoque civile jus damnat.

Duodecim Tabularum lex apud Romanos uſuras imminuit, quæ iterum petentibus populi tribunis imminutæ ſunt; ſed Lucius Gemunius illas omnino abolevit.

Germani Tacito referente uſuras prorſus ignorabant. Agis Athenarum Rex omnes uſurariorum libros in media platea comburi juſſit.

& Agesilaus ejusdem in regno socius ait, se numquam pulchriorem ignem vidisse.

Perspicua sunt nostrorum Regum edicta. Primum Philippi pulchri anno 1317. editum quamcumque usuram expresse prohibet. Alterum edidit Ludovicus XII. quo ex mutuo data pecunia lucrum capere vetat. Deniqne in Blesensibus comitiis eadem prohibitio repetita est articulo 202. „ Omnibus inquit Rex, cujus„ cumque status, sexus, & conditionis interdi„ cimus, & prohibemus usuras quascumque „ exercere, aut fœnerari, idque sub infamiæ, „ exilii, & ingentium mulctarum pœnis “.

CAPUT III.

Quibusdam usurariorum obviatur objectiunculis.

Alexander Papa VII. hanc propositionem damnavit: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendum sortem usque ad tempus.* Quomodo igitur post hanc censuram Casuistæ quidam possunt opinionem suam tueri. quæ idem docet, quod a Pontifice damnatur? aut quomodo ejusdem usum possunt permittere (a)? Canonicis statutis, & regiis

(a) Huc quoque ea, quam Innocentius damnavit, propositio spectat: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.* Num. 42.

regiis edictis multum sibi negotii causari fatentur, & nihilominus propter simplicem promissionem, aut obligationem quidquam ultra sortem accipere velut licitum asserunt. Qui communitatibus, aut privatis personis fœnerari solent, non sunt mercatores, sed aut magistratus aut nobiles, aut cives, qui sæpius neque lucrum cessans; neque damnum emergens proferre possunt; verumtamen lucrum ex sua pecunia capere avide quærunt, magisque lucrari, quam si eadem terras frugiferas emerent.

Iniquæ cupiditati suæ protrocinari volentes, ineptas has plerumque rationes afferunt; videlicet se domi nubiles filias habere, quas absque parata pecunia nuptui tradere nequeunt; oportere ut officia pro filiis emant, quod sine pecunia nequeunt perficere; ingens se damnum pati, si otiosam pecuniam in scriniis servent; se mutuatariis morem gerere, suosque debitores aliquid ultra usuras, quas solvunt, lucrari.

At frustra hisce argumentis peccatum excusatur; hæ siquidem rationes ex cupiditate proficiscuntur & carnali concupiscentia, quam numquam licite sequi nos posse jam demonstravimus. Certissimum enim imprimis est, æternam patris salutem filiorum matrimonio & dignitati esse præferendam. Si ergo neque illos in matrimonium collocare, neque ad dignitates provehere potest, quin conscientiam suam lædat, procul dubio omittere illa debet. At quinam plerumque sunt, qui matrimonia ista perquirunt, istaque officia emunt? Homines sunt obscuro loco nati

nati, mercatores, aut publicani, qui ingenti malis artibus collecta pecunia, ut originis suæ obscuritatem illustrent, cum nobilibus personis matrimonia volunt inire, & familiæ suæ dignitates illustres comparare. Plura hoc ævo exempla hanc veritatem confirmant; & primi subsellii viros in Gallia vidimus illorum filias uxores ducere, quos vix infimis familiæ suæ famulis accensuissent. At verus Christianus magnus in hoc sæculo fieri non curat; legitimis solum artibus divitias parat, conservat, & auget; neque ut ambitioni suæ morem gerat, Dei, Principis, vel Reipublicæ leges umquam violat.

Viduæ, ut fructum ex mutuo data pecunia capiant, ajunt dotem suam esse modicam, qua si censum perpetuum constituere, aut fundum emere velint, rebus suis non satis commode consulunt. Verum hæc excusatio apud fideles inanis est; hi siquidem debent terrena quæcumque commoda æternæ saluti postponere. Minorem forte fructum vidua capiet, sed nullum justitiæ detrimentum patietur. Quod si cum egestate esset ei conflictandum, dummodo vere christianam pietatem diligat, nonne iniquis divitiis innocentem pauperratem debet anteferre? Nonne beatam existimare se debet, si Christi, ejusque Matris, Apostolorum, Sanctorumque omnium paupertati communicet, qui aut vere pauperes fuerunt, aut paupertatem amarunt?

At objiciet aliquis, si hujusmodi lucrum prohibetur, commercium omne e medio tollitur. Respondeo melius posse commercium tueri,

si negotiorum societates ineantur, quibus & majus lucrum & justius captari potest. In quâlibet provincia exerceri id potest, & ubique exercetur. Usuræ vero, quæ ex mutuo promanant, commercium pessumdant, & ignaviam alunt. Carolus IX. sic in suo edicto loquitur: „ Nostrorum subditorum plerique, qui ad negotiandum solebant incumbere cum vicinis, remotisque gentibus, cui rei valde opportunum „ est regnum nostrum, vel varias artes exercere „ solebant; nunc adeo avaritiæ student, ut pecunia sua census constituant, ex quibus duodecim vel plures etiam denarios pro singulis „ centenis exigunt; negotium interim, artesque „ deserunt, atque in otio languent, unde mala „ plura eveniunt, quæ ex otio promanant ". Si vero horum quispiam se ex caritate dare mutuo dicat, is caritatem ignorare censendus est; nam si caritas in eorum cordibus habitaret, usuras ex mutuo data pauperibus pecunia non exigerent; sed illud Jesu Christi præceptum servarent: *Mutuum date, nihil inde sperantes:* nec cupiditatem suam usuris conarentur explere.

CAPUT IV.

Nonnulli casus, in quibus aliquid ultra sortem accipere licet, exponuntur.

Multi, qui suam mutuo dant pecuniam, ipsi ultro se decipiunt, dum propter amittendæ sortis *periculum* se lucrum exigere asserunt. Imprimis enim pecuniam suam meliori, quo possunt,

possunt, modo assecurant, hypothecas constituunt, cautionesque adhibent. Deinde qui mutuum accipiunt, pecuniæ plerumque sponsores offerunt, omnique mutuator periculo vacat. Quomodo igitur lucrum exigere possunt, quod in syngrapha una cum sorte paciscuntur, & quod ex superabundantia petunt? sic enim ex usuris usuras exigunt, novamque usuram committunt.

Gregorii IX. decretalis quæstionem dirimit, statuens, non licere lucrum aliquod ratione periculi exigere. *Naviganti* (inquit Pontifex *cap. fin. de usuris*) *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod susceperit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.*

Navarrus ait communem hanc esse Casuistarum opinionem, & contrariam sententiam usuræ cuicumque viam sternere. Id omnino est verum, quando remotum est periculum; verum quando proximum, & probabile imminet, plerique Casuistæ censent, licitum esse lucrum aliquod exigere, quia juxta illos hoc periculum est pretio æstimabile. Attamen opinio hæc vix umquam est amplectenda; rarissime enim istud periculum, uti putatur, ita proximum est (a).

Justio-

(a) *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab*

Justiorem aliquid ultra sortem accipiendi titulum vel lucrum cessans, vel damnum emergens præbet. *Damnum emergens* est, quod pateris, quia pecunias tuas mutuo alteri præbuisti. Exempli gratia domum tuam, quæ ruinam minatur, reficere modo non vales, eoquod pecunias, reparationi impendendas, mutuo Joanni dederis: interim multiplicatur ruina, aut materialium valor augetur, quodque prius modico, jam non nisi magno sumptu præstari potes; hic ob damnum emergens juste quidquam præter sortem accipis; quia commodum alterius cum proprio damno promovere nemo tenetur. *Lucrum cessans* adest, si aliquod emolumentum, quod probabiliter ex pecuniis tuis vel negotiando, vel prædium, aut censum emendo accepisses, mutuatione impeditus jam capere non potes. Hic æquivalens ultra sortem a mutuante sumi posse, omnes ob eamdem, quam prius dedimus, rationem admittunt.

Hinc potest quis oleum, aut segetes vendere eo pretio, quo aut messis tempore, aut certo designato tempore valebunt, majori quidem pretio quam venditionis tempore merces ipsæ valeant; nec tamen ulla hic aderit usura. Verum oportet, ut venditor revera decreverit segetes, oleum, aut vinum servare usque ad tempus solutioni constitutum, quæ hæc vendere consuevit; tunc enim adest lucrum cessans.

---

usura excusari. Est 41. inter damnatas ab Innocentio XI.

si vere hanc voluntatem & consuetudinem non haberet, usuram committeret. Oportet etiam ut venditor expensas detrahat, quas in servandis segetibus feciisset, & aliquid pro earum corruptionis periculo; & ideo nequit exigere, ut sibi segetum summum pretium solvatur, quia incertum est, an eas hoc pretio fuisset venditurus. Pecuniæ cupiditas facile venditoribus persuadet res pluris valituras, quam revera valeant.

Paciſci non potest aliquis, ut pro quatuor frumenti modiis quinque sibi tempore messis reddantur, nisi ipse decreverit frumentum suum usque in tempus illud servare, quo quatuor modii tantumdem valebunt ac quinque; alias usura committitur, quia aliquid exigitur supra sortem. Attamen cum hæc intentio sit valde occulta, hujusmodi contractus facile non sunt permittendi. Quod si agricolæ, quibus frumentum traditur, hoc pacto malint illud accipere, quam ejusdem pretium tempore messis solvere; poterit sub hac conditione frumentum mutuo dari, dummodo vera illa intentio adsit, de qua modo facta est mentio.

Si quis duos nummos exempli gratia tunc mutuo dedit, cum septem livris cum dimidia valebant; & postea illorum valor vel ex Principis decreto, vel ex consuetudine sit decem livrarum; non potest duos nummos exigere, sed solum illorum valorem, quem mutui tempore habebant.

CAPUT V.

Contractus, quibus usura palliatur, succincte exponuntur.

Casuistæ quidam, ut usurarios excusent trium contractuum commentum excogitarunt: imo eorum quidam horum contractuum formularia confecit, quorum unum tale est: *Infrascriptus testor, me a N. N. recepisse florenos* 1000. *in societatem legitimæ negotiationis, quam summam illi assecuro, & loco lucri incerti majoris quod ex hac societate posset obvenire, promitto illi solvere tot, exempli gratia* 50. *cum capitali summa infra tempus tale exempli gratia unius anni; ita, ut lucrum majus inde obventurum mihi cedat. In quorum fidem &c.* (a). Juxta hujus

(a) Contractus hic *triplex* dicitur, & clarius ita in casu exponitur: Joannes & Paulus negotiationis societatem ineunt; Joannes 1000., Paulus etiam 1000. aut suas operas in suplementum confert, ex qua summa lucrum uni collatori obventurum 200. florenis æquale speratur. En Contractus primus *Societatis.* Joannes, qui non vult, suam periclitari sortem, offert Paulo, si illam assecuret, 50. sive statim dandos, sive postea ex sorte vel lucro detrahendos. En secundus contractus *assecurationis sortis.* Et quia Joannes ulterius lucrum certum minus, quam majus incertum mallet, vendit Paulo 200, quos, ut supponitur, ex negotiatione lucrari sperat, pro 100. En tertius contractus *assecurationis lucri certi.* Facto proin computu Joannes, qui contulit 1000., anno elapso recipiat 50. cum lucrum,

hujus proin formulæ tenorem triplex inter easdem personas de eadem re sibi succederet, & conjungeretur contractus. *Primus* est de ineunda negotiationis societate: *secundus* de assecurande summa capitali, quam exempli causa Joannes Paulo negotianti dedit: *tertius* de assecurando lucro certo, quod ex partiali illa summa capitali fluit.

Sed hujus inventi facile injustitia detegitur. Quamvis enim horum contractuum quilibet seorsim sit licitus; non tamen hinc evincitur, eos esse licitos, si omnes simul fiant, aut successive conjungantur. Qui usuram tegere hoc velo statuit, primum contractum init, ut secundum etiam, tertiumque ineat, atque hoc pacto ex pecunia revera mutuo data lucrum capiat. Postquam enim Paulus summam & lucrum assecuravit, totius summæ dominium acquisivit, ea tamen obligatione, ut certo tempore eamdem summam cum statuto lucro Joanni restituat, quidquid demum ipse interea Paulus egerit, sive pecuniam in arca absconderit, sive illam negotiando auxerit. Contractus itaque iste nomine socie-

crum, aut finita societate 1050. ceu capitale cum lucro. Contractum triplicem (imo juxta quosdam & duplicem) *damnavit ac reprobavit* Sixtus V. anno 1586. in Bulla *Detestabilis.* Et propositio, quæ lucrum ex isto contractu proveniens justum ac licitum affirmabat, a Facultate Theologica Parisiensi anno 1664. tamquam *scandalosa, ad usuras inducens &c.* fuit stigmatizata, vid. passim Auctores.

ſocietas, re vero ipſa pactum uſurarium et Aſt ego (inquiet aliquis) negotiationis ſocie tatem intendo, & exinde lucrum lege permiſ ſum capio. Se ipſum decipit, qui ita loquitur Contractuum enim naturam intentio non mutat alias quodvis malum intentione colorari, ac eg gregari bonis poſſet. Sed de fallacibus ejusmo di intentionibus quid ſinceriores nobiscum Caſuiſtæ ſentiant, jam ſupra oſtendimus.

Pravum aliud, ut ex mutuo data pecunia lucrum capiatur, commentum invenere, vide licet curare, ut debitor ad ſortis reſtitutionem in judicio condemnetur, aut ad fructus ſolvendos, donec ſummam reſtituat. Si dolus omnis abeſſet, licitum quidem id eſſet; ſed ſæpe inter debitorem, & creditorem hujusmodi pactum præceſſit; nec creditor vere pecuniam ſuam ita repetere, ſed prætextum tantummodo quæri ad exigendas uſuras. Vera igitur hoc eſt uſura quæ Judicis prius decepti ſententia palliatur.

Hypothecæ nomine ſæpe uſura tegitur. Qui alteri pecuniam tradit ſub hypotheca domus, aut prædii, quibus frui paciſcitur, donec debitor pecuniam reddat; ſi nullus alius titulus præſtum hoc pactum efficiat, uſuram committit (a). In Turonenſi Concilio Alexander III. ſic ſtatuit: *Si quis alicujus poſſeſſionem data pecunia ſub hac ſpecie, vel conditione in pignus acceperit, ſi fructum ſuam (deductis expenſis) de fructibus per*

(a) Hoc pactum *antichriſeos* vocatur, & niſi dum no emergente, vel lucro ceſſante excuſetur plerumque uſurarium eſt.

percepit, absolute possessionem restituat debitori (*Cap.* 1. *de Usuris.*). Ad Cantuariensem vero Archiepiscopum scribens idem Pontifex ita decernit: *Quoniam non solum viris ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est usurarum lucris intendere, auctoritate præsentium duximus injungendum, ut eos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem* (*deductis expensis*) *receperunt, ad ea pignora restituenda sine usurarum exactione ecclesiastica districtione compellas* (*cap.* 2. *de Usuris.*).

Duo tamen casus ab hac regula excipiuntur. Primus casus est, quando proprietarius titulo pignoris directo feudi domino terram tradit; tunc enim de suo, non de alieno fundo directus dominus fructus percipit. Hæc exceptio expressa legitur in cap. *Conquestus de usuris.* Ratio, ob quam creditor terræ titulo pignoris acceptæ fructus pro tradita pecunia percipere nequit, est quia res quælibet domino suo fructificat. Porro debitor terræ pignoris titulo datæ semper est dominus; ideo ejusdem fructus percipere creditor nequit, sed domino deductis expensis reddere debet.

Usura committitur, si accepto pignore pecunia mutuo datur cum hoc pacto, ut nisi intra certum tempus pignus redimatur, hoc debitor amittat; quia præsumitur plus valere pignus, quam mutuo data pecunia. Hujusmodi pacta a civili & canonico jure prohibentur. At si reveta non amplius valeret pignus, quam tradita pecu-

pecunia, nulla adesset usura, quia nulla alteri fit injuria. Si vero aliquis domum, aut fundum vendidit, posset fructus percipere, donec pretium solvatur, quia res suas tradidit, quæ sibi fructificabant.

Unus tamen hic excipiendus est casus, dum nempe proprietarius titulo pignoris directo feudi domino terram tradit; tunc enim de suo, non de alieno fundo directus dominus licite fructus percipit. Hæc exceptio cap. *conquestus de usuris* expressa legitur.

Sæpe quoque usura committitur si accepto pignore mutuum datur cum hoc pacto, ut nisi intra certum tempus pignus redimatur, hoc ipso tim debitor amittat; quia falso præsumitur non plus valere pignus, quam mutuo data pecunia. Hujusmodi pacta a civili & canonico Jure prohibentur (*a*). At si revera pignus suo valore mutuatam pecuniam non excederet, nulla adesset usura, nullaque alteri injuria fieret.

Sub aliis adhuc contractuum larvis usura occultat, uti sub specie locationis & conductionis; emptionis & venditionis, retrovenditionis &c. de quibus jam supra diximus.

CAPUT

(*a*) Pactum hoc *legis commissoriæ* a Juristis vocatum. De quo supra (*pag.* 241. in Not.). Itaque contractus, quibus non raro usura palliatur sunt 1. Contractus triplex. 2. Pactum antichreticum. 3. Pactum legis commissoriæ in pignore. 4. Pactum retrovenditionis. 5. Pactum de petenda & exequenda judicis sententia, ob præteritam solutionis moram. Contractus alios capite sequente invenies.

CAPUT VI.

Alii contractus ab usura remotiores explicantur.

Quatuor hic contractus, nimirum censum cambium, societatem, & montem pietatis dictum in examen vocabimus, horum enim qui leges non servant, nonnumquam ad usuræ pravitatem declinant.

Census est contractus, quo emitur jus annuam percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius. Qui censum recipit, *censualista*: qui solvit, *censuarius* nuncupatur. Res autem vel persona, super qua census constituitur, non sterilis, sed fructifera, aut industriosa esse debet; quia alias fictus ejusmodi censualis contractus foret.

Dividitur autem census in *reservativum*, quo rei alicujus dominium quis in alterum transfert pensione annua sibi reservata: & *consignativum*, quo rei dominium quis sibi reservat, solumque jus certum ex ea pensionem annuam exigendi in alterum videlicet emptorem transfert. Sicut realis vel personalis ita temporalis vel perpetuus; redimibilis, vel irredimibilis constitui census potest.

Censum realem, in re fructifera exempli gratia agro constitutum licitum esse duo Pontifices Martinus V., & Calixtus III. declararunt, idque communiter Doctores tenent. Censum personalem videlicet in cujusdam personæ arte

aut

aut induſtria radicatum S. Pius Papa V. in Bulla *Cum onus.* reprobavit, cenſumque nonniſi in re immobili fundari poſſe ſtatuit. Aſt Bulla hæc in Galliis, aliisque multis provinciis uſu recepta non fuit; unde ſi cenſus perſonalis juſto, & conſueto in provincia pretio ſit venditus, ac perſonæ deſignatæ induſtria lucrum importet cenſui proportionatum, ipſeque venditor cenſum reddito pretio redimere poſſit, non tamen debeat; æque ac realis a viris cordatis ſuſtinetur; utut hi cenſum perſonalem utrimque redimibilem, veluti uſurarium damnent. Et quidem recte; ſi enim emptor repetere pretium poteſt; & usquedum repetat cenſum recipit, contractu emptionis mutuum, & uſuram, ne adeo pateat, artificioſe tegit, & cenſus titulo uſuræ lucrum capit, quod iniquum eſt (a).

Cam-

(a) De cenſu germanico non eadem Doctorum ſententia eſt. P. Amort hujusmodi contractum cenſualem juris realis cum perſonali *permutationem* eſſe docet; cum autem jus perſonale minus quam reale valeat, quamdam compenſationem ab illo, qui alteri certam ſummam tradidit, juſte exigi poſſe admittit; tunc vero jus perſonale minus quam jus reale valet, ſi vel ſortis periculum, vel lucrum ceſſans, vel damnum emergens timeatur. Unde ſi quis pecuniam prius in arca reconditam prædiviti cuidam Monaſterio mutuum daret, cenſum exigere nullum poſſet; quia tali caſu jus perſonale cum reali æquilibrium teneret, ſicque cenſualis compenſatio locum non haberet. Vid. Diſcuſſio Theol. *de contractu cenſuali* lib. diſquiſit. *de Controverſ. Moral.* pag. 236. & ſeq. Econtra P. Schram cum communiori Caro-

niſta

Cambium est pecuniæ cum alia pecunia permutatio, & dividitur in fictum seu siccum, & verum seu reale. Cambium *siccum* est usura palliata: hoc plerique exercent, qui pecuniam suam

---

nistarum censum germanicum nimirum 5. pro 100. fl. etiam extra periculi, aut damni &c. casum adhuc licite *ex Principis aut Reipublicæ dispositione* exigi existimat. Princeps enim aut Respublica ob dominium altum, quod in privatorum bona habet, mutuanti non quidem ex mutuo, sed alio ex titulo v. g. boni communis censum seu fixam pensionem annuam potest concedere, quemadmodum gravibus ex motivis, cum bono publico connexis, rei præscriptæ dominium in præscribentem transferre, talisque concessio in variis Imperii Recessibus de anno 1530. 1548. 1577. 1600. annuentibus Imperatoribus iterato fuit facta, ipsaque communi praxi hucusque firmata. Porro causæ cum publica utilitate connexæ sunt 1. litium de lucro cessante &c. movendarum evitatio, 2. dubiorum, & anxietatum sedatio, 3. major mutuum obtinendi facilitas, 4. subsidium personis miserabilibus, Ecclesiis, aliisque piis locis obveniens, 5. generalis damni emergentis, aut lucri cessantis aut periculi præsumptio, quæ licet in particulari casu quandoque falsa sit, adhuc tamen propter datas rationes licitum censum efficit. Hisce cumulatim spectatis censuariorum privata, quæ nonnumquam ex censu emergunt, vel eliduntur vel compensantur damna. Vid. Compend. Theol. P. Schram *Tom. 2. pag. 441.* Qui præscriptionem pro foro etiam interno valere affirmant, ob rationis paritatem hanc secundam P. Schramii sequi; qui negant; illam priorem Amortii opinionem circa censum germanicum amplecti poterant.

ſuam ad nundinas tradunt, & quin alibi eamdem numerandam curent, eodem in loco lucrum recipiunt. Cambium *reale* denuo in minutum & locale diſtinguitur. *Minutum* fit, quando minuta pecunia præſens cum majoris valoris pecunia, aut patriæ moneta cum extranea præſens permutatur; exempli gratia nummi argentei cum nummis aureis, aut vice verſa. *Locale* contingit, quando per litteras pecunia præſens cum abſente permutatur, ut ſi Pariſiis Petro 1000. florenos numeres, a te iterum Romæ recipiendos. In utroque hoc cambio lucrum illud quod campſori permittitur, dummodo ſit moderatum. Adſunt paſſim in urbibus campſores, qui utrumque exercent, & hi de arte ac induſtria ſua vivant oportet. Præterea aliorum commodo inſerviunt, dum aurum pro argento, aut præſentem pro pecunia abſente tradunt; juſto prorſus titulo quamdam mercedem a campſario exigunt.

Societas eſt duorum aut plurium conventio aliquid contribuendi ad communem quæſtum, & inde proveniens lucrum, vel damnum. Tres ſocietas conditiones requirit, ut juſta ſit. *Primum* eſt, ut liciti, non veriti negotii ſocietas ſit. *Altera*, ut ſinguli aliquid in ſocietatem conferant ſive pecuniam, ſive induſtriam, ſive laborem, ſive aliud pretio æſtimabile. *Tertio*, ut ſervetur æqualitas, & proportio, nimirum ut communia ſint lucrum & jactura, niſi aliter juſto pactum ſit, aliudque circumſtantiæ exigant (a). Jam

(a) Hæc ſocietas valde a mutuo differt; nam in ea, qui pecuniam confert, illius dominium re-

Jam vero ut de animalium societate quidquam peculiariter dicamus, licita hæc est, si istæ quinque serventur conditiones. Prima est, ut hæc societas congruo tempore ineatur, & duret, ne damnum alter patiatur, quod eveniret, si societas non eousque duraret, donec socius fructus percipiat, qui dimidium animalium pretium æquent. Secunda, ut si a villico animalia quis emit, quæ mox eidem in societatem tradit, justo illa pretio emat; nam si minoris emat, injustum villico damnum infert. Tertia, ut qui animalia in societatem tradit, dimidium tantummodo exempli gratia agnorum & lanæ exigat; nam si dimidium etiam lactis & casei & fimi, quo lætæ segetes fiunt, alter exigat, jam nec æqualitatem servat, neque justitiam; hujusmodi enim fructus ad villicum spectare debent, tamquam laboris merces, quem custodiendis, & alendis animalibus adhibet. Quarta conditio est, ut si aliqua animalia pereant, damnum æqualiter dividatur. Quinta denique ut societatis tempore elapso, omnium æqualis divisio fiat. Conditiones hæ ubi desunt, sæpe sub specie societatis mutuum subintrat, & lucrum inde captum usuram redolet. Cæterum generalis de compensatione facienda tradi regula nequit; ex peculiaribus cujusque regionis circumstantiis id pen-

---

net, periculum & damnum subit, quod in mutuo non contingit. Justo proin titulo industriæ, periculi &c. ex pecunia, aut animalibus lucrum capit.

pendet; quæ proin attendi debent, ne alteruter contrahentium damnum patiatur.

Mons pietatis eſt pecuniæ, vel frumenti vel aliarum rerum uſu conſumptibilium cumulus ex publico ærario, aut quorumdam divitum pietate fundatus ad ſubveniendum pauperibus, & indigentibus, ſi hi ſufficiens pignus offerant. Conditiones ad montis juſtitiam requiſitæ ſunt. 1. Ut certa pecuniæ ſumma, quæ pignoris valorem non excedit, petenti præbeatur. 2. Ut pignus, ſi poſt annum vel ultra illud mutuans non redimat, juſto pretio vendatur, & illud quod ſupereſt; oppignoranti reſtituatur. 3. Ut quovis menſe non plus retributionis a mutuatario exigatur, quam pro conſervatione montis, & miniſtrantium eruendo ſtipendio ſufficit; ſi enim lucrum intenderetur uſura interveniret, ſcopus non pietatis, ſed potius impietatis mons iſte foret.

CAPUT VII.

Reſtitutio ab uſurariis facienda.

Ubi de uſura agitur, difficillima imprimis res eſt reſtitutio; nam quamtum dulce eſt accepere, tantum reddere amarum eſt; & eorum qui pene toto vitæ ſuæ tempore uſuram exercuere, pauci admodum reſtituere ſatagunt. Generalis tamen regula eſt, aliena bona eſſe reſtituenda; ſed bona uſuris acquiſita aliena bona ſunt; ea igitur ſunt reſtituenda. Fruſtra vero quis reponat, filios egenos, & familiam fore, ſi reſtitue-

stitutio fiat; satius enim est filios egestate premi, quam patrem in gehenna cruciari.

Bona, quæ ex usuris sunt comparata, quædam non ex seipsis fructificant, sed ex dominorum industria, velut pecunia, oleum, vinum, triticum, & alia quæ usu consumuntur. Quædam vero ex se fructificant, nempe domus, horti, agri, animalia, servi. Usurarius fructus restituere non tenetur, quos ex rebus, quæ usu consumuntur, industria sua percepit. Hinc si pecunia ex usuris collecta domos aut prædia emisset, non teneretur has domos aut prædia restituere, sed solum pecuniam usuris acquisitam: nisi illi, a quibus usuras accepit, aut lucrum cessans, aut damnum emergens harum solutione passi essent; veluti si ut illas solverent, prædium aliquod viliori pretio vendere coacti fuissent. Quod si usurarius præter hæc prædia vel domos nihil haberet, hæc vendenda essent, ut restitutio fieret; qua peracta, suum foret quod reliquum esset. Si vero res, ex usuris perceptæ, sint natura sua frugiferæ, illas debet usurarius una cum fructibus restituere, deductis expensis, quas fecit aut in colendis agris, aut reparandis domibus, aut his similibus.

Omnes usurarii alicujus hæredes restitutioni sunt obnoxii, singuli pro rata hæreditatis. Si illorum aliquis quidpiam usu non consumptibile possidet, velut domum, aut prædium, hæc domino suo reddere debet. Hæc Casuistarum quorumdam est sententia. Alii vero asserunt, hæredes in solidum ad restitutionem teneri, quod probant ex capite *Tua nos* de usuris, ubi dici-

tur, usurarii filios ad restitutionem esse compellendos eodem modo, quo usurarius ipse compelli poterat. Si in filiis id locum habet, multo magis in hæredibus; nam bonorum divisio inter hæredes creditoribus jus non adimit, ut ex usurarii bonis creditum suum repetant, ita, ut si unus hæres solvere nequit, oportet ut alii hæredes debitum omne solvant: quæ opinio veritati magis consona, & sequenda in praxi mihi videtur.

Si usurarius bona quædam habuit usuris non acquisita, quæ aut donavit, aut vendidit, aut alienavit, qui hæc ab illo acceperunt, non tenentur eadem restituere, quamvis usurarius in egestatem postea labatur, ita ut restituere non queat; sufficit enim, ut alienationis tempore, unde restitueret, habuerit.

Dupliciter autem potest usurarius aliquid alienare: vel cum bonorum suorum imminutione, sicut quando filiæ suæ dotem tradit, vel servos suos remuneratur: vel sine bonorum suorum imminutione, sed potius cum incremento, velut cum prædium emit; nam etsi pecuniam tradat, fructum tamen ex empto prædio percipit. Bona priori modo alienata restitutioni sunt obnoxia, ideoque gener, qui ab usurario socero dotem accepit, ad restitutionem tenetur; at alienata secundo modo restitutioni non subjacent, quia usurarius æquivalens a venditore accepit.

Quartam, seu falcidiam percipere hæredes nequeunt, si usurarius satis bonorum ad restituendum non reliquit; debita enim prius solvi de-

debent, quam civilium favore legum quis fruatur. At falcidia legatis, quæ pias causas non respiciunt, est præferenda. Si autem post solutam falcidiam, nihil legatario ex usurarii bonis reliquum sit, unde restituat, ad restitutionem non tenetur, attamen teneretur, si hæredes restituere nollent, aut nequirent.

Princeps vel Judices, qui bona usuris comparata usurariis adjudicant, aut ne restituant, efficiunt, ipsimet restituere tenentur.

Restitutioni quoque sunt obnoxii Advocati & Procuratores, qui scienter usuras & usurarios tuentur: item Notarii, qui usurarios contractus scienter conficiunt, velut cum aliquis centum decemque nummos debere conscribitur, qui centum tantum accepit, decemque pro lucro solvere cogitur: quod autem pro mercede sua acceperunt, non tenentur restituere. Quod si contractus usurarios esse certo sciant, peccarent eosdem scribendo; restitutioni autem obnoxii fierent, si hujusmodi contractus, suapte natura nulli, non rescinderentur.

Testes, qui scienter usurarios contractus roborant, aut signant: item Ministri, qui ad usuram immediate cooperantur, & fœneratitiam pecuniam exigunt, restituere tenentur. Qui vero immediate non cooperantur, velut qui pecuniam numerant, aut solum debitores de solvendis usuris admonent, restitutioni non sunt obnoxii; sicut neque illi, qui alterius nomine mutuum ab usurario petunt, nec tamen usurarium ad fœnerandum inducunt. Hæc tamen

ipsa cooperatio plena est periculi, & vix aliqua permittenda: facile enim est proxime ad usuras cooperari, ac proinde restituendi obligatio plerumque adest.

Usurarius aut publicus est, aut occultus. Usurarius *publicus* non est absolvendus, nisi re re restituat, aut de restitutione facienda cautionem præstet; aut si se restituere non posse juramento affirmet; est enim excommunicatus, nec sufficit, si dicat, se in testamento restitutionem præcepisse. Quod si usurarius morti proximus, restituendi promissionem ab eo factam Confessarius exigat, qua usurarius & delictum suum fateatur, & suam restituendi voluntatem declaret, & quæ hæredes ad restituendum compelli possint. Si vero morti proximus hanc promissionem facere nequeat, illum potest Confessarius absolvere, dummodo contritionis signa in pœnitente conspiciat.

Quando occultus est usurarius, potest illum Confessarius absolvere, si se restituturum promittat, dummodo tamen idem in præcedentibus Confessionibus non promiserit, quin postea executus: hoc enim casu absolvendus non esset, nisi revera restitueret; nec sincera censenda esset promissio, sed fallax, effectuque caritura. Quod si morti proximus sit usurarius, non tamen debet absolvi, nisi revera restituat, si possit; aliàs secus absolutionis incapax est censendus.

TRA

TRACTATUS III.

DE RESIDUIS TRIBUS DECALOGI PRÆCEPTIS.

SECTIO I.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Mendacii descriptio, divisio, & malitia.

Prohibet hoc Præceptum injustitiam omnem & injuriam, quæ contra proximum committitur vel falso testimonio, vel injusta sententia, vel mendacio, vel detractione, vel temerario judicio, aut hujusmodi aliis. Quoniam autem frequentius ab hominibus mendacium committitur, de hoc accuratius agam. Sancti Augustini premam vestigia, qui insignes duos de Mendacio libros scripsit, in quibus quæstiones pene omnes, quæ circa illud proponi possunt, diligenter examinat.

Mendacium juxta hunc sanctum Doctorem est falsa verbi significatio ad fallendum, vel falsa contra mentem locutio. Dixi *verbi;* quia verbo præcipue mendacium committitur, quamvis

scripto etiam, vel signis committi queat. Ut mendacium sit peccatum, fallendi seu falsum enunciandi intentionem adesse necessum est; secus *materiale* tantum non *formale* esset mendacium, quod solum aut veniale, aut mortale constituit peccatum.

Dividitur autem mendacium formale in *jocosum*, quod fit meræ voluptatis seu delectationis causa, absque omni præjudicio tertii: *officiosum*, quod fit propriæ vel alienæ utilitatis gratia absque tamen cujusdam tertii damno: et *damnosum*, quod in alterius damnum vergit, estque grave peccatum, si damnum grave proximo afferat. Idem de mendacio jocoso, et officioso, quod ex circumstantiis personæ, loci &c. scandalum causat, sentiamus oportet.

Fuerunt (& forsan adhuc sunt), qui mendacium mere jocosum, aut officiosum licitum esse putabant. At horum opinio omnino falsa, et erronea est censenda. Mendacium enim suapte natura directe Deo opponitur; nam *Deus veritas est*; veritatem autem mendacium lædit; ne quid igitur illud impune Deus ferat. Pauca, mendacium legi naturali, legi scriptæ utriusque testamenti, legi ecclesiasticæ, omniumque Sanctorum praxi adversatur.

Vocem homini natura dedit, ut animi sui sensus ipse promeret; cum vero verbis animus ad animi sensus fingendos vel simulandos, hunc ordinem turbat, & naturæ fini repugnat. Paucis ro nihil aliud est mendacium, quam falsa verbi significatio, qua proximus decipitur.

Legas

Legem suam Judæis Deus tradens mendacium prohibet. Ait enim: *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum* (*Levit.* 19.). *Odit Dominus proferentem mendacia* (*Prov.* 6.). *Abominatio est Domino labia mendacia* (*Prov.* 12.). *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* (*Psalm.* 5.). *Os, quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* 1.). *Noli amare mendacium adversus fratrem tuum* (*Eccles.* 7.). Sanctus Augustinus affirmat, facilius in veteri, quam in nova lege veniam meruisse mendacium. Quando autem quærit, an licitum sit mendacium, ait se non de homine loqui, qui Ægyptum, vel Jerichuntem, vel Babylonem, aut terrestrem Jerusalem incolat, quæ cum filiis suis servit; sed loqui de cive liberæ civitatis & æternæ, quæ sursum in Cœlum est. *Filii autem illius civitatis, filii sunt utique veritatis; qui si quando casu mentiantur, petunt humiliter veniam, non inde quærunt insuper gloriam.*

Ratio, quare inter Christianos gravius peccatum est mendacium, hæc est, quia ipsi Jesu Christi sunt membra, qui ait; *Ego sum veritas* (*Joan.* 14.): ejusdemque corporis singuli sunt membra. Idcirco Apostolus ad Ephesios scribens sic inquit: *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra* (*Ephes.* 4.). In naturali corpore membra non se invicem fallunt; sed *si quid patitur unum membrum, compatiuntur & cætera* (inquit

Apostolus 1. *Cor.* 12.); quia naturalis corporum lex hanc compassionem & opitulationem requirit. Id in mystico quoque corpore est servandum: fidelium quilibet proximum suum vere amare, illique vere opitulari debet, nec erga ipsum fictione aut dissimulatione uti; quod nisi faciat, eo gravius peccatum committit, quo naturali corpore est nobilius, & civili christiana societas est sanctior.

Mendaces extra Ecclesiam debent expelli, sicut in Apocalypsi legitur: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium* (*cap.* 22.). Cum mendaces post venefícos, impudicos, & homicidas recenseat sanctus Spiritus, cæteris magis abominandos esse mendaces videtur innuere. Revera mendax verbis sua mendacii veneno inficit, eorum puritatem fictione corrumpit, animam suam, & sæpe audientium etiam animam occidit. Hinc, ut refert Burchardus (*lib.* 19. *c. de falsis testib.*), eidem olim Ecclesia pœnitentiæ mendaces subdidit, ac adulteros & homicidas. *Qui affirmaverit verum quod falsum est, pœnitentiam agat ut adulter, ut homicida, qui sponte id factum admiserit.*

Mendacium Sancti semper vitarunt tamquam peccatum summe detestandum, quo nempe injuria afficitur Deus Pater, ejusque Filius, ac sanctus Spiritus, qui in sua personali proprietate est veritas.

Pecca-

Peculiari etiam ratione inter Christianos præ infidelibus gravius est peccatum; quia videlicet credunt Christiani Jesum Christum secundum Divinitatem suam Patris sui substantiale esse Verbum, & *figura substantiæ ejus*, ut ait Apostolus (*Hebr.* 1.). Exterius hominis verbum hujusmodi interioris Verbi Patris cœlestis quædam est imago. Proferentis ergo sensum debet vere exprimere; quando autem animi sensum simulat aut fingit, suum lædit prototypum.

At dicet fortasse aliquis, hæc omnia de mendaciis esse accipienda, quæ proximo damnum afferunt; non vero de officiosis mendaciis, quæ joci causa proferuntur, absque intentione nocendi alicui.

Sanctus Augustinus perspicue docet, neque pro vita hominis servanda licitum esse mentiri. *Quomodo* (ait *lib.* 1. *de Mendac.*) *non perversissime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori?* Ratio est, quia proximi dilectio a sui ipsius dilectione mensuram debet accipere. Quomodo igitur sicut seipsum proximum diligit, qui ut temporalem illius vitam servet, æternam ipse vitam mentiendo amittit? Exemplum sanctus Doctor affert Firmi Tagastensis Episcopi, qui cum domi suæ hominem absconditet, quem Cæsaris ministri morte plectendum quærebant, urgebantque Episcopum ut illum proderet, hoc semper illis dedit responsum: *Nec prodam, nec mentiar.* Hoc audito responso pluribus illum cruciatibus Officiales afflixere, sed nihil amplius extorquere um-

unquam potuerunt. Ad regiam urbem deductus est Episcopus, ejusque constantiam Augusti mirati sunt, qui honore afficiendum judicarunt illique donarunt reum, quem celaverat. Exemplum hic Episcopus exhibet, quo interrogatus aliquis, an quæsitus homo hic lateat, aut ibi, si nihil respondet, suspicionem dat inquirentibus; quod ibi homo ille lateat; si autem respondet, illum non prodam, eamdem suspicionem tribuit: ideoque vel taceat, qui interrogatur, vel loquatur, quæsitus homo invenitur, & ad supplicium rapitur. Respondet, non licitum esse æquivocis uti, nec in manicam inferendo manum dicere: Hic non existit; sed si nescias ubi quæsitus homo lateat, sine timore ullo respondes: ubi lateat nescio; si vero scias, mentiri non debes, sed respondere: Scio ubi lateat, nec prodam: *pro qua fide atque humanitate quidquid fortiter tuleris, non solum non culpabile, sed etiam laudabile judicatur.* Exceptio nihilominus regulæ huic est addenda; nam si reus, qui quæritur, crimen aliquod contra Rempublicam, vel Principis vitam, vel Ecclesiam patrasset, tunc eum prodere oporteret: at extra hunc casum nemo tenetur hominem prodere domi suæ absconditum, sed neque mentiri debet, ut illum servet. *Dicturus ergo* (inquit sanctus Augustinus) *es falsum testimonium, & occisurus animam tuam, ne occidatur homicida?* Neque pro innocentis vita servanda mentiri licet, ejusmodi enim peccatum est mendacium, ut nulla unquam ratione licitum esse possit, neque pro vita propria servanda, multo vero minus pro aliena.

Mentio

Mentiri quoque non licet pro castitate propria, vel filiæ suæ contra iniquum raptorem servanda. Rationem affert sanctus Augustinus, quia corporis castitas ab animi castitate pendet ac proficiscitur. Quamobrem si mens mendacio corrumpitur, vere castum corpus non servatur: cum vero corpus vim patitur, quin vetitæ voluptatis amor accedat, cui voluntas repugnat, vexatio hæc est potius dicenda, quam corruptio. *Non ergo peccantem approbat, qui pro alio non peccat, & neutrum placet ei, qui utrumque nollet admitti; sed illud, quod ad se pertinet, etiam potestate non perpetrat, quod autem ad alterum, sola voluntate condemnat.*

Ægyptiacarum obstetricum affertur exemplum, quæ Pharaoni mentitæ sunt, & Rahab, quæ mentiendo Josue exploratores servavit, quam tamen Deus muneratus est. Non igitur ipsæ peccarunt, secus opus pravum remuneratus Deus esset. Respondet sanctus Augustinus, Ægyptiacas obstetrices Deum remuneratum esse, non quia mentitæ sunt, sed quia erga Israeliticos pueros misericordes fuere. *Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Quemadmodum enim nec absurdum nec insolitum esset, si aliquod ante commissum peccatum Deus illis dimisisset propter bona opera postea facta; ita mirari non debemus, si utrumque opus Deus simul respiciens, misericordiam scilicet, & mendacium, illam muneratus est, & hoc dimisit.

Quoad

Quoad Jacobi exemplum, qui patri suo Esau se filium suum Esau esse dixit, idem sanctus Augustinus respondet, non hoc fuisse *mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia: quod absit omnino. Quæ significantur enim, utique ipsa dicuntur: quæ verborum velo teguntur, ut ipsum pie quærentis exerceant, & ne nuda et prompta vilescant.*

Numquam igitur mentiri licet, nec potest umquam bonum esse mendacium, quoniam malum semper est peccatum. Mentiri non licet 1. circa religionis dogmata: atque hoc est omnium pessimum mendacium, 2. nec quando mendacium alteri nocet, 3. nec quando alterum potest juvare, 4. nec propter voluptatem, quam mentiens capit, 5. neque ut alios quis oblectet, eisque carus fiat, 6. neque ad proximi salutem procurandam, si forte hac arte converti queat, 7. neque ut alium a peccando cohibeas; ad malum enim peccatum pertinet, qui illud committit, 8. neque ut propria vita, vel castitas servetur, vel spirituale aliquod bonum, quod invito nemini vi rapi potest.

Jocosa mendacia semper mala sunt, nec Deum umquam vel leviter lædere debet Christianus oblectandi se causa. De otiosis verbis a Deo judicabimur, quando igitur magis de mendaciis? Qui autem levibus assuescit mendaciis, in

in graviora paullatim prolabetur, quæ amplius sunt nocitura. Jocosum mendacium, & leve plerumque peccatum, lethale evadit, si grave audientibus scandalum præbet; hoc enim caritati adversatur.

CAPUT II.

Æquivocationibus uti non licet.

Novi quidam Casuistæ mendacii malitiam velare student æquivocis, quæ licita esse docent; at id ingeniose magis, quam vere efficiunt. Certum est enim æquivocis utentem verba contra eorum naturam adhibere, cogitationesque suas non declarare, sed tegere; atque ideo proximum suum fallere, quia interroganti eidem aliud intelligendum proponit ab eo diversum, quod ipse mente celat. *Nihil aliud* (inquit sanctus Augustinus *quæst. super Deuter.*) *in verbis loquentium quæritur, nisi voluntas, propter quam enunciandam verba instituta sunt.* Et alibi ait: *Nihil aliud sunt verba quam signa; significando enim verba sunt: tolle significationem a verbo, strepitus inanis est.* Denique ita concludit: *Et utique verba propterea sunt instituta: non per quæ homines invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est* (*Enchir. cap.* 22.). Qui in alium finem verbis utitur, hic fallaciam in Rempublicam invehit, & sinceritatem, bonamque fidem ab ea repellit. Etenim si vigeat hic verborum usus, quid aliud erunt homi-

hominum ſocietates, quam congreſſus fallacium hominum, qui intimos ſenſus ſuos numquam declarabunt, nec ſibi invicem credent? Nonne iſta ſunt labia doloſa, quæ in judicio Deus puniet? *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa* (*Pſalm.* 11.). Nonne iſtud eſt os bilingue, quod Deus deteſtatur? *Os bilingue deteſtatur* (*Proverb.* 8.) (*a*).

Verum

(*a*) Propoſitiones tres, quæ amphibologias, mentales que reſtrictiones abſolute licitas affirmabant, Innocentius Papa XI. damnavit, easque ſupra (*Part. I. pag.* 574.) recenſui. Nihilominus duplicem mentis reſtrictionem videlicet propriam, & impropriam graves Auctores diſtinguunt. *Propria* ſeu ſtricte talis juxta illos tunc contingit, quando loquens aliquid aliud, quam in mente gerit, verbis exprimit, ita ut alter bene advertens nec ex verbis, nec ex circumſtantiis aut uſu loquentis mentem aſſequi poſſit, utſi quærenti, num Petrum videris, reſpondeas: *Non vidi*, ſubintelligendo *in campis* &c. aut pauperi ſtipem petenti reponas: *Nihil habeo*, intus addendo *pro te*. *Impropria* ſeu late dicta tunc fit, quando alter bene advertens ſive ex verbis, ſive ex nonnullis circumſtantiis, ſive ex uſu mentem loquentis cognoſcere poſſet, utut ex diſtractione, inadvertentia, aut imperitia hic & nunc non cognoſcat. Ut ſi Confeſſarius, Legatus, Secretarius de quodam ſecreto interrogati, *id ſe non ſcire* reſpondeant. Hanc licitam, imo ad graves quædam incommoda vitanda nonnumquam neceſſario adhibendam eſſe docent; licet illam primarem vaticano fulmine protritam fateantur. Alii æque graves Doctores, qui cum Auctore ſentiunt, omnes æquivocationes, mentisque reſtrictiones

Verum æquivocorum usus in reorum judiciis longe perniciosior est, quam in civili societate. Animadvertere oportet, duas conditiones requiri, ut reus in judicio veritatem absque æquivocis fateri teneatur. Prima est, ut a proprio judice interrogetur; nempe a judice, quem Princeps statuit, cujus auctoritas vano ullo privilegio nequeat imminui. Secunda vero est, ut juris forma servetur; scilicet, ut reus de crimine quodammodo publico interrogetur, cujus magna extent indicia, vel saltem adversus reum semiplena probatio, nempe attestatio testis omni exceptione majoris.

Si hæc duo concurrant, debet reus absque æquivocis veritatem proferre, & judicis juxta inten-

---

strictiones christianæ sinceritati, ac simplicitati evangelicæ repugnare, ac omnes indiscriminatim Pontificia censura perstringi affirmant, præsertim quia nulla vera hujusmodi restrictionum necessitas. Nam si de re tibi sub secreto commissa interrogeris, respondere debes, interrogationem istam illicitam esse, adeoque nec responsione honorandam. Reus vero non legitime interrogatus, respondeat, se nihil habere, quod hic dicat. Addunt non esse absurdum, quod certis in casibus nulla licita veritatem occultandi via restet, sicut sæpe contra injustum aggressorem se defendendi media desunt. Quodsi varias ancipites Christi & Apostolorum loquendi formulas eisdem objicias, illos divino spiritu prædictos non æquivoce, sed figurative, parabolice, mystice, prophetice locutos fuisse respondent. Jam saniora ipsemet eligas.

intentionem respondere, quamvis ex sua responsione morte esset damnandus. Quod si non sincere respondeat, mortaliter peccat, & propter jusjurandum, quo se ad veritatem promendam obstrinxit, & propter mendacium in judicio prolatum.

CAPUT III.

Suspicionis, & Judicii temerarii descriptiones, & antidota.

Inter injurias, quibus proximus læditur, etiam suspicio falsa, ac temerarium judicium occurrunt, tantumque nexum ad invicem habent, ut vix discerni possint. Initio de proximi virtute hæsitamus; postea eum malum esse suspicamur, tandem eumdem tamquam malum condemnamus. Quandoque in suspicione sistimus; quandoque hac omissa statim ad judicium progredimur. Tunc autem *judicium temerarium* fieri dicitur, quando ex levibus conjecturis, dubilibusque indiciis malum aliquod de alio quis certo credit. Si integra pravæ huic opinioni fides non præstatur, tunc non judicium sed temeraria *suspicio* erit. Quando revera prava est actio, certaque argumenta adsunt ad eam condemnandam tunc excusari illa non debet; nec qui eam damnat, temere judicat. Sacræ litteræ iis maledicunt, qui malum bonum, & bonum malum vocant (*a*).

Judi-

(*a*) Aliud est *de actu*, aliud *de persona* agente judicare. Actum aperte malum in se excusare non pos-

Judicium temerarium imo & suspicio, si ex latente animi rancore, aut malo affectu promanet, grave est peccatum, si tamen levis sit materia, aut actus non plene deliberatus, prout in bonis, ac timoratæ conscientiæ hominibus nonnumquam contingit, veniale peccatum reputari ejusmodi judicium vel suspicio poterit (a).

Maxima pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cum ita tamen non se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare: ut animadvertit sanctus Augustinus (*Serm.* 1. *post Trinit.*).

---

possumus; sæpe tamen personam; quæ ex ignorantia, inconsideratione &c. erronee forsan ita egit. Quodsi neque hoc circumstantiæ admittant; ut præscindamus, judiciumque justo ac omniscio Judici relinquamus, recta ratio, & caritas præcipiunt; si enim proximus peccans interno semel judicio sit condemnatus, externa murmuratione, ac detractione præceps lingua brevi in condemnatum desæviet. Non igitur eris iniquus detractor, si judicii præcipitantiam evitaveris; id autem efficies, si tuos proprios nævos, tuaque erronea judicia, hucusque facta, sæpius fueris ruminatus.

(a) Ad hoc, ut judicium sit graviter temerarium *actualis* & immediata ad insufficientiam motivorum advertentia non requiritur; nam mentis aversio, ac prædominans passio sæpius istam advertentiam impedit; quousque igitur ista passio placet, eousque parta inde judicia temeraria ac voluntaria saltem in causa erunt, adeoque & plene imputabilia.

Trinit.). Ex occulta hominum superbia id oritur, qui post originale peccatum ad instar Dei aliorum opera & intentiones judicare præsumunt, tamquam si cordium secreta conspicerent; aliena ideo opera, quæ mali speciem quamdam præseferunt, facile quisque damnat, nec similia se agere putat; vel si bona sint aliena opera, horum meritum minuit, quasi ipse meliora patraret.

Apud sanctum Lucam Dominus ait: *Nolite judicare, & non judicabimini* (*cap. 6.*). Apostolus autem inquit: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Tu autem quid judicas fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi* (*Rom. 14.*). Rationes ex hisce textibus erui possunt, propter quas ab judicando proximo debemus abstinere. Prima est, quia proximus noster Dei servus est, illique stat aut cadit; neque ad nos attinet illum judicare. Secunda est, quia ante tribunal Christi nos stare oportet judicandos; non alios ergo tur hic judicemus. Quamobrem hanc regulam statuit sanctus Augustinus: *De manifestis judicemus, de occultis vero Deo judicium relinquamus, quia & ipsa abscondi non possunt. Aperta enim mala & judicari, & argui debent; de occultis autem Deo, cui sunt cognita, judicium est relinquendum, atque hæc in die judicii ipse manifestabit. Duo autem sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus: cum incertum est quo animo quid factum fuerit, vel incertum sit qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel ma-*

lus nobis apparet. *Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem* (*cap.* 8. *de Serm. Domini in monte.*). Et alibi ait: *Melius est meliora sentire, quam inexplorata culpare.* Denique ad Alipium scribens sic monet: *Cavendum est ne dum rem dubiam emendari volumus, majora impune faciamus.* Judicia nostra caritas regat: *caritas non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit* (1. *Cor.* 13.). Oportet igitur, ut qui alios judicat, veniam a Deo exoret; videatque, an aliquem judicio suo læserit, & damnum, si quod alteri attulit, sarciat.

Id autem fiet, si malæ, quam de proximo habuit, existimationi bonam substituat, bene illi optet, pro illo oret. Sicque mala decrescet affectio, ac nova quotidie incrementa caritas capiet (*a*).

CAPUT

(*a*) Strictior adhuc datur obligatio dubia proximi facta in meliorem, aut saltem non in pejorem partem interpretandi, prout glossa in illum versum: *Qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* 14.) insinuat, communisque cum Doctore angelico tenet. Nihilominus idem S. Doctor (2. 2. *Q.* 60. *art.* 4.) advertit, quandoque licitum esse in deteriorem partem quidquam interpretari, non quidem *definitive judicando*; sed *hypotetice supponendo*, ut nempe nostrum vel proximi damnum caveamus, aut malo forsan commisso medelam feramus. Sic juste paterfamilias

CAPUT IV.

Detractionis notio, gravitas, & varii modi.

Omnium, quæ homo possidet, bonorum pretiosissimum profecto est honor, propterea detractio seu murmuratio, quæ hoc bonum aufert, injuriarum est maxima. Fideles sanctus Jacobus sic admonet: *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem* (*cap.* 4.). Non debemus detrahere alterutrum, omnes enim fratres sumus, & caritatis lex jubet, ut nostrorum fratrum honorem sicut proprium tueamur. Quamobrem qui fratri detrahit, caritatem violat, & injustitiam committit. *Qui profert contumeliam, insipiens est* (inquit Sapiens *Proverb.* 10.); quoniam animam suam occidit, qua majori nequit esse insipientia. Animam quoque fratris sui occidit, ipsi honorem eripiens, qui vitæ civilis est anima. Audientium insuper animam necat; dum hi murmurationi faciles præbent aures, & de ea oblectantur. Tandem Apostolus ait: *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (1. *Cor.* 6.). Idcirco detractores sunt fugiendi. *Cum detractoribus* (ait Sapiens *Prov.* 24.), *non commiscearis, quoniam repentina con-*

---

milias agit, si ad furta domestica impediendo scrinium claudit; si cum S. Jobo sæpius pro occultis filiorum ac domesticorum delictis dominum deprecatur,

consurget perditio eorum: & ruinam utriusque quis novit? Detractionem sanctus Augustinus vocat animæ fornicationem (*de salut. docum.*); detractoris enim voluntas mendacio jungitur; atque hinc detractionem gignit, quæ christianæ dilectionis puritatem corrumpit.

Detractio est immediata alienæ famæ ablatio, verbis facta, cum intentione alteri nocendi. Hæc postrema conditio omnino est necessaria; nam si quis exempli gratia coram judice alterum accusat, qui criminis alicujus vere sit reus, vel si contra hunc testimonium dicat, vel ipsum condemnet, bonam utique famam eidem aufert; at detractionem non committit, si juris ordinem servat. Injuriæ, quæ verbis fiunt, ex loquentis præsertim intentione sunt metiendæ; si igitur loquens famam eripere non intendat, idque casu eveniat, tunc peccatum mortale non committitur.

Octo modis detractio fieri potest; quatuor nempe directe, & quatuor indirecte. Directe 1. falsa imputando crimina, 2. vera augendo, & amplificando, 3. occulta manifestando, 4. bene facta perverse interpretando. Indirecte vero 1. bona opera negando, 2. eadem minuendo, 3. tacendo, quando silentium alienam virtutem in suspicionem adducit, 4. laudando remisse, ita ut alterius fama vel destruatur, vel notabiliter imminuatur (*a*).

Detra-

(*a*) Memoriæ gratia omnes detrahendi modos hisce versibus includerunt:

Detractio ſuapte natura mortale eſt peccatum; juſtitiæ ſiquidem adverſatur. Sunt (inquit Apoſtolus *Rom.* 1.) *detractores Deo odibiles.* Porro ii ſolum, qui mortaliter peccant, Deo ſunt odibiles; qui enim venialiter tantum peccant, Deo quidem diſplicent, ſed non illa Deus odit. Gloſſa vero ait ideo Apoſtolum dixiſſe *odibiles*, ne putarent homines leve eſſe peccatum detractionem, quæ ſolis verbis committitur. Alia verſio legit *oſores*; non enim ſolum detractores Deus odit, ſed ipſi quoque Deum oderunt, tamquam juſtum & omnipotentem vindicem. Sanctus Cyprianus legit: *abhorrentes Deo.* Quid autem triſtius evenire propter peccatum homini poteſt, quam Deum odiſſe & abhorrere? Detractio iniquior eſt, quam contumelia; cum enim hæc palam fiat, poteſt repelli; illa vero repelli nequit, clam liquidem alterum aggreditur.

Omnia crimina, quibus proximus lædituri, ſi homicidium & adulterium excipias, crudelitate vincit detractio; etenim eo major proxima irrogatur injuria, quo meliori bono ſpoliatur. Porro bonum nomen, quod detractio auferat, cætera omnia exteriora bona divitiasque antecellit juxta Sapientis dictum: *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ* (*Prov.* 22.).

Qui

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſe.

Verſus prior modos detrahendi directos, poſterior indirectos exhibet.

Quæ si vera sunt, quomodo Casuistæ quidam asserere audent, non peccare mortaliter, sed ut maxime venialiter illum, qui calumniatur falsaque crimina iis objicit, qui sibi detrahunt, ut eorumdem auctoritatem imminuat? Præterea-que docere, contra calumniatorem prolatam calumniam, quamvis mendacium sit, non esse tamen lethale peccatum neque contra justitiam neque contra caritatem (a)? Itane illud Christi præceptum servatur: *Benedicite maledicentibus vobis (Lucæ 6.)?* Itane Dei Filii exemplum imitabimur, qui ad mortem ductus est tamquam agnus non aperiens os suum? Qui ita docent, duo quidem supponunt. Primo non posse calumniatorem alio modo honorem suum servare. Deinde ipsum revera honorem suum esse servaturum, si inimico suo detrahat, falsaque eidem crimina objiciat. Verum exceptiones istæ mendacii naturam mutare nequeunt, multoque minus gravis mendacii, quo alterius honor læditur; imo ipsæ christianæ patientiæ adversantur, & caritatem destruunt. Si dicas opinionem hanc speculative esse probabilem, sed in

(a) Horum Casuistarum opiniones postea Innocentius XI. reprobavit, dum hasce confixit propositiones: *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?* Num. 43. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Num. 44. Alias proscriptas propositiones huc spectantes. Vide (*pag.* 81.)

in praxi periculosam; dum calumniam damnas simulas, illius fis patronus. Qui enim hanc sententiam speculative probabilem existimat, facile eamdem ad praxim deducet, ut iræ suæ morem gerat, falsum illud recentium Casuistarum axioma secutus, videlicet illum tuta conscientia operari, qui probabilem sententiam sectatur.

Tunc solum veniale peccatum est detractio, quando ejusdem est levis materia, ideſt quando alterius fama leviter tantum læditur. Verum hæc levitas ex personarum qualitate est definienda; etenim quæ circa nonnullas personas levis est, adversus alias prolata detractio esset gravis, veluti adversus ecclesiasticas personas, nempe Episcopum, Presbyterum, aut Monachum, quorum fama ita delicata est, ut ob minimam quoque maculam ejus puritas graviter obfuscetur. Majus etiam imo multiplum peccatum est coram multis alienæ famæ detrahere, quam coram uno; gravius item coram gravi, nobilique viro, quam coram quopiam plebeo homine.

Occultos aliorum corporales defectus detegere, non est suapte natura mortale peccatum, nisi grave inde damnum oriatur; vel nisi corporalis defectus alteri coram objiciatur, unde valde ille tristetur; tunc enim graviter caritas læditur. Porro plerumque homines hujusmodi exprobrationes magis æstimant, quam illas, quæ majoris sunt momenti (a).

2. Ve-

(a) Deliberationis, & advertentiæ defectus tunc solum peccati hujusce malitiam minuit, cum nec

2. Venialis culpa est detractio, si ex joco fiat, & recreationis causa, non autem nocendi animo, aut aliquem lædendi; ideſt si de re levi fiat.

3. Venialis quoque tantum culpa est detractio, si absque deliberatione fiat, sed ex furoris impetu oriatur.

At si quis judicio publico sit infamis, vel si extra judicium improbus passim habeatur, fur nempe, aut usurarius, licetne ejus improbitatem revelare, ejusque crimina ibi palam detegere ubi improbus non habetur?

Respondeo non licere proximi infamiam illic detegere, ubi illa ignoratur, neque declarare

---

animi rancor, nec odium, nec ipse detrahendi habitus ad detractionis actum impulit. Homines sat multi adeo temere de quibusvis obviis, ac suis præcipue osoribus loquuntur, acsi plenum totius humanæ famæ dominium a Deo obtinuissent; & tamen plerasque, etiam enormes detractiones suas inadvertentia, aut indeliberatione excusant. Ast vana hæc eorum est excusatio, nec umquam efficiet, ne proximi læsio saltem in causa, & indirecte voluntaria sit. Audaces hi sycophantæ, dum alius quispiam vel leviter ipsorum honorem contingit, ingentes vindictarum, maledictionum, scomatum voragines igniyomi velut Vesuvii eructant, juxta illud: *Tange montes & fumigabunt* (Psal. 143.); de maxima injuria conqueruntur: sua econtra in proximum dicteria continuo ceu levia contemnunt, nec curant. Sic nempe iniquitas sibi mentitur, nisi a prudente Confessario &c. in veritatis orbitam blande reducatur gressu. Vid. *Pars I. pag.* 215.

re nescientibus, animo alteri nocendi; id enim caritati repugnat; præcipue si publico judicio diffamatus, se jam emendavit, & suum recuperavit honorem.

Nonnullæ tamen addendæ sunt exceptiones. Etenim si exempli gratia aliquis, alibi furto damnatus, hic quoque furari posset, liceret alios monere, ut ab homine caveant, qui alibi tamquam fur est damnatus. Similiter si quis de hæresi alibi damnatus, posset hic cives pervertere, liceret ejus damnationem prodere, ut quilibet ab ejusdem erroribus sibi caveret. Item quando de publico bono agitur: exempli gratia si quis Magistratum aut Beneficium obtinuit, cujus munia exequi non est aptus; hanc ejusdem incapacitatem quamvis occultam declarare licet. Extra hos casus occultum alterius crimen revelare non licet: neque alicui quamvis prudenti sapientique viro patefacere, qui accepta notitia non abuteretur.

Si reus damnatus bonam famam non recuperavit, neque contra justitiam, neque contra caritatem peccat qui eum detegit; non enim illi honor eripitur, quem jam amisit, ejusque damnatio mox innotesceret. Excipe nihilominus 1. si hac manifestatione infamiam tertius subiret; exempli gratia si alicujus damnatio ad triremes ibi panderetur, ubi ejusdem soror habitat, quæ in istius infamiam vergeret, 2. id non liceret respectu ejusdem rei, si hinc periculum oriretur, ne gladio, aut veneno interficeretur, aut grave aliquod damnum subiret.

Quæ-

Quando publicum est crimen, utpote coram pluribus commissum, non peccat qui illud ibidem narrat; peccaret autem, si alibi narraret.

Seipsum infamare non licet, nec falsum crimen fateri, ut tortura vitetur; caritas enim jubet, ut quilibet bonum suum nomen tueatur. *Non confundaris dicere verum pro anima tua*, ait Ecclesiasticus (*cap.* 4.). Hæc autem suiipsius infamatio mortale esset peccatum, si gravis esset infamia, veluti si quis de hæresi, aliove hujusmodi crimine se accusaret; aut si hoc pacto alius quoque infamaretur, cujus bonum nomen servare oportet. Extra istos duos casus veniale tantum esset peccatum sui ipsius infamatio, si levem nempe culpam sibi quis imputet, aut occultam patefaciat.

Si quis torqueretur, ut complicem proderet, licite prodere illum posset; nemo enim torturam pati tenetur, ut alium servet. Verum excipe, si hæc manifestatio in publicum damnum vergeret; aut si alterius crimen ex sacramentali Confessione quis nosset: postremo enim hoc casu quælibet prius perferenda forent tormenta, imo mors ipsa, quam crimen proderetur.

Sancti illi homines, qui maximos se peccatores nuncupabant, non sunt mentiti, quamvis contra veritatem videantur locuti; considerabant enim quales esse ipsi poterant, & quales fuissent, nisi se Dei gratia a peccato præservasset. Peccati cujusliber initium, idest concupiscentiam sibi inesse agnoscebant; nec ignorabant nullum esse pec-

peccatum, in quod prolabi non possent, si Dei gratia ipsis defuisset. Ex vera igitur humilitate ipsi loquebantur, & infirmitatem suam fassi Dei benignitatem celebrabant. Nec se diffamabant apud alios, qui & illorum innocentiam agnoscebant, & bene norant Dei spiritu afflatos eosdem sic loqui.

CAPUT V.

Irrisionis, Contumeliæ, Susurrationis malitia.

Irrisio altera injuriæ species est, qua proximus læditur, dum coram aliis irronice laudatur, aut vituperatus ad erubescentiam provocatur. Nimium frequens est, & a plerisque, etiam cæteroquin piis hominibus parvi penditur. Hæc tamen sæpenumero caritas læditur; & quo plus ingenio valet, eo magis lædit, majorique pudore, ac confusióne alterum afficit. David in primo primi Psalmi versiculo beatum illum vocat, *qui in cathedra pestilentiæ non sedit*; ubi hebraicus textus legit: *in cathedra irrisorum*. Bene hi duo textus invicem conveniunt; nam irrisio vere est pestilentia, quæ irrisorem & auditores veneno suo afficit; sæpe enim irrisionis joco non levis detractio, aut contumelia detestabili arte tegitur; graviumque litium, ac aversionum fomes ponitur, hinc Sapiens ait: *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ* (*Prov.* 22.).

Con-

Contumelia injusta est proximi dehonoratio sive verbis, sive factis exhibita. Christus Dominus contumeliosum gehennæ ignis reum pronunciat (*Matth.* 5.), & Apostolus eumdem iis accenset, quos Deus in reprobum sensum tradidit (*Rom.* 1.). Unde nisi inadvertentia, aut materiæ levitate minuatur, grave peccatum est, vulnusque grave caritati infligit, quod nonnisi veniæ petitione, ac deprecatione sanari potest. Hoc tamen de injuriante, qui æqualis, vel inferioris conditionis respective ad injuriatum existit, est intelligendum; in nobili, aut alio altioris dignitatis viro, solam pristinæ benevolentiæ exhibitionem, gratiæ, aut beneficii largitionem sufficere communis Doctorum sententia affirmat. Imo si superior, aut parens correctionis gratia subditum, aut filium discolum non nihil confundat, postquam monitiones privatas ille sprevit, de contumelia sibi illata, inepte conqueritur.

Susurratio seu iniqua amici coram amico descriptio graviter caritati opponitur: ipsa enim personas separat, quæ mutua amicitia copulantur. Sacræ Litteræ de ea tamquam de gravi peccato loquuntur, quod magna cura est vitandum. Judæis hanc Deus in Levitico prohibet: *Non erit criminator, nec susurro in populo* (*cap.* 19.). In Proverbiis Sapiens ait: *Verba susurronis, quia simplicia, perveniunt ad intima ventris* (*cap.* 26.). Susurronis verba nec odium, nec artem præseferunt, quia sunt simplicia. Sed eo periculosiora sunt, magisque animam sauciant. Ecclesiasticus inquit: *Ne appelle-*

pelleris susurro, & lingua tua ne capiaris & confundaris (*cap.* 5.). Addit deinde: *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur; & qui cum eo manserit, odiosus erit* (*cap.* 21.). Demum subjicit: *Susurro & bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes* (*cap.* 28.). Peccat igitur susurro, quia multos turbat pacem habentes; & qui cum eo manserit, ex illius consortio odiosus erit; ipse vero est maledictus, quia pacem turbat ac destruit. Sanctus Apostolus Paulus peccata enumerans, quæ infideles Deum ignorantes commiserant, ait: *Susurrones, detractores Deo odibiles* (*Rom.* 1.). Ad Corinthios vero scribens sic inquit: *Timeo ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos: ne forte detractiones, inflationes, seditiones sint inter vos* (2. *Cor.* 12.). Susurratio conjugum pacem turbat, amicitias solvit, probos viros incautis Principibus invisos reddit, civilem denique societatem pessumdat. Quando igitur grave alteri damnum falsa relatione quis attulit, illud pro virili debet reparare, aut fatendo se falsa narrasse, aut bona alterius facta laudando, aut congruo aptoque alio modo.

CAPUT VI.

Libellos famosos legere, aut detrahentes audire omnino illicitum est.

Famosorum libellorum auctores leges civiles puniunt, & ad illatam reparandam injuriam compellunt. Publicæ hæ calumniæ magno re-

vere

vera vulnere alienam famam afficiunt; & quo magis elegantia & ingenio valent, eo lethale magis & immedicabile vulnus infligunt. Maxime vero detestandæ sunt, si quando Ecclesiæ ministros, Episcopos videlicet & Parochos, aut Principes vel Magistratus lacessant. Hoc tamen ævo nihil est frequentius. Satyrarum torrentes vidimus altiora dignitatum & virtutum allui cacumina: non Regibus, non Pontificibus, non Episcopis calumnia pepercit: detestanda cantari carmina audivimus, hæc cum plausu excepta sunt, hæc avide quæsita, & in scriniis tamquam sacra scripta collocata. Qui vero Superiores suos vel ecclesiasticos vel sæculares debita reverentia ex animo colunt, ab hisce scriptis tamquam veneno infectis abhorrent: non iis oblectantur, non illa celebrant, nec domi suæ detinent, ne in Auctorum peccato participient (*a*).

Sanctus Bernardus inquit: *Detrahere, aut detrahentes audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim* (*de consider. lib.* 5.).

Quem-

(*a*) Hujusmodi volantibus pagellis, ac famosis libris plurimæ librariorum officinæ turgent, suntque lectoribus non paucis eo acceptiores, quo pluribus scommatibus, ac calumniis scatent. Libros de rebus sacris absque Superiorum licentia, aut expresso Auctoris nomine typis edere vel etiam in scriptis vulgare Tridentinum Concilium sub anathemate prohibuit (*Sess.* 4. *de edit. & usu lib. sacror.*) hancque pœnam Leo X. etiam ad retinentes, vendentes in Concilio Lateranensi extendit (*Sess.* 10. *decret.* 3.).

Quemadmodum hominis christiani lingua fratris sui honorem lædere numquam debet; ita aures quoque suas, oculosque debet a detractione cohibere, qua fratris fama lacessitur. Vana excusatio coram Deo est, si quis dicat se illos non odisse, contra quos scriptæ sunt satyræ; sed solum carminis elegantia, & ingenio delectari. Non enim licet aliorum jactura oblectari; nec tot profecto satyrarum prodirent Auctores, nisi lectores reperirent, qui hæc Scripta laudarent: plerique siquidem satyrarum scriptores, sibi potius exercendi, excolendique ingenii causa, quam partium odio, studiove illas conscribunt.

Sæpenumero tamen evenit, ut pii cæterequin homines, qui bonam tuentur causam, vel tueri putant, injuriis, calumniisque illos lacessant, quibus respondent, aut quos impugnant. Nostrum hoc sæculum plurima hujusmodi scripta protulit, quorum Auctores zelus excæcavit, & ad suos crudeliter lacerandos adversarios impulit. Gradum a doctrina ad personam ipsi fecerunt; & dum pravas sententias damnant, Doctorum famam lacerare licitum sibi putant. Hoc veritatem & caritatem lædit: hoc Deus vehementer odit: hoc zeli velo frustra tegitur.

Hos Auctores tamquam detractores Deus puniet, qui fratrum suorum famam lædunt, etsi causam alioquin bonam tueantur. Inquit sanctus Judas Apostolus: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ.* Si Archangelus dæmoni maledicere non

non est ausus, nec contra illum judicium inferre blasphemiæ, quis feret Presbyteros & Monachos fratribus suis maledicere; atrocibus illos onerare calumniis, & detestandas contra ipsos comminisci accusationes coram populo, Principibusque?

Istud ne nobis imitandum exemplum Apostoli reliquere? Ubinam quæso in suis sanctus Paulus epistolis pseudoapostolos & pseudodoctores calumniis infectatur? Falsa eorum dogmata valide refutasse contentus, personis parcit, nec caritatem umquam, aut veritatem violat. Sancti Ecclesiæ Patres eodem spiritu contra hæreticos scripsere; sanctusque Augustinus, qui adversus obstinatiores & periculosiores hæreticos pugnavit, veneno numquam vel aceto scripta sua conspersit. Acer quandoque est sanctus Hieronymus, sed non occultas Vigilantio actiones objicit, nec falsis criminibus ejus famam obruit. Præterea valde inter se distant hæretici ab Ecclesia damnati, & homines catholicæ communionis, nondum ab Ecclesia judicati, & quos sæpe falso erroribus obnoxios suspicamur. Apostolus ad Titum scribens sic de Cretensibus ait: *Increpa illos dure, ut sani sint in fide* (*cap.* 1.). At si infirmi medicos suos maledictis lacessant, detestanda simul & deploranda amentia est. Hæc scripta curiositate prius oblectant; paullatim deinde venenum suum in legentium corda infundunt, efficiuntque, ut de aliis primo quis suspicetur, eosdem mox damnet, ac tandem oderit. Satius igitur esset libros hosce non legere: si

vero ex publico officio legendi sunt, ut de illis feratur sententia, Deum rogare oportet, ut nos a detractionis veneno servet, & ut caritas in nostro corde perseveret.

Qui alium ad detrahendum impellit, qui ex levitate aut odio detractione oblectatur, grave æque peccatum ac detractor committit: qui autem silentio, vel auctoritate detrahentem potest compescere, id debet exequi. David de seipso fatetur: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar* (*Psalm.* 100.). Sanctus Ludovicus detractores ad se accedere non patiebatur; illiusque statim os obstruebat, qui de aliis cœpisset obloqui. Hoc Sancti Regis exemplum Principes imitentur, qui innocentes se esse existimant, quia non detrahunt; sed aliis detractores maledicere patienter ferunt, suoque silentio detrahentes approbant. Inferior, qui grave sibi malum non timet, si superiori suo detrahenti contradicat, hoc leve malum pati debet, & industria sua superiorem a detrahendo cohibere; debet quoque injuriam aliquam patienter ferre, ut hoc caritatis opus exerceat. Hæc enim contradictio aut detractorem a detrahendo compescit, aut alterius apud circumstantes bonum nomen tuetur. At si ex correctione grave sibi malum timet, vel si inutilem illam putat ad detractorem coercendum, non tenetur aliquid loqui vel agere ut detractorem corrigat; tunc satisficit, si silentio suo, orisque habitu ostendat detractionem sibi displicuisse.

CAPUT

CAPUT VII.

Famam restituere detractores tenentur.

Detractor, qui alterius famam revera læsit, hanc reparare tenetur. Si vero alter jam esset vitiis suis infamis, aut si detrahenti nemo credidit, tunc detractor ad famam reparandam non tenetur. Cum autem postrema hæc circumstantia res sit valde incerta, satius est læsum alterius honorem reparare.

Secundo Judices, testes, accusatores, qui vere alterius crimen in judicio manifestarunt, ad famæ restitutionem non tenentur.

Tertio si persona læsa famam alio modo perfecte jam recuperavit, veluti si detractor mendacii sit convictus; vel si læsa persona illustri aliquo opere calumniam quamlibet destruxit, detractor a restituendi onere liberatur.

Quarto si calumniam passus detractori gratis, aut ob acceptam pecuniam ignovit, detractor a restitutionis onere liber erit. Quamvis autem detractoribus ignoscere valde pium opus sit; tamen si persona læsa esset in dignitate constituta, cui proinde necessarium esset bonum nomen tueri; aut si ex injuriæ condonatione tertii fama læderetur; tunc non liceret honoris reparationem recusare, ne propria infamia bono publico, vel alteri noceret.

Si quis alium falso de crimine accusavit, oportet ut detractor læsum honorem coram illis reparet, quibus præsentibus calumniam protu-

lit, & fateatur se mentitum fuisse. Si falsum crimen non narravit, sed occultum prodidit non dicat se esse mentitum; sed illum, quem calumniatus est, coram aliis laudet, læsumque honorem meliori, quo potest, modo restituat. Sed si alia via occultum crimen innotescere non teneretur detractor læsum honorem reparare; attamen si damnum aliud ex detractoris narratione alteri obvenisset, teneretur ipse hoc damnum resarcire.

Qui de vero crimine in judicio accusatus, crimen illud negat, suumque accusatorem mendacem, ac improbum vocat: debet accusatus accusatoris famam reparare, si crimen iste non probet; si vero illud probet, ad famæ reparationem accusatus non tenetur.

Qui alienam famam læsit, & alterum calumniatus est, debet alterius famam etiam cum proprii honoris jactura reparare; quemadmodum qui aliena rapuit, debet etiam cum bonorum suorum jactura restituere.

Attamen si vilem, ac plebeam personam nobilis quispiam, & in dignitate constitutus diffamavit, non tenetur hic tam exacte famam restituere: sufficit interdum, ut læsum alterius honorem pecuniæ largitione reparet.

Si quis calumniam passus vitæ discrimen propterea subiret, oporteret, ut calumniator suum mendacium fateretur, & vitæ etiam proximi periculo proximi vitam servaret: quidquid contra dicat Dicastillus. Si vero Nicolaus

empli gratia Petrum occidisset, Judex autem Claudium tamquam reum damnaret; non teneretur Nicolaus se homicidii reum coram judice fateri, ipse siquidem Claudium non est calumniatus.

Si duo se invicem diffamarint, non semper alterius alter famam tenetur reparare, si uterque hanc reparationem facere recusat. Sed si hic alteri reparationem facere est paratus, idem & alter præstare debet.

CAPUT VIII.

Monitorii obligatio & extensio declaratur.

Monitorium pro revelatione generaliter loquendo omnes illos obligat, qui sub mortali peccato revelare tenentur, sive ex rei natura hæc obligatio oriatur, ut alterius impediatur damnum, aut procuretur utilitas; sive ex Superioris jussu, quo non jubente non teneretur subditus revelare. Contra vero quotiescumque non revelans mortale peccatum non committit, excommunicationem pariter non incurrit.

Nemo criminis penitus occulti, quod ipse solus novit, auctorem revelare tenetur, nisi de publico Ecclesiæ & Reipublicæ bono agatur, præsertim si crimen adhuc patrandum sit, ut impediatur. Quod si alicujus tantum famæ læsio, aut damnum metuitur, quando debitor tenetur restituere, &, quamvis monitus, id facere negligit; qui rem, etsi secretam, norunt, revela-

re tenentur. Si revelationem tantum, non a
cusationem aut delationem monitorium imperat
qui eidem non paret, censuræ subditur, quam
vis quæ asserit probare nequeat; cum enim pro
cesserit denunciatio, & testes tantum quærantur
qui rem novit, etsi persona sit singularis, tamen
juridice interrogatus tamquam testis debet re
spondere. Secus evenit in delatione; exem
crimen, quod probari nequit, est veluti omni
no occultum; qui vero crimen, de quo alterum
accusat, probare nequit, censetur calumniator
præterea inutilis esset hæc delatio probandi
carens, quamvis læderet accusatum, & confu
sione operiret. Quod si Monitorium hanc ad
beat clausulam: *Quicumque crimen istud com
missum esse noverint, ipsum debent revelare*
id ita intelligi debet, si delator crimen proba
possit, sive teste majori omni exceptione, si
scripto, sive urgentibus indiciis. Quod si ad
datur clausula: *Denunciatio fiat, etsi probari
nequeat*: tunc nulla esset parendi obligatio
cum manifestus error subesset. At ubi de ma
trimonio agitur, qui sibi notum impedimentum
probare nequit, illud nihilominus denunciare
tenetur; id enim sponsis & consanguineis vul
sternit ad investigandam impedimenti veritatem
quæ alias maneret semper occulta. Idem e
dicendum, si rei notitia quæritur, unde grav
Ecclesiæ aut Reipublicæ damnum timeatur, quo
vitari facile potest, cum utilis opportune ad
pitur admonitio; nam qui Ecclesiæ, aut Rei
blicæ præsunt, si moneantur, possunt facile ne
gotium intime examinare, & ex indiciorum gra
vita

vitate & probabilitate opportuna imminenti malo adhibere remedia.

Si quis secretum prodere nequit, quin naturæ jus violet, quod fidelitatem postulat, hic censuræ minime subditur. Hujusmodi sunt Advocati, Procuratores, Chirurgi, Medici, & Obstetrices, etiamsi semiprobationes adessent, & criminis infamia monitorium præcederet: his ille quoque est accensendus, qui a perfido secreti proditore rem didicit. Attamen neque ab amico, neque ab alio interdum secretum legitime servari potest; ubi de Ecclesiæ videlicet aut Reipublicæ bono agitur, aut grave alterius damnum est impediendum. At si secreti conscius gravius sibi malum ex ejus revelatione timet, quam alteri ex ejusdem occultatione imminet, illud revelare non tenetur.

Id revelare non tenemur, quod a subleste fidei homine audivimus, aut si narrantis nomen fumus obliti; quando ab hoc solo homine id accepimus; aut jam ipse id revelavit.

Nemo injuriam, quam passus est, revelare tenetur; neque enim impedire monitorium potest, quin Evangelii consilium sectemur, quod ad dimittendas injurias nos hortatur. Equidem scio Pium IV. & Gregorium XV. Bullis suis jussisse, ut pœnitentes a Confessario in confessione ad luxuriam sollicitati eumdem denuncient: at hic de religionis negotio, & de animarum salute agitur.

Criminis alicujus occulti, aut cogniti auctorem manifestare non oportet, si ipse jam se correxit;

rexit; nisi aliquod adhuc ex illo crimine gra Reipublicæ malum evenire possit; aut ejusde scandalum adhuc duret, aut si plura denuo p trentur crimina; aut si judex prudenter exis met admissum crimen fore puniendum.

In criminali causa non tenetur reus seipsu prodere, suumque crimen fateri, neque sub communicationis pœna, nisi contra ipsum ad semiplena probatio, gravia indicia, & fama co munis: at in civili causa, monitorio est pare dum, & aut per se aut per alium satisfacer oportet. Quod si, ut malum aliquod evitetu veluti in causa matrimonii ad illicitum impedi dum conjugium, vel in Ordinatione ad averte dam irregularitatem, Judex jubeat, ut occultu impedimentum, aut defectus detegatur, paru dum est. Porro hæc regula semper viget, qu do Judex procedit, non ut puniat, sed ut m impediat, reoque prosit.

Neque suum complicem tenetur reus re lare, quia hoc pacto seipsum proderet; ne complex principalem suum auctorem, si den ciandi præceptum contra regulas juris fiat. C terum qui decoctorem facto aliquo contract aliove modo juvit ad suos creditores fallendo rei veritatem revelare tenetur, postquam eu dem monuit, ut debita sua solvat, aut quod ip se habet, reddat: secus censuram incurrit, n revelando gravi infamiæ., aut supplicii pericu se exponat, aut gravioris sui vel alterius dam

Consanguinei usque ad quartum gradum in tenentur se invicem prodere, nisi ubi de Ecc

siæ aut Reipublicæ bono agitur, nec adhuc commissum est crimen; id tamen in cognatione tantum carnali locum habet, non autem in spirituali orta ex Baptismo aut Confirmatione. Idem dicendum est de domesticis, & universim de iis omnibus, quorum vitæ, aut bonis revelatio periculum creat. Publicum tamen bonum privato semper debet anteferri; nec nimium sibi est indulgendum.

Quando monitorium revelationem alicujus rei postulat, cujus auctorem id agendo non peccasse aliquis novit, censuræ hic non subjacet, si illius actionis auctorem non revelet. Jubet exempli gratia monitorium, ut ille denuncietur, qui certam Nicolao pecuniæ summam surripuit; hanc scio a Bernardo, quia sibi debitam, fuisse surreptam: non teneor ego Bernardum denunciare. Nec illum teneor denunciare, qui revera furatus est, sed restituere modo nequit, & licite restitutionem, quam optat facere, potest differre; idem enim de revelatione, ac de restitutione statui oportet; vera autem impotentia restituendi onus tollit. Redit vero restituendi obligatio, si cesset impotentia; nec potest tunc debitor sine culpa, & sine creditoris injuria restitutionem differre; redit quoque hæc obligatio, quando debitor dimidium saltem restituere potest, quamvis integrum debitum reddere nequeat. Quod si dubia est impotentia, tunc oportet revelare.

Nemo tenetur longam inire viam, aut magnos sumptus facere, ut revelet.

Si

Si quis aliquid se non revelaturum juravit, non potest tamen revelationem omittere hujus juramenti prætextu, quod iniquitatis vinculum non est: si vero quis dubitat, an revelare teneatur, hic debet revelare.

Qui revelare tenentur, nec revelant, damna sarcire debent, quibus silentio suo causam præbent. Ad Episcopum isti mittendi sunt, aut eum, qui ab Episcopo habet absolvendi facultatem, si excommunicatio est reservata. Quod si absolutionis necessitas urgeat, satisfaciendi promissionem a pœnitente Parochus exigat, ut illum absolvat.

Qui jam elapso monitorii termino satisfecit, ideoque censuram incurrit, absolutione indiget etsi ille, cujus interest, debitum omne dimisit.

SECTIO II.

DE NONO ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

CAPUT I.

Præcepti noni explicatio.

Sexto præcepto adulterium prohibetur; sed Judæi putare facile poterant, sicut revera & putabant & credebant, exteriorem solum adulterii actum esse vetitum. Hoc igitur præcepto homi-

homines Deus docet, non ſolum adulterii actum eſſe malum, ſed & ejusdem patrandi deſiderium eſſe peccatum. Id apud ſanctum Matthæum Chriſtus declarat: *Audiſtis* (inquit *cap.* 15.) *quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hujus præcepti ratio eſt; quia Deus homines diverſimode ſibi obedire vult, ac terræ Principibus, qui homines ſunt, obediunt. Qui Principis voluntatem exterius exequitur, & id facit, quod leges jubent, nequit hic a Principe puniri; non enim mens, animusque Principi ſubeſt. Deus autem, ſicut cunctorum hominum eſt dominus, ita eorum mentes, animosque moderatur; ideoque jubere poteſt, & jubet, ſingulorum mentem, animumque ſibi ſervire. Peculiaris inſuper ratio movere illos debet, qui Evangelium ſectantur; Evangelium ſiquidem lex eſt interior ſpiritus & veritatis. Quamobrem perfectus non eſt Chriſtianus, qui exterius tantum Dei ſervat præcepta; ſed qui eadem amat, iis delectatur, ac libens & gaudens pro Dei gloria illa exequitur.

Hoc præcepto carnalia omnia deſideria prohibentur, carnalis omnis concupiſcentia vetatur. Hinc patet quantum a vero & ab honeſto longe aberrent novi quidam Caſuiſtæ. Docet eorum aliquis: „ turpia verba, quamvis inhoneſta & „ obſcœna repræſentent, eſſe de ſe indifferentia, cum vero ex levitate aut curioſitate prodeunt, venialia tantum eſſe peccata; illum

„ quo-

„ quoque venialiter tantum peccare, qui in
„ neſtis delectatur ſermonibus, ſi turpia agere
„ non intendit; audientes autem ex curiositate
„ hujusmodi ſermones veniale pariter damnum
„ peccatum committere “. Viſui etiam de
ditui eamdem doctrinam accommodat, ſubdens
„ obſcœnorum viſum, ex naturali ſolum & ſe
„ ſuali voluptate, absque intentione ad carnis
„ deſiderium progrediendi, neque veniale pec
„ catum ſibi videri; hinc poſſe aliquem omnes
„ ſui corporis partes aſpicere, imo & alterius
„ quin & alterius ſexus, ex curioſitate, dum
„ modo id a longe fiat, & per breve tempus
„ ſpatium, nec gravis inde oriatur commotio.
Doctrinam ſuam hac ratione probat, quia hu
jusmodi aſpectus ideo ſolum poteſt reprehendi,
quia eſt periculoſus. At nonne merito aſpectus
iſti damnantur, quia periculum creant? Nonne
periculum iſtud ſemper eſt grave? Nonne pro
xima eſt peccandi occaſio? Nonne aſpectus illi
ex prava concupiſcentia promanant, quæ non
prohibetur præcepto? Non igitur permittendi
ſunt, ſed prohibendi homini chriſtiano, ex cujus
ore, ut ait Apoſtolus, nullus ſermo malus de
bet procedere: *Omnis ſermo malus de ore vo
ſtro non procedat* (*Epheſ.* 4.).

Alius Caſuiſta de tactibus inter ſponſos lo
quens, ait eſſe licitos, dummodo pollutionis
abſit periculum, vel pravis deſideriis conſentien
di. Addit alius licita quoque eſſe oſcula, ut
ſponſus hæc exerceat, ne frigidus ruſticusve pu
tetur, etiamſi pollutionis periculum adſit. Ita

verecundiusne loqui potest? Possuntne hæc sine rubore legi? Nonne hoc pacto christiani conjugii sanctitas violatur, quæ sponsos utrosque esse æque castos postulat, & omnem turpitudinem ab eorum commercio amovet?

Alter denique docet, licite posse aliquem se oblectare cogitatione voluptatis, quam ex copula caperet cum muliere, si hæc sua esset uxor; & hanc tradit regulam, videlicet voluptatem, quam ex objecto sub conditione aliqua considerato voluntas capit, sine qua conditione objectum illud mortale esset peccatum, non esse illicitam hac addita conditione. Nonne sic nova creantur monstra, ut foveatur luxuria, in quam homines adeo sunt proni? Nonne sic lata aperitur via Monachis ac Presbyteris ad puritatem suam pravis quibuslibet cogitationibus fœdandam, inanium harum abstractionum prætextu, quæ pravam concupiscentiam clam fovent (*a*)?

Hæc

(*a*) Triplex hic conditionati desiderii distingui objectum solet. Unum ita ab intrinseco est malum, ut nulla cohonestari conditione possit, uti Dei odium &c: alterum intrinsece quidem malum sed addita quadam conditione cohonestandum, uti furtum &c.: tertium de se indifferens, solumque malum quia prohibitum, uti opus servile in die festo &c. Desideria circa objecta primi generis semper sunt inhonesta, quia quævis conditio eis adjecta, utpote impossibilis, habetur pro non adjecta. Hinc desiderium, quo Deum odisse vellem, si esset licitum, semper est malum. Desideria circa objecta secundi generis, utut satis sint periculosa, quandoque tamen in se

Hæc igitur rejicienda sunt sophismata, ea tumque, ac litteram sectari oportet noni præcepti, quod pravam omnem carnis cupiditatem cogitationes omnes inhonestas, turpia verba obscœnosque quoslibet aspectus prohibet.

CAPUT II.

Decimi præcepti explanatio.

Aliena non modo rapere, sed etiam concupiscere Deus vetat; hoc enim caritati opponitur, qua proximum debemus diligere. Præterea hæc cupiditas ex amore oritur, quo terrena bona prosequimur, quæ a nobis non sunt amanda, juxta sancti Joannis præceptum, qui ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo* (1. *Joan.* 2.).

Hisce verbis, quibus decimum hoc præceptum nobis proponitur, nempe: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum:* comprehen-

dunt

---

se honesta sunt, si nempe addita conditio tota malitiam ab objecto removeat; secus si conditio nihil vel unam solum aggravantem circumstantiam ab objecto tollat. Exemplum primi: *Furarer, si esset licitum.* Exemplum secundi: *Occiderem, si non esset infernus: Fornicationem committerem, si non essem Clericus, vel Religiosus.* Desiderabiles denique, quæ tertii generis objecta respiciunt, uti *non audirem sacrum in die festo, si esset licitum* &c. de se nec mala, nec periculosa sunt, attamen vana, ac plerumque, si verbis exprimantur, scandalum in audientibus causant.

duntur *omnia, quæ illius sunt*, quæ nec desiderare licet, nec invidere. Commune fere peccatum est invidia, a qua pauci admodum satis diligenter sibi cavent. Res tamen est periculi plena, eoque magis formidanda, quo minus plerumque cognoscitur. *Invidia diaboli* (aic Sapiens *cap.* 2.) *mors intravit in mundum.* Per invidiam in cor hominis mors intrat; extinguit enim ipsa caritatem, quæ vera hominis vita est. A superbia invidia gignitur, ait sanctus Augustinus; propriam siquidem superbe amando excellentiam, aliis homo invidet, quos sibi dignitate, honore, & virtutibus æquales videt, aut credit. Caritas autem, quæ invidiam expellit, bona omnia communia inter christianos reddit. *Habet ille virginitatem* (inquit sanctus Doctor *Homil.* 15. *inter* 50.) *ama illum, & tua est. Iterum tu habes forte majorem patientiam: diligat te, & sua est. Ille potest satis vigilare; si non invides, tuum est studium ejus. Tu forte potes amplius jejunare; si amat te, suum est jejunium tuum, quia per caritatem tu in illo es, & ipse in te est.*

Hoc præcepto prohibemur proximum vi cogere, aut malis artibus impellere ad vendendam domum suam, bona, aut officium, quod optamus. Id attendant ii omnes, qui vicinos agros volunt acquirere, & prædiorum suorum fines extendere. Maledictionem illis Propheta minatur inquiens: *Væ vobis, qui conjungitis domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio ter-*

ra (*Isaiæ* 5.). Non solum vetitum est alie-
na bona velle injuste acquirere, sed etiam ea-
desiderare; nam hujusmodi cupiditas christia-
nis haud convenit, qui non debent mundum di-
gere, neque ea quæ sunt in mundo, sicut supra
(*Part. I.*) diligenter probavimus. Caritas a nobis
exigit, ut simus de alienis bonis *socialiter gau-
dentes*, ut inquit sanctus Augustinus; ideo ea
cuique servare debemus: quomodo igitur ea
invide optare licebit?

TRACTATUS IV.

DE ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Ecclesiæ præcepta hæc sunt: 1. Dies Festos sanctifica, quos Ecclesia sanctificari præcipit. 2. Quatuor temporibus, Vigiliis, totaque Quadragesima jejunium serva. 3. Omnia peccata tua saltem semel in anno Sacerdoti confitere. 4. Paschali saltem tempore ad sacram Eucharistiam devote suscipiendam accede. 5. Temporibus interdictis a nuptiis abstine.

De Festorum sanctificatione jam egimus, cum tertium Decalogi præceptum explicavimus, præcipue quoad cessationem a servilibus operibus. De devota quoque Missæ auditione ibidem diximus; nihil proin restat, quam ut de Missa parochiali adhuc quidquam dicamus.

SECTIO I.

DE MISSA PAROCHIALI.

CAPUT I.

Missæ parochiali ut fideles intersint, antiqui Patres, & Concilia jubent.

Non ideo solum Ecclesia præcipit, ut fideles Festis diebus & Dominicis sancto Missæ Sacrificio intersint propter Deum adorandum,

verum etiam propter eorumdem communione
ſervandam; nempe optat Eccleſia ut in ſua qu
que Parochia Miſſæ ſacrificio interſit, ubi fi
lium ſit conventus, ubi verbum Dei annuncia
ubi populus de ſua Religione inſtruitur, ubi F
ſta denunciantur, ubi Edicta, & matrimo
publicantur. Poſtremis hisce ſæculis obliga
nem hanc, in ſua videlicet Parochia Miſſam a
diendi, modis omnibus abolere conati ſunt Reg
lares quidam, ſuorum privilegiorum præte
Quare operæ pretium facturum me arbitror,
gravem hanc quæſtionem diligenter examine
quoniam de ſacrorum Canonum agitur obſer
tione, de fidelium communione ſervanda, deq
Eccleſiæ præcepto, quæ non obtemperantes
cleſiaſticis pœnis ſubjicit.

Obligatio qua tenentur fideles Dominicis di
bus ſuas Eccleſias adire, & in ſua quisque pa
chia fidelium conventui intereſſe, adeo antiq
eſt, ac Eccleſia. Sane in ipſo Eccleſiæ exord
parochiales adhuc tituli non extabant, quem
modum hodie extant; ſed diebus Dominicis fi
lium conventus ſemper ſunt habiti. Sanctus J
ſtinus in ſecunda ſua Apologia exactam hon
deſcriptionem habet. „ Die (inquit) Dom
„ nica in unum locum omnes conveniunt, q
„ in pagis ſunt vel in agris, ubi Apoſtolor
„ commentaria, & Prophetarum ſcripta legu
„ tur; finita vero lectione conventus Præſes m
„ tionem habet, qua populum docet, & ad
„ ſectanda hortatur, quæ lecta ſunt. Deinc
„ quilibet ſurgit, & orat, & poſt orationem pa
„ ca

„ offertur, & vinum cum aqua: offerens autem „ preces recitat & gratiarum actiones, respon- „ derque populus cum gaudio Amen. Postea „ inter præsentes oblationis fit distributio & „ communicatio, pro qua gratiarum actio per- „ acta est ".

Sanctus Ignatius martyr in sua ad Magnesianos epistola fideles ad conveniendum in eumdem locum hortatur; additque „ ideo omnibus eum- „ dem statui diem, ut omnes eumdem panem „ calicemque participent, precesque simul pro „ aliis offerant, & ab eodem pastore doctrinam „ eamdem accipiant ".

Tertullianus, qui tertio floruit sæculo, de conventibus istis sic loquitur: *Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est: Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad divinarum litterarum co mmemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus defensamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina; nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur* (*Apologet. cap.* 39.).

Sanctus Hieronymus, qui quarto vixit sæculo, de hisce conventibus loquitur; & patres arguit, qui Magnatum ambitioni servientes eorumdem mentionem faciebant, & adeo frequenter ipsorum nomina in publicis precibus recitabant, ut audientes tædio afficerent.

Sanctus Augustinus fideles hortatur, ut non ad Sacrificium, & ad orandum conveniant, temporalium rerum cogitationem abjiciant, & pro Ecclesia orent, pro Episcopo, pro Presbyteris (*Act. Eradii.*).

Antiquiora Concilia adeo perspicua edidere Edicta, quibus hosce frequentare conventus, & parochiali Missæ interesse jubent, ut nullus excusandi locus supersesse possit.

Osius Sardicensi Concilio præsidens convocatos Episcopos sic affatur: *Recordamini Patres nostros in tempore præterito judicavisse, ut si quis laicus in urbe agens tribus Dominicis diebus non conveniat, is ex communione moveatur* (*can.* 2.). Omnes Episcopi dixerunt hanc quoque sententiam esse convenientissimam.

Illiberitanum Concilium sic statuit: *Si quis in civitate positus per tres Dominicos* (dies) *Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.*

Agathense Concilium sic jubet: *Missas die Dominico sæcularibus totas tenere ex speciali ordine præcipimus. Itaque ut ante Sacerdotis benedictionem egredi populus non præsumat: quod*

si fecerint, ab Episcopo publice confundantur (*can.* 27.); ideſt excommunicentur.

Idem Concilium cavet, ne Presbyteri privatas Missas celebrent, sed palam eos celebrare jubet, ut populus solemnibus Missis interſit, quæ canonica hora tertia celebrantur; & qui in urbe, vicinisque sunt locis, una cum populo Presbyteros solemnibus Missis intereſſe statuit.

Gratianus & Yvo Carnotensis sancto Augustino hunc canonem tribuunt; sed quemcumque auctorem habeat, antiquissimus profecto est canon.

Constantinopolitanum Concilium, Trullense dictum, quod septimo sæculo est habitum, ait: Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut laicus, absque gravi causa, vel negotio, quod longam ejusdem a sua Ecclesia abſentiam excuſet, in urbe degens tribus Dominicis diebus ad conventum non accedat; *si quidem Clericus, deponatur; si Laicus, segregetur.*

In ducenteſimo vigeſimoſeptimo capitulo Caroli magni sic decernitur: *Omnis Presbyter die Dominico cum psallentibus circumeat Ecclesiam suam una cum populo, & aquam benedictam secum ferat, & scrutinium more romano tempore suo ordinate agatur; ideſt populi census.*

Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui sæculo nono vixit, in quadam sua epiſtola hæc scribit, quibus Missarum diverſitas declaratur, quæ in Eccleſia celebrantur; ideoque non omnes has Missas fuiſſe parochiales: *Admonendus*

est populus, ut ante publicum peractum officium non accedat, sed omnes ad sanctam matrem ecclesiam Missarum solemnia, & prædicationes audituri conveniant, & ut Sacerdotes per ordinem nequaquam Missas, nisi tam caute ante horam secundam celebrent, ut populus a publicis solemnitatibus non abstrahatur; sed sive Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, ut prædiximus, in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant.

Yvo Carnotensis ait animadvertendum esse, ne solemnibus diebus Missas privatas Presbyteri palam celebrent, ut populus a solemnium Missarum auditione non abstrahatur, quæ passim hora nona celebrantur (*part. 2. cap. 119.*).

Nannetense Concilium, sæculo decimo habitum sic statuit: *Interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi Missam velit audire: quem si invenerint, ab Ecclesia statim dejiciant, & ad parochiam redire compellant.*

Tolosanum Concilium jubet, ut parochiani omnes, viri ac mulieres, Missæ parochiali, & canonicarum Horarum recitationi diebus Festis & Dominicis intersint: quod si absque legitima causa id exequi neglexerint, duodecim denarium mulctam solvant, quæ Ecclesiæ applicen-

CAPUT

CAPUT II.

Missam parochialem audire summus Pontifex præcipit sanaque ratio parochianis suadet.

His, quæ hucusque prolata sunt, non obstantibus Religiosi, præcipue germani, pertinaciter adeo sua tueri privilegia perrexerunt, ut Sixtus IV. Pontifex, qui Fratrum Minorum Generalis fuerat, ad turbas sedandas, iterum causam discutere coactus sit, & quatuor delectis Cardinalibus, qui rem examinarent, ex eorum relationibus celebrem Extravagantem edidit, quæ incipit *Vices illius.* Hæc si bene intelligatur, controversiam dirimit; expresse enim prohibet, ne Fratres mendicantes doceant, parochianos non teneri Festis diebus, & Dominicis parochialem Missam suis in Ecclesiis audire: a jure siquidem statutum est, ut illis diebus Missam in sua parochiali Ecclesia quilibet audiat, nisi honesta causa excusetur. Quidnam contra hanc decisionem convenienter potest afferri? Nonne ipsam violant Religiosi, qui contrariam sententiam docent, asseruntque laudabile quidem esse Missam parochialem audire, sed non præceptum? An non hoc uno contenti esse debent, si palam Missas suis in Ecclesiis celebrare ipsis liceat, contra veterum sæculorum morem, & statuta? Quare populos retrahunt ab Ecclesiæ servando præcepto; quod tam valida argumenta confirmant, videlicet Fidelium communio, & eorumdem necessaria instructio. Nonne pucherrimum visu est, fideles omnes in unum conveni-

re locum, ut simul sacrificio interstint Corporis & Sanguinis Domini, & de ipso participent? *Unum corpus* (inquit Sanctus Paulus 1. *Cor.* 10.) *multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Quoniam autem in eadem Ecclesia fideles omnes per Baptismum nascuntur, & in eadem judicii diem exspectantes sepeliuntur; nonne æquum est, ut eodem pane ab uno pastore nutriantur? Nonne in hisce conventibus ovibus suis verbi Dei escam pastores præbent, & parvulis illum frangunt? Quomodo qui Parochias suas nunquam adeunt, Monitoria & excommunicationes nosse possunt, quæ ibi enunciantur? Ex hac autem ignorantia nonne sæpe gravia alteri damna promanant, qui plura ad vitam suam, bona aut honorem suum scire potuisset, si hæc illi declararent, qui sciunt.

Quamobrem male ii cavillantur, qui ut Sanctinæ hujusce Bullæ vim eludant, ajunt hac juris communis declaratione non excludi privilegium, quod est juris exceptio; ita ut, qui ad parochialem audiendam Missam tenetur, obligationem suam impleat, si Regularium Ecclesiis concessi privilegio utens consuetudinem sequatur, quæ pariter communis altera est lex, & aliam Ecclesiam adeat, *non contempto proprio presbytero.*

Ex hisce postremis verbis Navarrus (*Manual. cap.* 25. *num.* 5. *ad* 1. *part. de gratia.*) & quidam alii Auctores vim infirmare conantur Canonum quos attulimus, & Tridentini Concilii auctoritatem, quam afferemus; fideles parochialem Missam non audientes a peccato excusant, dummodo

proprii presbyteri contemptus absit. Ajunt hosce Canones fidelibus solum præcipere, ut conventui interssint propter alias rationes, quas non exprimunt, & quæ facile conjici possunt; videlicet si non accedant, videri eos fidelium communioni renunciare, quod ingens malum est, & præterea bonis ipsos carere, quæ ex communi Sacrificii oblatione, & ex communibus precibus fideles percipiunt. Porro vel privilegium, quo quidam Regulares utuntur ad retrahendos fideles a Missæ parochialis auditione, Sixti IV. Bulla prius est, aut posterius. Si ante Bullam hoc privilegium concessum fuit, quare ejusdem non meminerunt Regulares, quando ex commissione Pontificis hoc negotium examinabant Cardinales? Putandum ne est ex oblivione hujusce privilegii eos non meminisse, a quo causæ decisio coram favente sibi Pontifice pendebat? Quod si post Bullam hoc ipsis privilegium concessum est, id probent; etenim Bullæ omnes postea editæ de Missis tantum privatis loquuntur. Non negamus posse fideles in Regularium Ecclesiis Missas audire; sed parochialem Missam ibidem non audiunt, quæ juxta Canones in parochiali Ecclesia est audienda (*a*).

Pro-

(*a*) Verum (inquit sapientiss. Pontifex Benedictus XIV. Tract. *De Synodo lib. 7. cap. 64. num. 8.*) „ hisce Sanctionibus derogatum nunc est non so„ lum contraria consuetudine, quam jam sua „ ætate multis in locis inductam innuit S. An„ toninus (*Summ. Theol. Part. II. tit. 9. cap. 10.*) „ docens, non peccare, qui die festo Missam au„ dit

Proprii Presbyteri contemptus peccatum ex jure divino vetitum; hoc enim Jus præcipit, ut pastores suos oves honorent, divinumque jus est *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Fidelibus omnibus inquit sanctus Paulus: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis* (*Hebr.* 13.) Nec solum peccat, qui ex hoc contemptu parochialem Missam audire negligit; sed ille quoque, qui quamvis parochiali Missæ interfit, suum tamen Presbyterum contemnit.

Profecto non modo contra civilem legem ille peccat, qui eamdem formaliter contemnit;

„ dit extra Parochiam, ubi consuetudo vigt
„ illam audiendi in qualibet ecclesia; vacua
„ etiam posterioribus Summorum Pontificum
„ constitutionibus. Siquidem Leo X. Constitu-
„ tione edita die 13. Nov. 1517. differte ait:
„ *Auctoritate Apostolica tenore præsentium statu-*
„ *facimus, omnes Christifideles, qui non contem-*
„ *proprio Sacerdote parochiali in Ecclesiis Fra-*
„ *trum Ordinum Mendicantium Dominicis, &*
„ *Festis diebus Missas audiunt, satisfacere præ-*
„ *pto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquo*
„ *labem peccati mortalis, pœnamve incurrere.* S.
„ Pius V. suis Apostolicis litteris datis 17. Ka-
„ lend. Septembris 1567. definivit: *Christifide-*
„ *les audiendo Missas in Ecclesiis Fratrum hujus-*
„ *modi diebus Dominicis, aut Festivis, præcepto*
„ *Ecclesiæ de illis audiendis satisfeciisse censeant.*
„ Idem postea Clemens VIII. in suo Brevi Su-
„ *nificatum* anno 1592. dato statuit". Constitutio igitur Sixtina, quæ circa annum 1477 prodiit, vel solum parochialis Missæ contemptum prohibet, vel per Constitutiones posteriorum Pontificum est revocata.

sed quicumque etiam ipsam advertenter & deliberate violat, sive ex negligentia, sive ex alia prava causa id faciat. Anne ut peccet mercator, qui merces suas ultra pretium a lege statutum vendit, legem formaliter contemnat oportet? Nonne satis est, si pecuniæ amore contra legem agat? Judex quoque, qui contra leges fert sententiam, nonne peccat, quamvis leges contemnere non intendat?

Igitur Presbyteri contemptus non est de substantia legis, quæ parochialem Missam audire præcipit; sed est solum circumstantia legis violationem aggravans: secus Canonis præceptum numquam violaretur, quin peccaretur mortaliter, formalis siquidem Presbyteri contemptus mortale est peccatum. Porro id communi Doctorum opinioni est contrarium, qui docent humanæ legis violationem plerumque veniale esse peccatum, non mortale.

Nonne possent parochiani omnes die Dominico a parochiali Missa abesse, sine formali proprii Presbyteri contemptu? propterea ne a culpa excusarentur? Nonne hoc pacto parochiales omnes Ecclesiæ remanerent desertæ? Frustra Ecclesia canones sanxisset, quibus parochialis Missæ auditionem fidelibus præcipiat. Ex rationabili & honesta causa fideles ab hac auditione canones liberant; sed de contemptu neque directam, neque indirectam mentionem faciunt; non enim passim hic contemptus adest, & forte qui a parochiali Missa abest, numquam ex contemptu auditionem ejusdem omisit. Quomodo autem

autem huic contemptui remedium conveniens offereretur, si cognosci debet morbus, ut corrigatur? Quomodo vero de hac culpa parochiani corripientur, quæ interior est, & occulta? Quomodo tandem canones servari possunt, qui alienæ parochiæ subditum ab Ecclesia expelli jubent?

Non est igitur necesse, ut formalis sit hic contemptus; sufficit, si materialis sit & virtualis, & in hunc revera incidat, qui sine honesta atque legitima causa a parochialis Missæ auditione abstinet. Etenim si parochianus, quemadmodum debet, Presbyterum suum coleret, ejusdemque precibus & monitis fideret, Missæ parochiali interesset, in qua illum Presbyter instruit, & pro ipso Deum orat (*a*).

Sanc

(*a*) Hanc ipsam objectionem summus ac celeberrimus Præsul Benedictus XIV. (*cit. loc. num. 9.*) ita solvit „ Est autem impossibile (dicunt) con„ temptum abesse, cum iidem sine rationabili „ causa a propria parochia se subducunt. Verum „ hac explicatione præfata SS. Pontificum instituta penitus evertuntur: nullo enim opus habe„ rat privilegio ad hoc, ut fideles legitima urgente causa alienam adirent Ecclesiam, ut in „ Missæ assisterent Sacrificio, quod ex præfatis „ Juris communis sanctionibus perspicuum est. „ Quare ne dicamus, Leonem X., S. Pium V., „ & Clementem VIII. verbis lusisse, nec quic„ quam specialis privilegii Regularibus concessis„ se, necessario fateri debemus cum Azorio, „ Fagundez, aliisque ab his citatis, nomine „ *contemptus* ab illis (Pontificibus) intellig„ actum

Sane populum suum instruere jure divino Presbyter tenetur ; hanc igitur instructionem tenetur populus audire , relativa siquidem est haec obligatio. Porro si parochiani, qui ad parochialem Missam non conveniunt, ut instructionem hanc excipiant, tunc solum peccant, quando ex Presbyteri contemptu absunt, ad hanc excipiendam instructionem numquam erunt obstricti; fieri namque potest, ut Presbyterum suum numquam contemnant, ideoque eosdem instruere ipse non tenebitur. Quare haec clausula *non contempto proprio Presbytero* canonis vim minuere nequaquam potest (*a*).

Animad-

„ actum aliquem distinctum ab ipsa auditione „ Sacri extra parochiam, quo quis sive expres- „ se sive tacite se a proprio Pastore aversum „ ostendat “ .

(*a*) „ Melius Zerola aliique sentiunt, obligationem, „ si quae umquam fuit, auscultandi proprium „ parochum, verba facientem ad suum populum „ ablatam nunc esse per contrariam consuetudi- „ nem, cum passim viri pii, & docti alio se „ conferant ad sacros audiendos Oratores; ac „ proinde, inquit Zerola sacra Congregatio Con- „ cilii saepius declaravit, non posse Ordinarium „ mulctis & poenis subditos adigere ad concio- „ nem auscultandam in parochia , quod etiam „ testatur Barbosa. Mirum propterea non est , „ quod praeceptum hac de re ab Episcopo Midensi „ latum, tamquam nimium severum fuerit ex „ ejusdem sacrae Congregationis sententia prae- „ cidendum “ . Ita denuo Benedictus XIV. (*loc. cit. num.* 13.), qui sicut Cleri regularis numquam fuit alumnus, ita de partium studio minime potest esse suspectus.

Animadvertendum denique est, alterca-
nem inter Parochos & Regulares, propter
Sixti IV. Bulla est edita, non fuisse; an sine Pa-
byteri sui contemptu possent parochiani ad
sam parochialem non convenire; verum an
pliciter & absolute possent ejus auditionem
tere. In eodem itaque sensu Pontificis decisi
accipienda, nec eidem hujusce contemptus
ceptio addi jure potest.

CAPUT III.

Missam parochialem Concilia

commendant.

Tridentinum Concilium novissima est
regula; nec ausuros Regulares
ejusdem decisiones impugnare. Earumdem
men pravas aliquas interpretationes
quæ facillime refutantur.

Sessione vigesimasecunda hòc Concilium
rochos ita alloquitur: *Moneant populum,*
frequenter ad suas parochias, saltem diebus
minicis, & majoribus Festis accedant. Sessione
vigesimæquartæ capite quarto sic ait: *Mone*
Episcopus populum diligenter, teneri unumq
que parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri
test, ad audiendum verbum Dei. Ejusdem
sionis capite septimo Parochis præcipit: *Ut*
Missarum solemnia, aut divinorum celebration
sacra eloquia, & salutis monita vernacula lingu
singulis diebus festis, vel solemnibus explanent.

Inde

Insuper sessione vigesima secunda in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ ita concludit: *Hæc igitur omnia omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut ea prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant.*

Circa hosce Concilii textus plura sunt animadvertenda. Primo notanda sunt illa verba: *Monant populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedant.* Magni igitur res est momenti parochialis Missæ auditio; ideoque sine gravi aliqua, & honesta causa nequit omitti.

Secundo verbum illud attendendum est *teneri*, quod procul dubio debitum significat, non simplex consilium; sic enim in Jure accipitur, & juxta Pontificum consuetudinem. In Clementina *Exivi* legitur, quod Fratres Minores *jejunare a festo omnium Sanctorum usque ad Natale Domini, & in sextis feriis teneantur;* omnesque conveniunt Doctores, hisce verbis præceptum contineri, non simplex consilium.

Tertio verba illa sunt perpendenda: *teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Quomodo ergo fidelibus licebit, omnibus diebus Festis a sua abesse Parochia?

Quarto notandum, velle Concilium, ut Episcopi *ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasti-*

tis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant. Porro Ecclesia censuris ecclesiasticis tantum utitur ad mortale puniendum peccatum, aut in gravi aliquo negotio. Non igitur levis culpa est parochiali Missæ numquam interesse, quemadmodum in magnis urbibus evenit, ut plerique fideles toto vitæ suæ tempore a parochiali Missa absint.

Quinto observandum, nullam a Concilio de Presbyteri contemptu mentionem fieri, quod absque hoc contemptu fidelibus liceret a parochiali Missa abesse.

Sanctus Carolus Borromæus, cujus opera coactum & finitum fuit Tridentinum Concilium, ejusdem profecto mentem melius noverat, quam Regulares isti, qui circa Concilii textum cavillantur. Sic igitur ipse loquitur in primo suo Provinciali Concilio, quod post Tridentini conclusionem statim coegit: „ Sacrum & œcumenicum Tridentinum Concilium nuper prævidit non solum moneri ab Episcopis fideles „ populum, ut frequenter, Dominicis saltem „ aliisque solemnibus Festis diebus ad suam „ quisque Parochiam conveniat; sed serio „ perspicue dixit, fidelem quemlibet tenetur „ quantum commode fieri potest, suam Parochiam adire ad audiendum verbum Dei. Ideo „ nos pro nostra Diœcesi idem præcipimus „ quamvis Oratoria, Capellæ, aliæque sacræ „ Ecclesiæ, ubi fideles Missæ interesse possunt. Deinde spiritualia bona enumerat, quibus privat, quicumque parochiali Missæ non

est; & Regularem quemlibet sic monet: *Nihil quidquam proferat; quod parochialia Officia inturbet, sed omne studium adhibeat, quo populus in omnes parochialis curæ partes pie, sancteque conformetur.*

Provincialia omnia Concilia, quæ post Tridentinum Concilium in Gallia sunt habita; peculiares omnes Synodi, Senonensis anno 1528. Colonensis anno 1536. Parisiensis anno 1557. Turonensis, Burdigalensis, idem omnes præcipiunt: ita ut generalis in Ecclesia vigeat consuetudo parochialem Missam audiendi.

Præceptum hoc infirmare, ejusdemque obligationem destruere Auctores quidam subtiliter conati sunt; quibus jam respondimus, neque ultra in eorum recensendis sophismatibus tempus est terendum (*a*). Quæ diximus de hac quæ-

(a) Fuerunt, qui docuerunt: *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fideî rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in catechesibus annunciantur, & docentur.* Item: *Talem legem in hac materia neque Episcopi, neque Concilia provinciarum, vel nationum sancire, neque delinquentes aliquibus pœnis, aut ecclesiasticis censuris mulctare possunt.* Utramque propositionem inter eas, quas Alexander VII. damnavit, suo in catalogo D. Amort ponit; in aliis tamen, quos penes me habui, propositionum damnatarum Elenchis easdem haud inveni. Natalis Alexander illas a Clero gallicano in Comitiis generalibus an. 1656. tamquam *falsas, temerarias, scandalo-*

quæstione, ad eam intime cognoscendam Parochis satis esse possunt. Si Regulares cupiditatem a se abjicerent, videndi Ecclesias suas nobilibus præcipue, divitibusque viris refertas; minori certe vi parochiali Missæ assistentiam impugnarent, quam fidelibus saluberrimam fatetur debent, & ad externam fidelium communionem servandam utilissimam.

Privilegiis suis contenti sint, nec debito Parochias honore spoliare velint, & desertas efficere; ne cum Propheta iterum dolendum sit: *Viæ Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem* (*Thren.* 1.).

---

sas, apostolicis Traditionibus, sacris Canonibus, & Tridentino contrarias refert reprobatas. Certum hæc, undeunde demum profecta, omnino judicio detur. Propositiones enim istæ nædum sua universalitate frigidis, ac refractariis hominibus favent, sed & temerariis Pastorum contemptoribus nimium indulgent, novumque animum addunt. Pastorum autem contemptum concilia & Patres damnant; & ipsi quotquot sapiunt, Religiosi detestantur.

SECTIO II.

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

CAPUT I.

Jejunii ecclesiastici origo, & laxæ de eo Casuistarum opiniones referuntur.

Jejunium, quod modo servatur, est veluti umbra quædam jejunii, quod prioribus octo Ecclesiæ sæculis fideles servarunt. Cibum semel tantum in die Sole occidente capiebant; & unica hac refectione contenti erant. Quadragesimæ tempore nec ova, neque caseum, nec oleum, nec butyrum comedebant: a vino, omnique potu, quo inebriari possent, abstinebant: balneis non utebantur: ab uxoribus se continebant: aliis permissa temporibus oblectamenta vitabant: carnem denique suam modis omnibus affligebant. Aliis jejunii diebus, quibus semiplena servabantur jejunia, tribus post meridiem horis vescebantur. Cabillonense Concilium de Quadragesimali jejunio loquens ait: *Nullatenus jejunare censendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur Officium.* Sanctus Bernardus sermone tertio in Quadragesima inquit: *Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum simul universi Reges & Principes, Clerus & Populus*,

nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.

Tertullianus libro de jejuniis sic loquitur: *Xerophagias observamus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel calorem vel potemus.*

Græci & Armeni hodie quoque eodem pene rigore in Quadragesima jejunant: quem rigorem ii soli remittunt, qui graviter ægrotant.

Ab hac disciplina extremis hisce temporibus Ecclesia valde recessit, fidelium indulgens infirmitati. Etenim primo prandii hora est immutata, & circa meridiem cibus sumi permittitur. Deinde vespertina refectio conceditur. Tum vini usus, olei, butyri, ac piscium non interdicitur. Denique nec balnea vetantur, nec matrimonii usus; quamvis ab his se continere Ecclesia suadeat, quemadmodum suis in hymnis canit:

Utamur ergo parcius
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, jocis, & arctius
Perstemus in custodia.

Hujus abstinentiæ ratio est, quia jejunii Quadragesimæ observantia intendit Ecclesia primo pœnitentiam Christi colere, qui post suum Baptismum in desertum perrexit, ibique quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit; deinde carnis concupiscentiam minuere, ut spiritui caro subdatur, & per intemperantiam

commissa peccata per pœnitentiam expientur. Verum novi quidam Casuistæ novissimis hisce temporibus abstinentiæ rigorem adeo temperarunt, ut revera jejunium penitus e medio sustulisse videantur.

Primo quoad prandii horam novus Casuista docet, hanc licite anteverti posse, si necessitas aut urbanitas exigat. Addit alius non esse de jejunii substantia statis horis cibum capere; quod si prandium antevertens peccat, peccat solum venialiter.

Quoad ciborum qualitatem ac quantitatem, enormes pariter laxitates novi hi Doctores invenere. Si quis, ait Casuista quidam, jejunii die prandens ita escis ventrem implet, ut fames penitus extinguatur, is præcepto vere satisfacit, quamvis legis intentionem eludat, quæ carnem fame coercere intendit. Docet alius, quamdiu quis mensæ accumbat, & comedat, si nulla adest interruptio, hunc jejunium non frangere, quamvis contra sobrietatem peccet.

Docent iidem Auctores, potu jejunium non frangi, quocumque tandem tempore, & quantumcumque quis bibat; posse proinde aliquem mane æque ac meridie aut vespere vinum quantum voluerit & quoties sumere, quin jejunium frangat; quia temporis immemorabilis consuetudo id permittit; & quia potus non ad corporis nutritionem, sed ad sedandam sitim sumitur. Quasi vero sæculi corruptela contra Ecclesiæ leges, ac disciplinam posset præscribere; aut quasi vinum plus revera quam leviores plerique cibi

non nutriret; & quasi extra controversiam ponit esset prioribus Ecclesiæ sæculis Quadragesimali tempore fideles a vino abstinuisse.

Addit Casuista quidam, si quis post prandium bibit, potest bucellam panis sumere, ne potus sanitati noceat; qui vero neque esuriens neque sitiens ab amico rogatus jejunii die vinum biberet, & pauxillum panis, aut bellaria sumere, non peccaret.

Alius docet, excessum in potu temperantiæ quidem esse contrarium, at jejunium non frangere. Concedit, ut aliquid sumatur cibi, quoties bibitur, ne potus noceat; additque cibos quoscumque sumi posse, quibus in Quadragesima vesci licet. Juxta hanc regulam piscium concedere licebit, quoties bibitur; hoc autem pacto quomodo jejunium servabitur?

Quoad personas, quæ jejunare tenentur, Casuista quidam excipit non solum operarios, agricolas, cæmentarios, fabros, omnesque opifices, artificesque; sed omnes etiam, qui de capitis, cordis, & stomachi morbo laborare querantur, aut jejunos dormire non posse. Addit alius, si quis nocte calefieri nequit, quia hoc sanitati nocet, jejunare non tenetur; neque scholaris, qui jejunans capite ægrotat, nec ad studium potest incumbere; neque mulier, quæ officiis suis ægre potest vacare, nec homo, qui jejunans difficilius artis suæ labores sustinet. Docet præterea quidam, non teneri maritum jejunare, si ad opus conjugii propter jejunium minus aptus evadat; neque uxorem, si propter jejo-

jejunium pallida, & macra fiat, minusque marito grata; denique illum ad jejunandum non teneri, cui nimis grave molestumque est jejunium: quasi vero jejunium natura sua minime esset molestum, nec ideo ab Ecclesia præcipiatur, ut affligatur caro, & pœnitentiæ opus exerceatur (*a*).

Ulterius alius progreditur, docetque illum, qui luxurioſe cum meretricibus vivendo sanitatem suam attrivit, ad jejunandum non teneri, ut vires suas reparare queat. Post tale paradoxum alia minora recensere piget, quæ merito tamen damnantur (*b*).

CAPUT

(*a*) Omnes fere istæ laxitates in quinque propositionibus, quas circa jejunii materiam Alexander VII. damnavit, summatim continentur. Sic enim habent: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.* Num. 23. Item: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comederit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Est Num. 29. Tres residuas propositiones damnatas commodius postea adducemus.

(*b*) Illi, qui prioris vitæ excessus seria pœnitentia retractavit, postea virium debilitas, non secus, ac alia naturalis infirmitas, involuntaria esse incipit, sicque & inculpabile jejunii impedimentum evadit. Hinc Author solummodo de eo, cui prior adhuc consuetudo placet, loqui videtur.

CAPUT II.

Genuinæ jejunii notio, & Regulæ traduntur.

Rejectis jam opinionibus, quæ sua se ma[illegible] produnt, veram jejunii ideam tradere opo[illegible]tet. Quadruplex jejunium Doctores distingu[illegible] videlicet Naturæ, Spiritus, Virtutis, & Ecc[illegible]siæ. *Primum* est abstinentia ab omni cibo, & potu, ita ut a medio noctis nihil omnino sum[illegible]ptum sit. *Alterum* est abstinentia a ferme[illegible] malitiæ, & nequitiæ, uti Apostolus loqu[illegible] (1. *Cor.* 5.), solumque metaphorice jejun[illegible] dicitur. *Tertium* est abstinentia a cibo & po[illegible] secundum leges, quas temperantiæ virtus præscribit. *Quartum* denique est abstinentia a cibo & potu juxta regulas, quas Ecclesia stabilivit. Non opposita, sed admodum connexa sunt [illegible] jejunia. Universaliores temperantiæ leges ma[illegible]gis adhuc Ecclesia determinat, sicque Eccle[illegible] jejunium illud ipsum virtutis est; & hoc ne in[illegible]utile, vanumque abeat, peccati abstinentiam associatam sibi habeat, necessum est.

Regulæ, quas Ecclesia ab Apostolorum tempore ad nostrum usque ævum circa jejunia observandas proposuit, tria hæc capita concernunt nimirum quorumdam ciborum exclusionem, unicam refectionem, certumque refectionis tempus.

Quod *ciborum quorumdam exclusionem* attinet, iis, quibus jejunandum est, diebus carnes omnes

omnes, earumque adeps, lac, caseus, butyrum, & ova a fidelium mensa olim abesse debebant, ab omni quoque potu, inebriante, ut jam supra notavimus, fideles abstinebant. In variis tamen, frigidioribus præsertim regionibus, hodie non solum vini, sed & ovorum, casei, lactis, butyrique usum, fidelium infirmitati indulgens, Ecclesia permittit. Non igitur uniformis circa hoc exstat regula, sed provinciarum consuetudines, quas sciens Ecclesia saltem tacite approbavit, omnino sunt attendendæ, ac per consequens ubi specialem exceptionem consuetudo non fecit, originaria & irrestricta observanda est regula (a).

Quod *refectionis unitatem* concernit; hæc adeo antiquitus in diebus jejuniorum recepta fuit, ut alia secunda, quæ hodie *collatio* dicitur, primis Christianis penitus fuerit incognita. Ex eo tempore, quo refectio, alias vespere facta, ad meridianas horas est translata, communis serotinæ collatiunculæ usus etiam apud observantiores Religiosos invaluit, ne plures a jejuno nimis stomacho necessaria quiere, ac somno privarentur. Moderata satis ejusmodi vespertina refectio esse debet; non enim ut corpus plene

(a) Iis in provinciis, in quibus primæva ab ovis, & lacticiniis abstinendi adhuc consuetudo viget, hæc jejuniorum tempore ab omnibus, ibi degentibus, ne peccent, est servanda. Unde Alexander VII. istam numero 32. damnavit propositionem: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.*

plene reficiatur, ſed ut humanæ debilitati quæ ſuppetiæ ferantur, eamdem Eccleſia ſit. Propterea *collatiuncula*, id eſt aliquod ditamentum, ſeu modicum indultum consuevit. Notent ſibi hoc, qui tot cochlearibos, totque bellaria veſpere commedunt, ut cuique plebeo, nec dicam pauperi, pro quotidiano prandio ſufficerent. Sed quid tandem, quantum pro collatione comedere licet? Cui calidos homini ſano ac vegeto plerique meliores Doctores diſſuadent: circa quantitatem hominis ſtatum, corporis vires, aliasque circumſtantias penſandas, ac legis præprimis finem præ oculis habendum eſſe docent (*a*).

Contra hanc de unica refectione regulam illi delinquunt, qui cupiditati voraci obſequentes ſæpius interdiu quidquam de cibo ſumunt, qui extra magnæ ſitis neceſſitatem vinum, aliumque potum nutrientem bibunt (*b*). Ab iis enim,

(*a*) *Solenne jejunium concordante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil a quoquam arduum, nihil asperum quæritur; nec aliquid, quod vires nostras excedit, indicitur sive in abstinentiæ obligatione, sive in eleemosynæ largitione. Sciant singuli, quid possint, quidve non possint. Ipsi modulum suum pendant; ipsi justa, & rationabili intentione se censeant. Ea vos regula generaliter contamur, ut mandatum Dei secundum possibilitatis vestræ mensuram operemini.* S. Leo Papa ſerm. 3. *de jejun.*

(*b*) Inter potus nutrientes juſculum, Chocolate aqua ſolutum, Caffee, lacte mixtum, imo & vinum,

enim, quæ nutriunt, ſumpta ſemel refectione jejunantes abſtinere Eccleſia jubet, ut corporis viribus imminutis concupiſcentia quoque minuatur.

Aſt, inquiunt, dura nimis hæc aſſertio eſt; non poſſumus absque matutino jentaculo, adusque horam prandii jejuno ſtomacho manere, nec

---

vinum, ac cereviſiam eſſe multi cum Natali Alexander tam antiqui, quam recentes Moraliſtæ docent. P. Concina recenſita Auctorum pro & contra ſentientium longa ſerie, Patrumque quorumdam expoſitis ſententiis circa vini uſum viam quodammodo mediam init, docetque, vinum (eadem de Cereviſia ratio eſt) extra prandii horam *neceſſitatis* ſolum cauſa, nimirum ad cibum digerendum, aut ſitim extinguendam, numquam vero ob ſolam voluptatem & arbitrarie jejuniorum tempore licite ſumi poſſe; ſecus facientes in fraudem legis agere, nimiumque cupiditati & carni indulgere, ac ex conſequenti ſacræ abſolutionis, niſi reſipiſcant, incapaces eſſe pluribus oſtendit (*lib. 2. Diſſ. 2. de jejun. c. 8.*). Porro eum, qui in fraudem legis extra horam prandii ſæpius potat, contra Eccleſiæ ſtatutum peccare ipſemet divus Thomas (cujus auctoritate adverſarii gloriantur) pluribus in locis docet (in 4. Diſt. 15. Q. 3. *art. 4. quæſtiunc. 1.*, & 2. 2. *Q. 147. art. 6. ad 2.*). Idem de electuariis judicium eſſe ferendum Angelicus monet. Potum Chocolate, prout ordinarie pro nobilibus paratur, cum jejunio combinari non poſſe plerique Doctores cenſent. Admixtionem lactis in potu Thee & Caffee in Archidiœceſi Vienenſi, aliisque tempore quadrageſimali &c. ſimpliciter prohibitam eſſe P. Marianus in ſuo compendio (QQ. *in Tract. 9. num. 426.*) teſtatur,

nec ſine promeridiano potu noſtro officio ſ[illegible] amara; nimisque intolerabilis nobis hæc vi[illegible] ratio accideret; nec eam a fidelibus pia m[illegible] Eccleſia exigit. Sed quinam ſunt, qui hic murmurant: an ruſtici, an fabri, ante[illegible] moleſtioribus laboribus deſtinati? Minime; enim aliunde plus & Eccleſia, & Doctores [illegible]gent, uti poſtea dicemus; ſed homines [illegible] otioſi, carnales, molles, ventro ſervientes, [illegible]piditati obſequentes, in comeſſationibus, [illegible] ebrietatibus continuis vitam ſuam tranſigen[illegible] quibus nudum crucis, & mortificationis [illegible] horrorem ingerit. Nimia igitur, quam [illegible]periuntur, jejunandi difficultas, non ex re pr[illegible]cepta, ſed peſſimis illorum habitibus fluit [illegible] per anni decurſum non adeo ebrietati, ac gal[illegible]margiæ incumberent; ſi temperantiæ, [illegible] Chriſtiani tenentur, rite ſtuderent, carnis [illegible]deria reprimerent; longe iis tolerabilior, [illegible] omnino facilis, ac ſuavis abſtinentiæ rigor [illegible]deret. Malæ conſuetudines chriſtianorum pr[illegible]cipua legis adimplendæ impedimenta ſunt; [illegible] autem ad quidquam agendum lege obligat[illegible] ad removenda quoque agendi impedimenta ej[illegible]dem legis vigore adſtrictus manet.

Quoad *horam prandii, ſeu tempus refectio[illegible]* hodiernum generalem eccleſiæ morem reputa[illegible] exiſtimo eſſe meridiem, quamvis Eccleſiæ inte[illegible]tioni propius accederet, qui una, alterave [illegible] meridie hora prandium ſumeret. Etenim [illegible] meridiem fere nemo prandere ſolet, nec jejun[illegible] dies præ reliquis corpus affligent, ſi eodem [illegible]

ipſa

ipsis tempore prandium adeatur. Id tamen certum, horam meridianam præveniri absque piaculo non posse: unde qui absque gravi causa refectionis horam notabili tempore anticiparet, graviter peccaret. Multo magis jejunii legem violant, qui jejunii diebus splendide epulantur; meliores, & sapidiores escas apponunt, mensasque delicias ad plures horas protrahunt, quam alio consueverunt tempore. Id tamen nobiles plerique viri faciunt, qui revera nullam in die jejunii sobrietatem servant; sed cibis vescuntur omnibus, quicumque gustum, aut cupiditatem possunt explere.

Toletanum VIII. Concilium præcipit, ut qui absque necessitate carnes in Quadragesima comedit, in Paschate a communione arceatur; & insuper quadraginta diebus a carnium esu abstineat.

Qui uno die Quadragesimale jejunium violat, debet diebus septem pœnitentiam agere.

In veteri Pœnitentiali apud Yvonem Carnotensem (*part.* 13. *can.* 11.) præcipitur, ut qui jejunium violat, prandii horam ex gula antevertens, binis diebus pane & aqua jejunet.

Debent profecto Confessari pœnitentium infirmitatem, ætatem, & munera perpendere; sed caveant ne nimium ipsis indulgeant, eosdemque ob leves causas ab Ecclesiæ legibus eximant. Neminem Ecclesia vult occidere; sed optat, ut salutari abstinentia fideles carnem suam affligant, ejusque vires frangant, quibus contra spiritum pugnat.

pugnat. Quadrageſimæ tempus lacrymarum mæſtitiæ tempus eſt, quo diligenter fideles debent, ut divini Judicis iram mitigent, ut dis maculas abluant, ut ad Reſurrectionis ſa tum in Paſchate accipiendum ſe præparent.

CAPUT III.

Ad quosnam jejunii ſe extendat præceptum.

Sicut alia eccleſiaſtica præcepta, ita & hoc jejunio factum, fidelium conſcientias obli unde qui ſciens, & volens in notabili mate contra tres, quas prius expoſuimus, regu ageret, etiam ſecluſo contemptu, graviter pe caret.

Fideles omnes, poſtquam vigeſimum mum ætatis annum compleverunt, iſta jejun lege ſtringuntur. Parvuli ſeptennium ſupe greſſi a carnibus, ut jam ſupra (*Part. I.* pag. 316.) diximus, abſtinere tenentur, ut ſuccre ve chriſtianis abſtinentiis ſervandis aſſuefiant. viri, qui ſexageſimum ætatis annum ſunt pe tergreſſi, ratione ætatis præciſe a jejunii leg penitus non eximuntur, niſi ſenſibilis valde rium defectio, aut infirmitas jejunii pati rem recuſet (*a*).

Can

(*a*) Senibus certum tempus, quo a jejunio exempti, haud eſſe conſtitutum, ſed corp conſtitutionem, & vires eſſe ſpectandas Layman communior D.D. ſententia eſt. Can (2

Cauſæ a jejunii vel partiali, vel totali obſervantia eximentes ſunt quatuor, videlicet 1. phyſica aut moralis imporentia, 2. paupertas, 3. labor, 4. pietas. Hæ, ſi certæ ſint, ſtatim ac poſitæ ſunt, a jejunio excuſant; ſi vero obſcuræ, ac dubiæ, coram Epiſcopo, vel ſi hic adiri facile nequeat, coram Parocho ſincere exponi debent, tuncque peti diſpenſatio. Eousque iſthæc diſpenſatio valet, quousque illa, cui innititur, cauſa ſubſiſtit: hac labente, & illa corruit. Neque ultra; quam data eſt, extendi diſpenſatio poteſt. Circa abſtinentiam a carnibus diſpenſatus, adhuc abſtinere a ſecunda refectione tenetur; & econtra qui ſecundam refectionem ſumendi licentiam obtinuit, niſi aliud ſit expreſſum, adhuc abſtinere a carnibus debet, prout ex iis quæ de diſpenſatione alibi diximus, abunde conſtat (*Part. I. pag.* 309.) (*a*).

Ob

(inquit S. Antoninus 1. *part. tit.* 6. *c.* 2. §. 5.) *ſi ſunt multum debiles, eo modo poſſunt excuſari, ſicut dictum eſt de infirmis. Ratione autem ſenectutis tantum non excuſantur, ſi ſunt fortes ad ferendum jejunium, nec eſt determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis teneatur ad jejunium.* Reſponſio autem illorum, qui ſexagenarios adhuc vegetos ideo a jejunio exceptos volunt, *ut vires diutius conſervent*, prorſus ridicula, & arbitraria eſt, eodemque jure ad homines 30. vel 40. annorum extendi poſſet. Profecto jejunium nædum animæ, ſed & corporis medicinam ſancti Patres vocarunt. Infinitos gula occidit, vix unicum abſtinentia ratione moderata.

(*a*) Illi, quibus carnes comedendi facultas eſt data, non eo ipſo ſecundam plenam refectionem ſumendi

Ob *impotentiam* ſæpius refici poſſunt ſ[illegible] decrepiti quivis infirmi, adoleſcentes, fœ[illegible] gravidæ, & lactentes, aliique, quibus jejun[illegible] grave ſanitatis nocumentum Medico teſte [illegible] ſaret.

Paupertas ea a jejunio excuſat, quæ ad [illegible] nem oſtiatim quotidie colligendum miſeros [illegible] pellit. Sicque compulſi ac fame exagitati [illegible] dum oblatos hinc inde carnes citra contemp[illegible] comedere, ſed quamtum vires exigunt, ſæ[illegible] refici poſſunt, præſertim ſi cibi oblati ſint [illegible] di, & diutius ſervari nequeant. Eos [illegible]

---

mendi licentiam habent. Hac de re circa [illegible] num 1736. gravis inter quosdam Doctores [illegible] los diſputatio ferbuit. Quoad carnium abſtinen[illegible] tiam diſpenſatis eo ipſo ſecundam refectionem conceſſam aut concedendam eſſe affirmabant Bartholomæus Caſali, Petrus Capellotti cum [illegible] negabant vero Alexander Mantegazzi, Ludovicus Muratori, Daniel Concina & alii. Tandem Benedictus XIV. parti neganti victoriam adjudicavit, utque ſub hac clauſula & reſtrictione poſthac diſpenſationes expedirentur, repetitis Brevi anno 1741., & demum ſolenni Conſtitutione anno 1745. omnibus Chriſtiani orbis Epiſcopis præcepit. Et quia Eccleſia diſpenſans fidelium infirmitati ac neceſſitati ſubvenire, [illegible] tiquam vero concupiſcentiæ favere intendit, ne diſpenſati ſuis in menſis promiſcue piſces [illegible] carnibus apponant, atque comedant, ibidem [illegible] ſtricte prohibetur. Utrumque Breve P. Amort. [illegible] ſuis *Disquition. dogmat. moral. Edit. venet.* [illegible] 320.), & Conſtitutionem P. Antoine (Tract. *de Virt. moral. in Not. ad Append. de Jejun.*) exhibet.

pauperes, qui indies tantum, quantum pro prandio sufficit, domi lucrantur, aut aliunde accipiunt, a jejunii lege liberos non esse sanctus Thomas docet (2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 4.).

Laboris causa a jejunio excusantur opifices, qui laboriosam artem exercent, veluti fossores, agricolæ, fabri, aliique operarii; qui tamen non penitus a jejunii lege sunt exempti, utut majore, quam alii ciborum copia absque scrupulo uti possint. Iis autem, quibus ab opere vacant, diebus, communi lege cum aliis obligantur, nisi aliæ circumstantiæ exceptionem exigant. Econtra artifices, qui modicum corporalem laborem exhibent, uti pictores, sartores, textores, sutores, præsertim ii, qui tantum coria scindunt; item scribæ, barbitonsores &c. aliique hujusmodi a jejunio non excusantur; quia hi non tantum, quantum illi labore defatigantur (*a*).

Huc quoque viatores sunt reducendi, illi nimirum, qui necessarium iter pedites peragunt, & jejunantes in via deficerent. Dixi: *qui necessarium iter pedites peragunt*, non autem commoditatis, curiositatis, otii, avaritiæ, aut libidinis causa. Quare jejunii tempore peregrinari non expedit, nisi in aliud tempus absque gravi incommodo peregrinatio differri non posset. Quid

(*a*) Hic ea; quam num. 30. Alexander VII. damnavit, notanda est propositio: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

Quid illi, qui a loco discedit, ubi jeju non est, & ad locum pervenit, ubi jej præcipitur, tali casu sit faciendum, ex iis supra (*Part. I. pag.* 317.) diximus, colligitur (*a*).

Pietatis titulo a jejunio hinc inde exim qui opus misericordiæ aut caritatis, si jejuna hic & nunc debite exercere non possent. enim Ecclesia, cum jejunia præcepit, oper proximo necessaria, Deoque magis grata dire intendit, uti sua in summa sanctus T docet (2. 2. Q. 147. *art.* 4.). Hinc mu quæ jejunii die extra prandii horam cibum marito peregrinaturo sumeret, ne sibi mœ irasceretur, non peccaret, dummodo mo hæreticus non esset, illamque in Religione temptum ad cibum sumendum non impelle

Concionatores quoque, qui quotidie ad pulum dicunt, jejunare in quadragesima tenentur; qui aliquoties in hebdomada, re re plus cibi in cœnula sumere possunt. Qui tam facile jejunium deserunt, dicentes le nantes non posse studiis incumbere, nec con nem habere; satius sæpe foret, ut concio omitterent, quam ut domesticis, aut pop hoc scandalum darent, quem exemplo non

(*a*) Huc spectat propositio ab eodem Pontifice d nata: *Excusantur absolute a præcepto jejunii nes illi, qui iter agunt equitando, utcumque agant, etiamsi necessarium non sit, & etiamsi unius diei conficiant.* Est num. 31.

us, quam verbis ad pœnitentiam hortari vi muneris tenentur.

Confessarius, qui tota die confessiones audit, nec officium potest jejunus explere, non tenetur jejunare, dummodo revera ita impotens sit, quantumque fieri potest, scandalum caveatur (*a*).

At ob opus conjugale nec maritus nec uxor a jejunio excusatur; primis enim Ecclesiæ sæculis, uti diximus, a carnali commercio conjuges abstinebant, nec nimis diuturnum est Quadragesimæ tempus, ut continere se nequeant. Maritus itaque a jejunio uxorem non retrahat, nec uxor maritum. Multo minus puellæ, aut mulieres eximi debent, metuentes, ne jejunio earum venustas minuatur; nam *vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur* (*Sap.* 31.).

(*a*) Nemo, prout recte Antoine observat, ob ætatem, laborem, aut pietatem a *carnium abstinentia* liberatur, sed ad hoc legitima dispensatio, aut gravis omnino infirmitas requiritur. Imo etiamsi hæc adsit, licentia a Superiore esset petenda, ut debitus ordo, ac subjectio servetur. In variis tamen locis Medici consilium, aut jussio sufficit, cui si æger acquiescat, non peccat; peccaret autem Medicus, si absque rationabili causa infirmo carnes suggereret.

SECTIO III.

DE ANNUA CONFESSIONE ET COMMUNIONE PASCHALI.

CAPUT I.

Cui, & quomodo facienda sit annua confessio.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: inquit in generali Concilio Innocentius III. (Can. *omnis utriusque de pœnit. & remiss.*). Nullum Confessionis faciendæ tempus præscribitur; sed hæc actio ævo in quadragesima ante Pascha fieri solet (a).

(a) Hoc præcepto pueri, quamprimum discretionis annos sunt adepti, omnesque fideles quamvis venialibus solum peccatis obnoxii obligantur; quia non tantum ut Christiani Deo reconcilientur; sed insuper ut omnes sese peccatores agnoscant, ut majore cum devotione ad Eucharistiam accedant, utque suis Rectoribus suos innotescant, hanc de confessione annua legem Ecclesia tulit. Qui toto sequente anno se impediendos prævident; anticipare confessionem debent, qui vero præter spem statuto tempore confiteri nequiverunt, id quod omissum, prima occasione supplere tenentur; tempus ea-

Regulares suis privilegiis abutentes varie illa anonis verba *proprio Sacerdoti* sunt interpreta- Sed quin hanc quæstionem discutiam, quam erique Auctores diligenter & solide examina- nt, dicam proprium Sacerdotem esse Paro- um. Sic statuit sanctus Thomas in quartum tentiarum (*dist.* 17. *qu.* 3.). Hoc pariter ata verba hæc accipiuntur in Extravaganti Six- IV. quæ incipit *Vices illius*, & in Extravagan- Benedicti XI. *Inter cunctas*. Pontifices Inno- entius IV. Martinus IV. & Leo X. parochia- em Presbyterum vocant, quem Concilium pro- prium Sacerdotem dicit. Glossa in caput *Om- nis utriusque* sic pariter explicat; quæ explicatio optime convenit, ut hoc pacto videlicet proprius Sacerdos a Sacerdote communi distinguatur. Epi- scopus

annuum non *finiendæ obligationis*, sed *limitandæ negligentiæ* est terminus; illi, qui cuidam debitori a creditore est præfixus, omnino similis, quo elapso debiti obligatio non finitur, sed magis incurritur. Sicut ab aliis Ecclesiæ præceptis, ita & ab hoc nonnullæ causæ, quales sunt impotentia, gravis metus infamiæ, damni &c. excusant. Nulla tamen ex causa, nullaque circumstantia per confessionem invalidam satisfieri præcepto potest, prout ex hac, quam num. 14. Alexander VII. damnavit propositione patet: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Unde sic ficte confitentes, perinde ac non confessi, excommunicationem viventes, & privationem ecclesiasticæ sepulturæ mortui juxta can. *Omnis* &c. incurrunt. Utraque hæc pœna non ipso facto, sed post Superioris sententiam reos stringit.

ſcopus in ſua Diœceſi generalem poteſtatem habet, & Pontifex in toto terrarum Orbe; Parochus autem in ſola ſua Eccleſia, tamquam paſtor ſpecialis & particularis: ideo merito proprius Sacerdos appellatur. Profecto Epiſcopus propter characteris ſui eminentiam Diœceſis ſuæ proprius eſt Sacerdos, ampliorem quam Parochi habet jurisdictionem: attamen hic quæritur, quis ſenſus ſit Canonis Concilii quarti Lateranenſis habiti anno 1215. ſub Innocentio III. & Eccleſiæ intentio in hoc condendo canone bona fide ſit exquirenda. Etenim alia ſane eſſe non potuit quam velle, ut fideles palam teſtarentur, ſe Eccleſiæ corpus pertinere, & ut Parochi ſuas proprias oves agnoſcerent. Quo autem melioris modo poteſt Parochus proprias oves agnoſcere, quam ſi ſuorum ſubditorum annuam Confeſſionem audiat, eisque paſchalem Communionem porrigat, quæ dum in eadem Eccleſia ſumitur, mutuam fidelium unionem declarat? Ideo laudet ſanctus Thomas, ut qui Epiſcopo, vel Pœnitentiario, aut alteri jurisdictionem habenti peccata ſua confeſſus eſt, eadem proprio quoque Sacerdoti confiteatur. At quid quæſo magis perſpicuum afferri poteſt verbis hisce, quibus in Extravaganti *Inter cunctas* Benedictus XI. utitur? *Licet, ſicut prædicitur, de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata, tamen ne propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre: diſtricte injungimus, ut Fratres ipſi confitentes attente moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quod ſuis ſuorum*

fidus saltem semel confiteantur in anno, asserendo ad animarum profectum proculdubio pertinere.

Strictius loquitur Martinus Papa IV. „ Volumus, inquit, ut qui Fratribus Religiosis confessi sunt, teneantur nihilominus proprio Sacerdoti confiteri saltem semel in anno, juxta generalis Concilii decretum “.

Sixtus Papa IV. præcipit, ut cessent Fratres mendicantes prædicare, non teneri fideles Sacerdoti proprio saltem in Paschate peccata sua confiteri; etenim jure (quod est notandum) tenentur fideles saltem in Paschate proprio Sacerdoti sua peccata confiteri. Vasquez ait, videri hac Bulla Pontificem Fratribus Mendicantibus concedere, ut per annum fidelium confessiones excipiant, dummodo saltem in Paschate proprio Sacerdoti fideles confiteantur; hoc enim verbis illis *proprio Sacerdoti* intelligit.

Magnus sanctus Carolus Borromæus in prima sua provinciali Synodo jubet, ut fideles Innocentii III. constitutionem exacte servent, quæ in generali Concilio edita est, qua præcipitur, ut saltem semel in anno peccata sua proprio Sacerdoti confiteantur.

Cardinalis Palæotus Bononiæ Archiepiscopus, Sancti Caroli fidelis imitator, idem præcipit.

Omnes pene Galliæ Episcopi in provincialibus Conciliis, aut in suis Synodis, eamdem legem statuerunt, atque eodem modo verba illa *proprio Sacerdoti* intellexerunt.

Aquense Concilium præcipit, *ut Fideles saltem in anno proprio Parocho peccata sua confiteantur.*

Burdigalense Concilium sic ait: *Ne omnes tant tempore Paschatis id in propria Parochia præstare. Statuimus eo tempore omnes Christi fideles, tum ad Confessionem peccatorum propriæ Parocho, aut alii de ejus licentia faciendam, tum ad sacram Eucharistiam in eadem percipiendam teneri & obligari.*

Bituricense Concilium illos a communione amovet, qui semel aut bis admoniti, ut peccata sua Paschatis tempore proprio Sacerdoti confiteantur, id facere negligunt.

Rothomagense Concilium Regularibus prohibet cujuslibet confessiones audire in Quadragesima, aut intra Octavam Paschatis, nisi speciatim prius in scriptis ab Episcopo facultatem habuerint.

Galliæ Episcopi Meloduni coacti idem statuerunt, quemadmodum etiam plerique Cæteri Conventus.

Frater Angelus ex Minorum Ordine cum Parisiis pro concione dixisset, non teneri fideles proprio Sacerdoti confiteri, aut ab eo potestatem petere alteri confitendi, Theologica Facultas hanc sententiam proscripsit, ac damnavit die 5. Februarii anno 1582. hisce verbis. „ Hæc propositio, ut jacet, est scandalosa, Juri communi „ contraria, item rationi, & reverentiæ ac obedientiæ, quam Prælatis & Superioribus suis fideles „ les debent; ideoque publice debet revocari.

Denique Sotus doctissimus & celeberrimus Dominicanus, qui sui Ordinis privilegia numquam

quam impugnasset, perspicue ait, improprie delegatum vocari proprium Sacerdotem, hocque nomen unicum tantum sensum habere; nam proprius Sacerdos, & ordinarius idem significant, atque hic est ille, cui ex proprio officio & jurisdictione animarum regimen & cura commissa est. Patet igitur fideles teneri ad peccata sua proprio Parocho confitenda, aut suæ Parochiæ Presbytero (*a*). Verum cum evenire facile possit, ut quis proprio Parocho, aut parochiæ suæ Presbytero confiteri nimium erubescat; facile quoque concedere debet Parochus, ut quis ex suis subditis in Paschate alteri confiteatur, dummodo hic notus sit Parocho, & dummodo alibi confessus in sua Parochia sacram Eucharistiam percipiat; fieri enim posset, ut ex malitia indoctum nimisque indulgentem Confessarium pœnitens deligeret, ac propterea inutilis esset ejus Confessio.

CAPUT

(*a*) Quemadmodum zelosi Pastores suas fovere oves, & ne ubique circumerrent, impedire omni nisu tenentur; ita vicissim regulares Confessarii vagas ejusmodi oviculas, ut proprium ad Pastorem redeant, vocem ejus audiant, monitis obediant, omni qua possunt suada hortari, tempore præprimis paschali, debent. Id clare ex Benedicti XI. aliorumque Pontificum ab Auctore adductis Decretis patet. Hac certe methodo non mercenarios (prout nonnulli eisdem exprobrant) sed veros Pastorum cooperatores se comprobabunt. Hic tamen iis, qui nimium Regulares sugillant, notanda est propositio, inter eas, quas Alexander VIII. damnavit, vigesima: *Confessiones, apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.*

CAPUT II.

In Paschate communicare omnes tenemur.

Cum ab exordio suo sancta omnino esset Ecclesia, mirari non debemus, si prisci illi fideles Eucharistiam quotidie sumebant; ea enim morum puritate fulgebant, ut cœlestem hunc panem quotidie sumere digni forent. At vero ille fervor paullatim deferbuit, & quotidiana proinde communio cito cessavit; imo severas quasdam leges Ecclesia statuit, ut fideles vel ad Eucharistiam sumendam accedere instigaret, vel ab ipsa eosdem arceret. Id nos sanctus Dionysius docet inquiens: „ Illos, quos hic commemoro a Dei templo & sacrificio arcemus, „ tamquam a rebus, quæ eorum captum & assuetatem nimium superant. Primum illos, „ qui de Mysteriorum participatione nondum „ sunt edocti. Secundo, qui a piis, sanctisque „ moribus sunt prolapsi; qui videlicet Baptismi „ gratiam per mortale peccatum amiserunt. „ Tertio, qui ex propria infirmitate terroribus „ & visionibus inimici subjiciuntur; nempe „ energumenos, qui ad illam divinæ & deificæ „ virtutis immobilitatem quamdam, & ad illud „ semper agens robur, jugi & invincibili rerum „ divinarum meditatione adhuc non pervenerunt. Quarto, qui a virtuti contraria quidem „ via recesserunt, idest pœnitentes; sed qui „ nondum puro, ardentique divino amore veterum errorum imagines & phantasmata deleverunt. Denique illos, qui uni Deo nondum „ adhæ-

» adhærent, nec adhuc perfecti ſunt, & irrepre-
» henſibiles (*Hierarch. Eccl. cap.* 4.).

Poſterioribus ſæculis fidelium fervore in dies imminuto, auctisque vitiis, debuit Eccleſia majorem adhibere curam, ne indignus aliquis ad ſacrum convivium accederet; varios propterea pœnitentiæ publicæ gradus ſtatuit, in quibus diu pœnitentes conſiſterent, antequam Euchariſtiam participarent. Tandem cum eorum quoque, qui extra pœnitentium erant ordinem fervor in dies decreſceret, rariusque plures ex negligentia ad ſacram menſam accederent, juſſit Eccleſia, quemadmodum narrat Petrus Bleſenſis, ut fideles ſingulis Dominicis diebus Euchariſtiam ſumerent. Creſcentibus quotidie paleis, & triticum ſuffocantibus, tepeſcente caritate, auctaque iniquitate, cum pauci admodum calicem Salutaris digni eſſent accipere, cautum fuit, ut ter ſaltem in anno fideles ad ſacram menſam accederent, ſolemnibus nempe diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini. Verum cum fidelium mores jugiter in deterius ruerent, & plerique annos integros absque Euchariſtiæ ſumptione tranſigerent, tandem in Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. collecta Eccleſia ſalubriter inſtituit, ut fideles omnes ſaltem ſemel in anno peccata ſua confiterentur, & in Paſchate Euchariſtiam ſua in parochia acciperent. Celebris Canon *Omnes utriusque ſexus* hoc decretum complectitur.

Confeſſionis tempus Concilium non ſtatuit, quemadmodum Euchariſtiæ ſumendæ tempus aſſig-

assignat; quoniam jam usus in Ecclesia obti
rat, ut ineunte Quadragesima fideles peccata
confiterentur, atque hoc pacto mortalium cr
minum rei Quadragesimæ diebus per jejunia
que pœnitentiæ exercitia ad Eucharistiam in
schate suscipiendam se disponerent. Id testa
Petrus Blesensis in sermone in die Cinerum ha
bito, in quo sic ait: „ In ipso jejunii exord
„ facienda est Confessio; nec Quadragesim
„ finis est expectandus, nisi forte ut venial
„ peccata confiteamur. Ideo prope quadra
„ gesimæ finem illa Christi ad discipulos verb
„ leguntur: *Qui lotus est, non indiget*, nisi u
„ *lavet pedes, & est mundus totus.* Non a
„ qui *lavari debet*, sed qui *lotus* est; neque a
„ indiget, ut lavet *caput & pedes*, sed non ind
„ get, nisi ut lavet *pedes*. Quasi diceret, in
„ piente jejunio a mortalibus peccatis opor
„ lavari, idest sincere & humiliter ea confite
„ prope finem vero jejunii venialia peccata
„ confitenda (*Serm.* 6.) “.

Sanctus Thomas inquit, ideo Ecclesiam qu
draginta dies ante Paschа servandos statuisse, u
postquam illos in jejuniis, orationibus, conti
nentia, aliisque piis operibus pœnitentes transe
gissent, in Paschate demum cum piis fidelibus
ad Eucharistiam accederent (*De SS. Sacram.*
cap. 16.). Sanctus Augustinus hæc Apostoli
verba explicans: *Si nos ipsos judicaremus, non*
utique judicaremur (1. *Cor.* 11.); petit ut pec
cator contra se ipsum sententiam ferat, qu
corporis & sanguinis Domini participem fieri
indig

indignum se judicet, & juxta Ecclesiæ disciplinam a cœlesti Pane aliquamdiu abstineat (*Homil.* 50.).

Post Tridentinum Concilium, Provincialia Concilia Cameracense & Bituricense sanctam hanc disciplinam renovarunt, videlicet ut fideles Quadragesimæ initio peccata sua confiterentur; & ecclesiasticus ritus, quo primo quadragesimæ die fidelium capita cinere conspergunturs, ipsos monet, ut dies hosce pœnitentiæ operibus transigant. Non enim id solum intendit Ecclesia, dum fideles ad semel saltem in anno suscipiendam Eucharistiam cogit; ut exterius Religionis signa exhibeant, sed ut digne Christi Corpus suscipiant. Propterea idem Canon *Omnis utriusque sexus* Confessariis facultatem concedit ut Paschalis Communionis tempus protrahant, donec ad magnum hoc opus pœnitentem paratum esse arbitrentur. Caveant igitur Confessarii, ne pœnitentes tempore paschali temere absolvant, aut eisdem Eucharistiam sumere permittant, tamquam soliciti, ut Ecclesiæ præcepto fideles pareant; sed attente prius considerent, an pœnitentes sint recte dispositi; præcipue vero utrum in peccandi habitu & peccati occasione perseverent; utrum adhuc proximum oderint; utrum aliena restituerint sicut se restituturos in præcedentibus Confessionibus sæpius promiserunt: in hujusmodi casibus differenda est absolutio, usque dum pœnitentes pro viribus satisfecerint. Etenim Communio, quam Ecclesia jubet, non est exterior sola Corporis Christi manducatio, sed

est

est communio suscipienti utilis; nec talis esse potest, nisi Eucharistia digne suscipiatur. Docet experientia in urbibus & villis eadem semper perseverare peccata, quamvis incolæ omnes quotannis peccata sua confiteantur: quod inde evenit, quia Parochi & Presbyteri nimia facilitate quoslibet absolvunt, & ad Eucharistiam accipiendam accedere permittunt.

CAPUT III.

Modus, quo paschalis communio sit peragenda explicatur.

Novi quidam Casuistæ Paschalis Communionis præceptum licet quoad substantiam non destruant, destruunt tamen quoad modum, cum docent, Eucharistiam in Paschate si quis indigne sumat, hunc præcepto satisfacere. Errorem hunc ratione ista probare niruntur, quia Ecclesia inquiunt internas actiones præcipere fidelibus nequit, & solum externas præcipit. Qui sic ratiocinatur, Ecclesiæ spiritum destruit, eamque cum Synagoga confundit, quæ revera externa tantum opera præcipiebat, quamvis Judæi illi, qui Dei lumen sequebantur, legis opera in spiritu exercerent, & tamquam evangelicarum veritatum signa. Ad Samaritanam inquit Christus: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum* (*Joan.* 4.). In sanctæ Eucharistiæ oblatione & sumptione maxime excellens Dei adoratio est

exercenda. Verum quomodo talis erit adoratio, & Communio est sacrilega? Fateor quidem sanctissimum esse id, quod Deo offertur, Corpus videlicet Jesu Christi; at sanctus pariter sit oportet qui hanc hostiam offert, aut suscipit: cum enim in hoc Mysterio mysticum corpus a naturali non separatur; & sanctus Augustinus ait, sicut ab Ecclesia Christus offertur, ita a Christo offerri Ecclesiam. Porro Patrine suo in hoc Sacramento illos Christus offeret, qui mortali peccato sunt inquinati? Ut semel in anno communicent, Ecclesia fidelibus præcipit, tamquam iis, qui ejusdem sunt veri filii, videlicet qui id sancte peragunt, quemadmodum ipsa sancta est. Qui ipsam sacrilegiis contentam fore putant, ipsam credant oportet hæc posse imperare; cum enim aliquid illa præcipit, tunc solum eidem satisfit, quando id impletur, quod ipsa imperat. Si ergo indigne communicantes Ecclesiæ obtemperant, nonne ipsa videtur sacrilegam communionem jubere, aut permittere?

Poteratne Ecclesia mentem suam melius aperire, quam hisce Canonis verbis? *Omnis utriusque sexus fidelis sua peccata semel in anno fideliter confiteatur Sacerdoti: suscipiens reverenter in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Inutilis prorsus est hæc exceptio, si satisfieri præcepto potest etiam per communionem sacrilegam; sic enim loquens Ecclesia, se vereri aperte declarat, ne fideles

sacrilege Eucharistiam suscipiant. Et quoniam Sponsi sui spiritu in condendis legibus Eccles ducitur, sibi illum obedire non putat, qui corde & vere non obedit, quod cum pœn amore nequit existere.

Tandem si vera est hæc quorumdam Cath starum doctrina, cur Ecclesia per tot secul pœnitentiæ tam diuturnæ peccatores subjic & per plures annos jam pœnitentibus Eucha stiam percipere non permisit, etiam post tum annuæ Communionis præceptum? Quo tot Doctores tam serio & graviter fideles hor tantur, ut se diligenter ad sacrum Christi Co pus rite suscipiendum disponant? Verum D ctores isti aliter Ecclesiam intuentur, quam C suistæ. Illam non tamquam humanam & secu larem societatem contemplantur, quæ extern solum opera videt, & civilem solum pacem, & temporalem felicitatem curat; aut tamquam Judæorum Synagogam habentem tantum lit ram, quæ occidit. Talis non est Ecclesia: co pus ipsa est Christi, ideoque de ejus vivi spi ritu; societas est Sanctorum; sancta tamen jubet, & sancte facienda præcipit; & filiorum suorum sanctitatem dumtaxat exquirit (*a*).

Igitur

(*a*) Sententia contraria, quæ uno abhinc sæculo tam quam probabilis locum honoratiorem quibusdam in scholis occupabat, hodie falsis ac damnat adnumerata ne quidem in ultimo scoparum an gulo toleratur. Sic autem damnata ab Innocen tio XI. propositio sonat: *Præcepto Communio annuæ satisfit per sacrilegam Domini mandatio nem,* Est num. 55.

Igitur absurde asseritur, præcepto in Paschate communicandi illum satisfacere, qui indigne communicat. Imo juxta Apostolum diligenter probet se homo, ut de pane illo edat; ideſt conscientiam suam attente scrutetur, an ullum mortale peccatum commiserit; quæ peccata non sola oris confessione, sed vero quoque cordis dolore, & veræ pœnitentiæ operibus oportet eluere. *In hac pœnitentia* (inquit sanctus Augustinus Hom. 50.) *majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus non judicetur a Domino, sicut idem Apostolus ait: Si nos judicaremus, a Domino non judicaremur. Assendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ: existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque, quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens: Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini: ut qui separari a regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis interim separetur: versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum aliis accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mor-*

tem præcipitantur æternam. Ad hoc enim altare, quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum divinorum signacula celebranda multi etiam scelerati possunt accedere; quoniam Deus commendat in hoc tempore patientiam suam, ut in futuro exerat severitatem suam. Accedunt enim ignorantes, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam eos adducit. Illi autem secundum duritiam cordis sui, & cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Ad illud autem altare, quo præcursor pro nobis introivit Jesus, quo caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, ut jam commemoravi, dixit Apostolus: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Egregium hunc textum attuli, ut quamvis Ecclesia veterem disciplinam modo non servet, qua mortalium peccatorum rei per sacros Canones a suscipienda Eucharistia arcebantur; hanc tamen disciplinam noverint Confessarii esse aliquoties sectandam, quando ad pœnitentes a vitiis coercendos utilem eam fore arbitrantur.

CAPUT IV.

Quædam de frequenti communione dicuntur.

Considerare insuper debet Confessarius illorum statum & dispositionem, quibus ad sacram mensam frequenter accedere permittit; plerique enim

enim frequentius communicant, quibus rarius sacra Eucharistia esset tribuenda. Enim vero in eorum moribus fructus illi non apparent, qui ex frequenti cœlestis hujus cibi manducatione promanare solent: suis semper vitiis homines illi premuntur, mundi vanitatibus æque adhærent, amorem proprium æque sequuntur. Id in fœminis præcipue evenit, quæ ex sensibili quadam devotione Eucharistiam frequentant, nihil sollicitæ, utrum hic cœlestis panis proprii spiritus vires augeat, & spiritualem vitam abundantius nutriat. Attamen hunc fructum a fidelibus Dei Filius expectat, cum suam carnem eisdem tradit manducandam; inutilis enim nequit esse cœlestis hic panis; oportet ut manducantem nutriat, & vitam semper instauret, quoties sumitur. *Quotidianus est panis* (inquit sanctus Ambrosius *De Orat. Dominica.*) *sume quotidie, ut quotidie vivas. Ideo panem nostrum*, (ait sanctus Cyprianus) *idest Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.*

Nolo hic quæstionem innovare, de qua tam acres exortæ sunt disputationes, postquam editus est liber *De frequenti Communione.* Omnes fideles sic vivere optarem, ut quotidie communicare possent, & ut juxta Tridentini Concilii desiderium nulla Missa sine Communicantibus celebraretur; sed sanctæ Communionis abusum, quem in meis Parochiis conspicio, dissimulare non possum. In his nostra ætate sacræ Communionis

nionis frequentia aucta est; sed eadem vitia antea vigent, invidiæ, vindictæ, calumniæ, ex Parochorum præcipue negligentia promanant, & ex Confessariorum ignorantia, qui sanctitatem non considerant, qua fulgere debet Sanctum Sanctorum frequenter suscipiens; & propterea nimia facilitate falsæ devotioni mulierum morem gerunt, quæ satis paratæ ad singulis saltem Dominicis communicandum revera non sunt, sed videntur (*a*).

Hæc

(*a*) De sacræ Communionis usu Innocentius XI. anno 1679. decretum promulgavit, cujus initium: *Cum ad aures*, ex quo sequentia bene adnotanda sunt puncta. 1. Nullus persuadeat sibi habeat, frequentem, aut quotidianam communionem Jure divino esse præceptam. 2. Laici negotiatores, & conjugati ad frequentem Eucharistiæ perceptionem non nisi post maturam conscientiæ explorationem a Confessariis admittantur. 3. Fideles a frequenti aut quotidiana Communione unica præcepti formula nec deterreantur, nec certi sumendæ Eucharistiæ dies generaliter pro omnibus statuantur; sed magis quid singulis permittendum sit, Parochis, & Confessariis relinquatur. 4. Nemo a sacro convivio, etsi frequenter, aut quotidie accesserit, repellatur. 5. Confessarii, & Concionatores primum communionem frequentem, tum & quam maxime devotam ac dignam Dominici corporis participationem commendent, & doceant. Porro juxta Patrum, & Ascetarum regulam illi ad *frequentem* communionem sunt admittendi, qui quovis gravi peccato abhorrent: ad *quotidianam* vero solum illi, qui & periculosam venialium colluviem, & habitualem ad certum peccatum

veni-

Hoc caput finiam celebri textu Genadii, Autoris libri de Dogmatibus ecclesiasticis. *Quotidie*, inquit, *Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium &*

---

veniale affectum excludentes, humilitate magnos, ac caritate tam Dei, quam proximi fervidos sese ostendunt. Hæcque regula nædum Laicos, sed & Sacerdotes concernit. Hic quoque tres damnatæ propositiones sunt notandæ: *Arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* Num. 23. Item: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Num. 22. Et: *Frequens confessio, & communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Est num. 56. hancque Innocentius XI.; illas Alexander VIII. damnavit.

& condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solvi mortalia, crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & jugi imo perseverante luctu, miserante Deo, ita dumtaxat, ut contraria pro iis, quæ pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex, submissus usque ad mortem percipiat.

Quinto Ecclesiæ Præcepto externæ solemnitates nuptiarum solemnitates, quæ in publica ad Ecclesiam processione, sumptuoso convivio, Musicostrepore, aliisque locorum ritibus consistunt, adeoque solemnes solummodo nuptiæ prohibentur. Unde si causa rationabilis nuptiarum accelerationem urgeat, hæ tempore quovis celebrari possunt, dummodo prædictæ omittantur solemnitates. De denunciationibus, testibus, aliisque, quæ ex Juris statuto ad matrimonii contractum requiruntur, infra differemus.

TRAC-

TRACTATUS V.

DE

SACRAMENTIS IN GENERE, ET QUIBUSDAM IN SPECIE.

SECTIO I.

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT I.

Sacramentorum notio, partes, numerus & Auctor.

Si quæ christianæ doctrinæ pars Parochorum, & Confessariorum scientiam, ac industriam sibi vindicat, ea certe est, quæ de Sacramentis tractat. Horum quippe accurata notitia efficit, ut Sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant: *Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* 7.).

Sacramenti generice sumpti non una est notio; relictis variis duas, quas Romanus Catechismus suppetitat, afferre placet. Prima, quæ etiam legis antiquæ symbolis aptari potest, Sacramentum describit invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institu-

tum (*a*). Altera ad solam christianam legem res-
cit, dicitque Sacramentum *rem quamdam sen-
subjectam, quæ ex Dei institutione sanctitatis
justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ
habet.* Hæcque gratiam sanctificantem effici-
di virtus novæ legis Sacramenta ab antiquis di-
stinguit, quæ sanctitatem per Messiam con-
rendam significabant, non autem dabant.
discernimus duo testamenta (inquit sanctus Au-
gustinus *in Psalm.* 73.) *vetus & novum,*
*sunt eadem Sacramenta, nec eadem promis-
eadem tamen pleraque præcepta . . . Videamus
quare præcepta eadem; quia secundum hæc De-
servire debemus. Sacramenta non eadem;
alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia pro-
mittentia Salvatorem. Sacramenta novi testa-
menti dant salutem: Sacramenta veteris testamen-
ti promiserunt Salvatorem . . . Mutata
Sacramenta facta sunt faciliora, pauciora,
briora, feliciora.* Acriter contra hanc Sacra-
mentorum novæ legis excellentiam moderni hæ-
retici pugnant, quibus Tridentini Patres ana-
thema dixerunt, definientes: *Si quis dixerit
per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere opera-
to non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ
promissionis ad gratiam consequendam sufficere,
anathema sit* (*Sess.* 13. *can.* 8.). Plura de
hoc, qui dogmata exponunt, Theologi con-
runt; Moralia versanti istud attigisse sufficiat.

Omnia

(*a*) Omnia N. L. Sacramenta triplici titulo rei
ræ signa sunt: *rememorativa* Passionis domini-
demonstrativa præsentis gratiæ; *prognostica*
turæ gloriæ.

Omnia novæ legis Sacramenta, prout in Conciliis Florentino & Tridentino est definitum, rebus quasi materia, & verbis quasi forma constant; unde & sanctus Augustinus ait: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum* (*Tract. 80. in Joan.*) (*a*). Duo præprimis circa has Sacramenti partes observare minister debet, 1. ut quamtum fieri potest, omnis evitetur sive materiæ sive formæ mutatio: 2. ut vel physica, vel moralis earumdem procuretur simultas, ac unio.

Qui studio vel culpabili ex negligentia levem in materia, vel forma mutationem admittit, grave aut leve peccatum committit, utut Sacramenti sic confecti adhuc valor subsistat; qui vero valde notabilem, seu, ut vocant, substantialem mutationem faciunt, Sacramentum non conficiunt, & gravem non minus Christo, a cujus institutione recedunt; quam proximo, quem temere Sacramento defraudant, injuriam inferunt.

Substantialis *materiæ* mutatio contingit, si alia specie res adhibeatur, uti pro aqua vinum in Baptismo, aut pro vino aqua in Eucharistia: *Forma* vero substantialiter mutata censetur, si verbo-

(a) *Materiæ* nomine hic non solum res sed etiam actiones sensibiles, uti ablutio, unctio &c.; & *formæ* vocabulo nædum verba, sed & alia signa verbis æquivalentia intelligenda veniunt: hinc nata est distinctio in materiam *remotam*, circa quam ministri versatur actio, uti aqua in Baptismo: & *proximam*, quæ in ipsa materiæ remotæ applicatione consistit, uti ablutio, chrysmatio &c.

verborum ſenſus ex quadam addita vel demp
voce alius reſultet, ac hucusque in Eccleſia
guit: unde qui in nomine Chriſti baptizare
aut aliis inſertis verbis formam corrumpere
invalide miniſtraret, & totum, quod perege
ſub præſcriptis verbis repetere teneretur.

Materia, quam aliqui Doctores aptam, i
eptam alii aſſerunt, *dubia* eſt; cui nonn
urgente neceſſitate ſuperaddi forma poteſt. In
circa Sacramentorum confectionem numquam
probabilitas, ſed ſecuritas eſt attendenda; ne
opinionum vento, quæ a Sacramentis penda
animarum ſalus eſt committenda (*a*).

Emergente neceſſitatis caſu, quo materia du
bia contentus eſſe miniſter deberet, non abſolu
te ſed conditionate pronuncianda eſt forma. An
te ſæculum octavum hujus formæ vel nulla, ve
obſcura ſolum deprehenduntur veſtigia; eam
tamen adhibitam paſſim fuiſſe fundate præſum
tur. Expreſſa formæ conditionatæ mentio in
capitulationibus Caroli Magni facta legitur in
hiſtoria ſæculi noni. Formæ conditionalis uſum
Alexander III. anno 1175. circa Baptiſmum ap
probavit, atque decrevit: *De quibus dubium*
eſt, an baptizati fuerunt, baptizentur his verbis
pro

(*a*) *Non eſt illicitum in Sacramentis conficiendis ſequi*
opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta
tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum
gravis damni incurrendi; hinc ſententia probabi
tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Or
dinis ſacerdotalis, aut epiſcopalis. Eſt prima ex
ter damnatas ab Innocentio XI.

ramiſſis: *Si baptizatus es non ego te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine &c.* (Cap. *de quibus. De Baptiſmo.*). Poſt Tridentini Concilii promulgationem nædum in Baptiſmo, ſed aliis quoque in Sacramentis adhiberi hæc formula cæpit, quoties nempe eadem, ac in Baptiſmo, occurrit ratio (*a*).

Septem

(a) Caſus in quibus ſub conditione pronunciari, aut repeti forma poteſt, potiores ſunt ſequentes. 1. Si in Sacramentis, abſolute ad ſalutem neceſſariis (qualia ſunt Baptiſmus & pœnitentia) materia ſolummodo dubia adſit, certamque expectare damnoſum proximo foret. 2. Si prudens dubium de valore Sacramenti, aut pronunciatione prioris formæ in miniſtro ſuboriatur. Dixi *prudens dubium*; nam qui temere ex quovis levi ſcrupulo ſuper eamdem materiam conditionate formam repeteret, grave ſacrilegium committeret, quia deficiente prudente dubio, vix adhuc ſerio & vere dici poteſt: *Si non es baptizatus, ego te* &c. ſed potius: *ſive ſis, ſive non ſis baptizatus, ego te* &c. ſicque conditio pro non adjecta haberetur, & forma abſolute repeteretur. 3. Si prudenter dubitetur de capacitate, vel intentione ſubjecti; aut ſi ſuſcepti ſemel Sacramenti, e. g. Baptiſmi omnino incerta ac mere conjecturalia habeantur ſigna. Hic tamen duplex conditio rite eſt diſtingenda; una *futurum* reſpiciens, uti: *Si occaſionem proximam dimittes, ego te abſolvo: ſi ſis perſeveraturus in fide, ego te baptizo* &c. altera *præteritum aut præſens* attingens, uti omnes ſupra adductæ. Hæc *de præſenti* &c. conditio Sacramentis valorem conciliat: numquam illa *de futuro;* quia nunc, uti ſuppono, Sacramentum non intenditur; eo autem, quo conditio adimplebitur, tempore jam dudum ſacramentalis tranſiit actio.

Septem gratiæ ac salutis symbola in Christi Ecclesia omnibus retro sæculis fuerunt agnita. *Expressum* quidem Sacramentorum numerum nec in Scripturis, nec in primævis Conciliis aut Patribus invenimus, *res* tamen numerata jam nascens Ecclesia credidit, omnesque, qui vel unum ex septem negarunt, ceu novatores ac hæreticos est detestata, prout Bellarminus aliique Scholastici fuse ostendunt. Pulchrum hujus numeri rationem sanctus Thomas assignat, analogia a carnali hominis generatione & vita ad spiritualem ducta (3. *part.* Q. 65. *art.* 1.) Tridentina Synodus non minus eos, qui septem esse Sacramenta negant, quam qui omnia inter se æqualia affirmant, anathemate ferit (*Sess.* 7. *can.* 3.). Spectata *necessitate* respectu parvulorum potior est Baptismus; respectu adultorum post Baptisma lapsorum pœnitentia: absque hac dine Ecclesiæ regimen, & secluso Matrimonio fidelis populus deficeret. Præ omnibus sua intrinseca dignitate Eucharistia eminet, quia ipsum Christum Dominum, Sacramentorum principium & finem, continet.

Ex varia Sacramentorum consideratione varias in scholis eorumdum divisiones sunt natæ. Alia siquidem dicuntur Sacramenta *mortuorum*, quæ causant gratiam primam, ut Baptismus, & Pœnitentia; alia *vivorum*, quæ gratiam secundam, seu augmentum gratiæ conferunt, ut Eucharistia & quatuor reliqua. Alia sunt Sacramenta, quæ reiterari non possunt; quia character imprimunt, uti Baptismus, Confirmatio

& Ordo: alia quæ iterari queunt, nihilque præter gratiam animæ imprimunt, uti quatuor reſidua. Unum denique in re permanente conſiſtit, videlicet Euchariſtia; alia omnia cum actione tranſeunt, utut gratiam vel characterem tamquam effectus in anima relinquant.

Omnes has ſalutis venas nobis Chriſtus aperuit. Hominem per ſenſibilia lapſum, per ſenſibilia remedia erigere divina Sapientia voluit, ut ſenſibilibus aſuetus ritus quosdam haberet, quos aſſumeret, religioſos; alios econtra reſpueret ſuperſtitioſos. Fuere, qui Chriſtum mediatum ſolummodo Sacramentorum quorumdam Auctorem dixere; aſt inepte: Sacramenti enim inſtitutor nædum materiam determinat, ſed eidem quoque gratiam cauſandi virtutem confert, quod non meri hominis, ſed Dei incarnati erat officium. Sicut æterna ſalus, ita & ſalutis remedia a Deo pendent. *Auctor Sacramentorum* (inquit ſanctus Ambroſius *lib.* 4. *de Sacram.* c. 4.) *quis eſt, niſi Dominus Jeſus?* Et Tridentinum omnia novæ legis Sacramenta a Chriſto inſtituta definit (*Seſſ.* 7. *can.* 1.) absque omni reſtrictione; nova proin ac vana eſt illa immediatam & immediatam inſtitutionem diſtinctio.

CAPUT II.

Sacramentorum Miniſter quis & qualis eſſe debeat.

Solus homo viator, isque Sacerdos ordinarius Sacramentorum eſt miniſter. Omnibus promiſcue laicis quævis Sacramenta conficiendi poteſta-

teſtatem competere Lutherus, Calvinus, alique tum novi, tum antiqui hæretici contenderunt, quibus ſemper orthodoxa ſeſe Eccleſia oppoſuit Chriſti inſtitutioni nixa, qui ex pluribus duodecim elegit, quos ſancto Paulo teſte Myſteriorum Dei *diſpenſatores* eſſe voluit. *Ipſe* (ait idem Apoſtolus *Epheſ.* 4.) *dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas . . alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Attamen Baptiſmum parvulis ſumme neceſſarium dum neceſſitas exigit, a quovis laico, etiam fœmina, conferri poſſe continua in Eccleſia praxis docet.

Duo præcipue attendere Sacramentorum Miniſter tenetur, 1. ut adminiſtret valide, 2. ut adminiſtret licite.

Valide Sacramenta adminiſtrantur, ſi præſcriptæ & uſitatæ in Eccleſia materiæ & formæ adhibentur; ſi ſerio, ac religioſe ſeu cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, ſacramentalis actio ponatur; ſi ille, cui Sacramentum in uſu conſiſtens confertur, hoc ſuſcipere intendat, aut ſaltem non reluctetur; poſitiva enim ſuſcipientis reluctantia, aut mimica conferentis ſimulatio, cætera licet adeſſent, invalidum aut nullum Sacramentum redderent; quia ſalutis remedia ſicut nemini obtrudi, ita & religioſe ſaltem exterius, conferri Salvator ordinavit, neque agendi modum ipſa rei, quæ geritur, gravitas exigit. De Miniſtri intentione multa ſubtilia quidam Theologi vulgarunt; alii ut minus

ſtrorum acuerent diligentiam, alii ut nimiam a fidelibus abigerent circa Sacramenta anxietatem (a). Aſt utrique huic incommodo absque ambagibus obviatur. Si enim de Sacramento *conficiendo*, quæſtio moveatur; ut vel actualem vel virtualem ſaltem generalem faciendi, quod facit Eccleſia, intentionem habeat, conari miniſter debet: ſi vero de Sacramento *confecto* ſcrupulus in nonnullis oriatur, externa & ſeria ritus poſitione, ac prudenti de ſinceritate Miniſtri præſumptione ut ſcrupulum, propellant, animi ſunt admonendi. *Miniſter Sacramenti* (inquit ſanctus Thomas 3. *Part. Quæſt.* 64. *art.* 8.) *agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri vel recipientis Sacramentum.*

Præ-

(a) Ab intentione interna ſerio ponendi actionem in Eccleſia ſacram Sacramenti valorem pendere tenent Card. Gotti, Bellarmin, Billuart &c. & alii plures: Intentione externa, ſeu exteriore ſeria actionis poſitione contenti ſunt Catharinus, Natalis Alex., Drouvenius, Genettus, Serrius, Gervaſio &c. pluresque Recentiores, quibus tamen multum negotii faceſſit propoſitio ab Alexandro VIII. 1690. damnata, quæ talis eſt: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia.* Eſt num. 28.

Præter ea, quæ modo recensuimus, ad Sacramenti valorem Donatistæ adhuc ministri probitatem requirebant; sanctus Cyprianus aliique Africæ & Orientis Episcopi fidem necessariam multa contentione asserebant, omnesque ab hæreticis baptizatos, ad Ecclesiam redeuntes rebaptizabant. At illos sanctus Augustinus pluribus libris confutavit; hos Stephanus Papa repressit, præcepitque, ut *si quis a quacumque hæresi* (legitimam materiam & formam adhibente) *veniret ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Ita refert S. Cyprianus Epistola 74. ad Pompejum. Stephani decreto subsequentia Concilia suscripsere, & quidem juste; Christus enim est, qui baptizat: ipsi principalis potestas; Sacerdotibus ministerialis competit. *Quid tibi* (ait sanctus Augustinus *Tract.* 5. *in Joan.*) *facit malus minister, ubi bonus est Dominus?*

Licite Sacramenta administrantur, si juxta Ecclesiæ præscriptum exterior fiat ritus, ac interior animæ status sancto huic ministerio non repugnet. Sancta digne, ac sancte tractanda esse ipsum, quod nobis Deus indidit, rationis lumen suggerit. Ministros sui similes Dominus desiderat; unde in Scriptura Sacerdotes hortatur: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* 19.); Et: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* 43.). In hæc verba sanctus Gregorius Magnus ita scribit: *Necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sortes curat, ne tactu quæque deterius inquinet . . . scriptum*

ptum namque est: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*lib. 1. Epist. 24. nunc 25.*). Plures in Decreto Canones leguntur, qui viris ecclesiasticis gravem, quam de malo ministerio Deo sint reddituri, rationem inculcant. Eorumdum relectio quo frequentior, eo utilior Parochis fiet.

Illi proin Ministri, qui peccati gravis sibi sunt conscii, antequam Sacramentum administrent, contritione possibili expiare noxam debent, quod si negligant, novo sacrilegii reatu innectuntur. Confessionem sacramentalem Eucharistiæ confectioni ab eo, qui graviter deliquit, necessario præmittendam esse ex illis Apostoli verbis: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, Tridentinum Concilium subinfert, *quamtumvis quis sibi contritus videatur*. Ulterius addens: *Sacerdos si necessitate urgente* (dum nempe copia Confessarii non fuit) *absque prævia confessione celebraverit, quam primum confitentur* (*Sess. 13. cap. 7.*). Nudum consilium non præceptum hisce verbis *quam primum* &c. contineri novi quidam Casuistæ sunt commenti; quibus tamen sanior Doctorum pars, ac ipse textus resistit (*a*).

CAPUT

(a) Duas istas circa hoc punctum propositiones Alexander VII. damnavit: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortalis confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Num. 38. Item: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, dum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Est num. 39. Neque

CAPUT III.

Sacramentorum ſubjectum, ejusque diſpoſitio expenditur.

Quivis homo, quamdiu viatorem agit, aptus Sacramentorum eſt ſubjectum; non tamen omnis omnium. Divina Sapientia ſpiritualis vitæ ſubſidia, prout ſupra (*pag.* 382.) adumbramus, temporalium inſtar diverſis ſtatibus diverſa accommodavit. Spiritualis regenerationis, confortationis, & nutritionis Sacramenta pro omnibus: Sanationis, & abſterſionis ſignacula pro lapſis: Matrimonium pro humanæ ſtirpis propagatoribus: Ordinem pro Eccleſiæ Miniſtris & Rectoribus deſtinavit: unde non minus horum, quam illorum conſideratione ſtupefactus homo exclamare cum Pſalte regio poteſt: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis* (*Pſal.* 138.).

Duo præcipue in Sacramentorum ſubjectis requiſita deſiderantur, videlicet intentio, de-

---

ad ſacrilegium, vel aliud quodvis grave damnum evitandum liceret Sacramentum ſimulare; ſic enim quis verbis & rebis a Chriſto inſtitutis uteretur, ac gravem in eumdem irreverentiam committeret, ſimulque in re gravi mentiretur aliud intus tenens, ac verbis exprimit. Hinc Innocentius XI. hanc numero 29. damnavit propoſitionem: *Urgens metus gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Propter easdem rationes graviter quoque ille peccat, qui Sacramenti ſuſceptionem ſimulat; utut ignorantia &c. quandoque minuere malitiam poſſit.

spositio: illa prior, uti paullo ante diximus, plerumque ad *validam*: posterior ad *utilem*, seu fructuosam cujuscumque Sacramenti susceptionem requiritur. Adulto repugnanti nullum (sola Eucharistia excepta) valide Sacramentum confertur. Modo humano, ac libere sua Sacramenta suscipi Christus voluit, nec nisi volentibus salutis subsidia conferri. Unde Innocentius III. ab eo, *qui penitus contradicit nec rem, nec characterem Sacramenti suscipi* definiit (Cap. *Majores de Baptis.*). Ægrotos quoque sensibus destitutos, nisi antea Baptismum, aut absolutionem petierint, baptizare vel absolvere Concilia Carthaginense III. & Arausicanum I. prohibuere. Nec tamen expressa adeo sive formalis, sive virtualis, qualis in ministro requiritur; etiam in recipiente intentio est necessaria; *habitualis*, aut *interpretativa*, quæ ex christiana vita, aliisque circumstantiis colligitur, sæpe debet sufficere. Hinc subitaneo, ac læthali morbo oppressis, nisi publici fuerint peccatores, conditionata saltem absolutio, Eucharistia, & extrema Unctio conferuntur, utut ea expresse antea non petierint. Pœnitentiæ Sacramentum, cum dolorosam peccatoris confessionem pro materia habeat, integre sine pœnitentis libera consensione confici nequit. Idem de Matrimonio est tenendum; gravia enim illius onera expresso solum, ac liberrimo consensu suscipere oportet.

Dispositio, quæ Sacramenti fructum promoveat, non eadem pro omnibus Sacramentis est necessaria: alia Sacramentis mortuorum, alia

vivorum Sacramentis competit. Ad Baptismum aut Pœnitentiam accedentes, attritione saltem, contritione imperfecta, infra explicanda, confessa prius peccata retractare tenentur, ut superveniente Sacramenti virtute contriti ex attritis iustificationis gratiam accipiant. Cum autem attritio in fide, & spe fundetur, virtutem harum exercitium Baptismi, & Pœnitentiæ susceptioni præmittere oportet. Quod si præcedens contritio perfecta adeo sit, ut charitate amicabilis gradum attingat, Baptismus vel Pœnitentia postea suscepta jam non gratiam primam (utpote quam jam præcedens contritio induxit) sed secundam seu augmentum gratiæ causabit, quia hoc subjecti præsens & accidentaria ejus dispositio.

Ut residua quinque Sacramenta quis fructuose suscipiat, status gratiæ requiritur; hinc quippe Sacramenta vivorum sunt dicta, quia habitualis gratiæ vitam in subjecto supponunt, actualesque gratiæ vires ad certum quemdam finem animæ conferunt. Nemo proin gravi peccato pollutus ad ista accedere Sacramenta potest contrarium qui attentat, grande sacrilegium perpetrat; quia rem sacram indignus accipit. Cum autem nemo, sitne in gratiæ statu, scire queat, cujuslibet Sacramenti susceptioni contritionem præmittere tutius erit, & salubrius. Optima quævis Sacramenta dispositio ex ipsa sacramentali confessione rite peracta fluit, quam quidem Eucharistiæ confectioni & sumptioni præmittendam, ubi peccati gravis scientia, aut prudens

occurrit dubium, expresse Ecclesia præcepit, in aliorum quoque susceptione Sacramentorum eamdem praxim fideles, præsertim pii, ac timorati observant.

Præter hanc quam modo exposuimus dispositionem, quæ quasi negativa & habitualis est, adhuc alia, ut Sacramenta uberius fructificent, positiva & actualis requiritur. Hæc in devotione cum externa, tum interna consistit, variisque virtutum, ac præprimis Fidei, Spei, & Caritatis actibus perficitur. Hanc libri pii, sacra meditatio, ac frequens de divinis sermonizatio docent.

SECTIO II.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

Baptismi notio, materia, forma, minister.

Baptismus juxta Catechismum Romanum est regenerationis Sacramentum per aquam in verbo. Huic ea, quam sanctus Thomas tradit, definitio consentit, quæ Baptismum describit, quod sit exterior corporis ablutio sub præscripta verborum forma. Tria igitur præter communia, de quibus supra (*pag.* 384.), adhuc spe-

cialia ad Baptiſmi valorem requiruntur, vide-
cet aqua, ablutio, & quam Chriſtus præſcrip-
verborum forma.

Aqua non qualiscumque, ſed vera ac e-
mentaris apta Baptiſmi materia exiſtit; ha-
enim Chriſtus, cum Baptiſmum inſtituit ad-
buit, & poſthac adhiberi præcepit inquiens:
*Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſan-
cto, non poteſt introire in Regnum Dei* (*Joan.* 3.)
Hanc perpetua, ac conſtans in Eccleſia pra-
retinuit, ſemperque retinendam contra hære-
cos Concilia ſanxerunt. Extra neceſſitatis cæſu-
aqua benedicta, qualis in baptiſterii fonte habe-
tur, unice eſt aſſumenda: dum neceſſitas urge-
quælibet etiam turbida, pulverulenta, ſulphu-
rea, calida &c. imo & dubia, uti lixivium, ol-
&c. in defectu alterius ſaltem ſub conditione
eſt affundenda, ut quamtum fieri poteſt, in-
ſantis conſulatur ſaluti.

Baptiſmalis ablutio triplici modo fieri in
Eccleſia conſuevit. Apoſtoli totali corporis im-
merſione Baptiſmum conferebant, ut neophyti
per Baptiſmum Chriſto conſepulti in mortem,
ceu nova creatura cum illo ex aquis emergerent
(*Rom.* 6.). Quinque millia hominum, quos
una die baptizaſſe Apoſtoli leguntur, ſola infu-
ſione, aut aquæ aſperſione baptizatos fuiſſe
credere fas eſt. Clinicos ſeu ægrotos in lecto
ſola infuſione ablutos fuiſſe ex hiſtoria patet.
Immerſionis ritus usque ad ſæculum decimum
tertium communior fuit, huncque ut tutiorem
adhuc ſanctus Thomas commendavit (3. part.
Quæ-

Quæst. 66. *art.* 7.). Jam una, jamque trina fiebat immersio; hodie plerisque in latinis Ecclesiis, illa abrogata, trina infusio in Ritualibus præscribitur, quibus se accomodare Clerici diœcesani tenentur.

Quænam corporis pars Baptismi aqua sit abluenda non omnes conveniunt. Capitis ablutionem sufficere omnes fatentur: de pectore multi idem affirmant, de reliquis partibus diversi diversa proferunt. *Quia* (ait sanctus Thomas 3. *Part. Q.* 68. *art.* 11.) *tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium quacumque alia parte corporis abluta puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te* &c. Hocque tamquam tutius, ut in praxi observent, suæ Diœceseos Parochis sanctus Carolus Borromæus injunxit, quem passim plures alii sunt secuti.

Baptismi forma hisce concipitur verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hanc namque ipse Baptismatis Auctor Christus præscripsit, dum suos ad prædicandum, & baptizandum discipulos misit (*Matth.* 28.), eamque necessario retinendam esse perpetua traditio docet. Expressa, ac distincta trium in una divina natura Personarum mentio adeo hic necessaria est, ut ea omissa, vel confusanee facta irritus baptismus fieret. Naturæ unitas per *in Nomine*, Personarum distinctio copulativa *Patris & Filii & Spiritus sancti* professione exprimitur. Si quis ex ruditate, mente tamen catholica prætermisso & for-

mam proferret: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii, Spiritus ſancti*, probabilius valeret baptizaret, quamvis propter quorumdam Doctorum contrariam opinionem conditionate baptiſmi repetioni foret locus. Qui puerum aqua perfundens ſolummodo diceret: *In Nomine Patris* &c. omiſſis iis, quæ præcedunt, verbis *Ego te baptizo;* Sacramentum non conficeret, quia illa verba ſola generalia nimis ſunt, neque ſacramentalem actionem ſufficienter ſignificant (*a*). Non tamen eadem omnium, quæ præcedunt, verborum eſt neceſſitas. Pronomen *Ego* absque ſubſtantiali formæ corruptione omittitur, ſecus vero pronomen *te*. Quidam quis verbo activo in paſſivum transmutato diceret: *Baptizaris a me in Nomine* &c. non baptizaret; quia iſta forma parum aut nihil a illa differret Græcorum. Formam ſic prolatam: *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti*, quidam Doctores, quibus hæc ſolemnium interpolata videtur, invalidam, aut dubiam; alii validam ac certo ratam cenſent. Hisque Stephani II. aſſiſtit auctoritas, qui baptiſmum ſub hac forma: *In nomine Patris mergo, in nomine Filii mergo* &c. collatum, abſolute validum, ac ratum habuit.

Miniſterium Baptiſmi minus ſolemnis quilibet homo, etiam Judæus, & Gentilis, mas-

(*a*) Alexander VIII. anno 1690. iſtam reprobat Theſin: *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo.* Num. 27.

& fœminæ, si necessitas instet, subire possunt. Si obstetrix adsit, huic præ rudi viro baptizandi munus est committendum; quia hæc præ aliis circa substantialem Baptismi ritum instructa sit oportet. *Quapropter* (monet Rituale Romanum) *curare debet Parochus, ut fideles, præsertim obstetrices rectum baptizandi ritum proprie teneant, & servent.* Extra necessitatis casum Baptismatis administrandi potestas de jure Parochis competit, qui tamen alteri cuicumque Presbytero munus hoc committere possunt, non tamen adeo facile debent, nisi de ejusmodi Sacerdotis scientia, & probitate aliunde sint certi. Ubi Parocho, legitime impedito, Sacerdos alius deficit, præsenti Diacono solemnis Baptismi ritus erit comittendus, quem hic superpelliceo & stola transversa indutus conferre vi suæ ordinationis potest. Quodsi Parocho legitime non impedito, aut præsente Presbytero aut absque commissione Baptismum solemnem Diaconus administraret, graviter delinqueret, fieretque irregularis, quia actum exerceret ordinis, quem non habet; cum non arbitrariam & ordinariam, sed extraordinariam baptizandi potestatem ordinatus acceperit. Unde Hormisda Papa decrevit: Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia, & numquam ordinetur (Cap. *Si quis de Cler. non ord.*). Alia, circa Baptismi ritum observanda Ritualia sat, superque explicant, quæ proin legere, ac ne per oblivionem aliquid negligatur, sæpius relegere Parochi debent.

CAPUT

CAPUT II.

Baptismi Necessitas, Subjectum, & Patrini.

Baptismi necessitatem Christus docuit, cum a Nicodemum dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* 3.). Universalis ergo hæc lex, omnesque concernit. Non enim aliud quoddam in novi Testamenti libris pro infantibus remedium legitur, utut adulti, quibus Baptismi aquæ deest occasio, Baptismo flaminis (qui in perfecta contritione, ac animi ad quævis Dei præcepta adimplenda præparatione consistit); aut Baptismo sanguinis (qui martyrium ex Dei dilectione perpesso perficitur) salutem æternam consequi possint; qui enim dixit: *Nisi quis renatus fuerit &c.*; etiam dixit: *Si quis diligit me* diligetur a Patre, &: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* (*Isa.* 28.). Item qui jussit: *Baptizate omnes &c.* etiam docuit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* (*Matth.* 10.) &: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (*Matth.* 16.). Hinc est quod tria a Doctoribus Baptismata distinguantur, videlicet *Fluminis*, *Flaminis*, & *Sanguinis*. Horum primum tantum Sacramenti rationem habet, secundum & tertium illius vicem supplent, atque gratiæ effectum inducunt.

Nec

Non igitur diu differri, sed quam primum commode fieri potest; parvulis conferri Baptismus debet, ne inopinata morte rapti aliorum ignavia a cœlesti hæreditate excidant. Utque hanc debitam suis parvulis curam parentes impendant, Parochi invigilare, eosque sæpius suæ obligationis admonere in concionibus tenentur (*a*).

Antequam infans Baptismi lavacro renascatur, natus sit oportet. *Non video* (inquit sanctus Augustinus *Epist.* 57. *nunc.* 157. ad Dardanum), *quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi eum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati.* Et infra quorumdam responsionem confutans ait: *Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci; renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.* Idem sanctus Thomas docet, aitque: *Corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua; nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat, sed hoc esse non potest,*

(*a*) Parochus si matris æque ac neonati infantis instare mortem advertat, matre breviter ad eliciendam contritionem admonita, baptizare parvulum debet. Quodsi obstetrix, vel alia, quæ essentialem Baptismi ritum callet, persona adsit, huic pueri Baptismum committere, ipse vero matrem confitentem audire, ac vere dolentem absolvere tenetur; hacque methodo utriusque oviculæ salutem promovebit optimus Pastor.

poteſt, tum quia anima pueri, ad cujus ſimili-
tem ordinatur Baptiſmus diſtincta eſt ab anima
matris; tum quia corpus pueri animati jam
formatum, & per conſequens a corpore mat-
diſtinctum; & ideo Baptiſmus, quo mater lo-
zatur non redundat in prolem in utero matr
exiſtentem (3. *Part. Q.* 68. *art.* 11.) (*a*). Non tamen perfecta, ac totalis ſemper natura requiritur. Si mater in partu laboret, & infantis caput emineat, abſolute baptizari debet; ſi pes, vel manus, ſaltem ſub conditione ista ablutio eſt facienda, ut quamtum fieri poteſt innocenti provideatur. Ita Rituale romanum præſcribit, & praxis obſervat (*b*).

Quemadmodum natus, ita & vivus Baptiſmi tempore infans eſſe debet, nec cadaveris ablutio animæ quidquam prodeſt quia ſicut ſpiritualis nativitas corporalem, ita vita ſupernatura-

(*a*) Baptiſmum prægnanti matri collatum filiolo nihil prodeſſe Doctores omnes tenent; at infantem adhuc in utero matris recluſum quorumdam inſtrumentorum adminiculo baptiſmali aqua tingi valide poſſe multi inſignes Auctores, præſertim recentiores, tenent. Horumque auctoritas id ipſum commodi affert, ut in caſu neceſſitatis (pro quo ſicut materia probabilis aut dubia, ita & ſubjectum dubium ſufficit) infans in utero materno licite ſub conditione poſſit baptizari. Id quod vel ipſi ſententiæ contrariæ Patroni admittunt.

(*b*) Eo in caſu, quo infans abſque Baptiſmo mortuus, vel certo moriturus, non impro-dam, ſed ſumme commendandam eſſe devo-

naturalem supponit. Hinc ubi dubia vitæ signa notantur, conditionate solum Baptisma est conferendum (a). Quodsi vitæ signa sint certa, solumque de rationali vita & anima, prout in monstris assolet, dubium oriatur, istæ servandæ sunt regulæ. 1. Si monstrum ab humana figura

nem parentum, fervidis orationibus, ac piis operibus Deum interpellantium. ut infantem vel ad Baptismum perducat, vel extrasacramentaliter sustificet, P. Amort (Theol. Mor. *Tom.* 2. *Tr.* 9. §. 3. ad *Q.* 14.) docet, hancque suam opinionem tum paritativa veteris legis inductione, tum S. Bonaventuræ, Gersonii, Serræ aliorumque Doctorum auctoritate munit. Vide si lubet.

(a) Abusum illum, quo infantuli in utero materno suffocati, vel post partum statim absque Baptismo mortui, ad Taumaturgas imagines deferuntur, ibique subrubeum præseferentes colorem, oculi alteratrius motum, aut per naves halitum mittentes baptizantur, Lingonenses Synodi annis 1452, & 1455. tamquam superstitiosum ac pernicioſum reprobarunt. Sacra quoque Congregatio S. Officii Romæ iteratis responsis istam praxim abolendam esse censuit, sic enim anno 1729 d. 27. Aprilis ad Em. Card. de Schönborn rescripsit: *Impedire curet abusum Baptismatis infantium mortuorum, & vita naturali, aut miraculosa carentium, cum, ut vivi censeantur, requiratur, ut dent signa certa & indubitata certitudinaliter reviviscentiam denotantia.* P. Amort hoc Rescriptum de infantibus certo ac indubitato mortuis intelligendum esse putat, illos vero parvulos, de quorum morte per signa indubitata non constat, si unde unde signa latentis adhuc vitæ appareant, sub conditione hac: *Si adhuc vivis,*

ra in partibus minus principalibus deficiat, absolute est baptizandum. 2. Si in parte principali; uti capite vel pectore ab humana forma deflectat, baptizari sub conditione debet, si *homo, ego* &c. 3. Si majore ex parte degeneret, ita, ut nec caput, nec pectus humanum habeat, nec quidquam humani suis in actibus præferat, subjectum Baptismi capax non est. 4. Si constet de monstro, quod homo sit, solumque sitne unus vel plures, dubitetur, ita ut sub duplici capite sit unum pectus, uni capiti absolute, alteri conditionate Baptismus est tribuendus. Si vero sub uno capite duo sint pectora, juxta multos, unum absolute, alterum denuo conditionate est baptizandum; si denique duo capita, duoque pectora & alia duplicia concreta

---

vivis, ego te &c. baptizari posse existimat. Porro ejusmodi infantulorum ad imagines Tavmaturgas deportatio merito improbatur. 1. Quia sæpe *superstitiosa* ex parte parentum aut aliorum, qui varia vana admiscent, quibus parvuli reviviscentiam infallibiliter obtinendam credunt. 2. Quia admodum *perniciosa* infantibus; hi enim non semper, prout vulgo apparent, sunt mortui, sed quemadmodum alii in aere, vel aquis suffocati, nulla exterius vitæ signa produnt, adhuc tamen prodituri, si statim ea, quæ ars medica, præsertim hodierna, celebrat, remedia applicarentur. Hinc dum infantuli angustis distulis inclusi ad locum valde distantem deferuntur, frigori &c. exponuntur, eorum utcumque superstes vita non potest non deficere, sicque vitæ loco tristis eisdem procuratur mors; nec superveniens Baptismus illis quidquam prodest. Vid, Amort *loc. cit. Quæst.* 11. & 12.

creti hominis signa cernantur, utrique absolute & distincte applicari Baptismus debet.

Infidelium pueri invitis parentibus illicite baptizantur, eoquod vel Sacramento, vel parentibus gravis injuria inferretur; *Sacramento* quidem, si ejusmodi puer parentibus relictus, eorumdem errorem sequeretur; parentibus vero, si filius vi abstractus eorum educationi, & paternæ, quam illis natura tribuit, potestati perpetuo subduceretur. Certe non violentiis suam fidem propagari Christus voluit, hinc suis Apostolis dixit: *Euntes docete;* non vero: *Euntes cogite, rapite* &c. Quodsi tamen cujusdam Judæi &c. filius discretionis annum adeptus libere Baptismum peteret, præmissa instructione hic illi conferri posset, dummodo paternam relinquere domum, & apostasiæ fugere pericula promittat, ne Christi character, quem in Baptismate accipit, sacrilega obliteretur profanatione.

Qui semel rite sunt baptizati, denuo baptizari non possunt, licet qui eos primo baptizavit, hæreticus fuisset. Acre de hac re sæculo tertio inter S. Stephanum Papam, & S. Cyprianum Carthaginensem Episcopum fuit dissidium. Rebaptizandos omnes qui de quacumque hæresi ad Ecclesiam veniunt, Cyprianus voluit; nihil innovandum esse, sed manus solummodo illis imponendas Stephanus decrevit, cujus sententiæ Transmarinum quoddam Concilium Augustino teste subscripsit, & usque modo eam observat Ecclesia, quæ & nuper Anabaptistis

anathema dixit, eoquod omnes ad annos discretionis venientes iterum baptizandos impie dogmatizarint (Trid. *Seſſ.* 7. *can.* 13. *de Bapt.*).

Qui infantem, dum aqua baptiſmali abluitur, levat & tenet, *Patrinus* vocatur. In primitiva Eccleſia jam patrinorum exiſtebat officium; communius tamen *Sponſorum* compellabantur nomine; quia baptizari loco ad Parochi quæſtiones reſpondent, fidemque Chriſto promittunt, atque datam ſemel fidem neophytus ſervet, impius hortari poſtea tenentur, atque urgere. Non igitur obvius, ſed adultus aut ſaltem puber, Chriſtianus, isque probe inſtructus, ac maturatus ad iſtud munus a parentibus debet eligi, nec alius quisquam a Parocho admitti. Et non niſi unus & una aſſumantur Tridentinum Concilium præſcribit (*Seſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*), utque mas maſculum, & fœmina fœmellam levet, in Concilio Nicæno, aliisque ſanctum ſtatutum, ac communis hodie praxis tenet.

CAPUT III.

Confirmationis notio, materia, & utilitas.

Variis nominibus expreſſum apud antiquos hoc Sacramentum invenitur. *Unguenti Myſterium* ſanctus Dionyſius (*de Eccl. hier.* cap. 4.), Sacramentum *Chriſmatis* ſanctus Auguſtinus (contra Petilianum *cap.* 104.); *Manus impoſitionem* idem ſanctus Doctor (*Cont. Donat. lib.* 3. *c.* 16.), chriſma ſalutis, ſigillum Spiritus ſancti, plenitudinis ſeu perfectionis Sacramen-

alii nuncuparunt. Hodie *Confirmationis* nomine istud Sacramentum celebratur & communiter definitur Sacramentum corroborativum, seu tale, quo homo baptizatus ad Christi fidem palam & intrepide profitendam gratiæ virtute roboratur. Hinc fidelis hoc Sacramento munitus (prout Romanus Catechismus ait), nisi aliud obstet, novæ virtutis robore firmior, atque adeo perfectior Christi miles esse incipit. Olim cuilibet, Baptismi aquis mundato, statim manuum impositio ab Episcopo conferebatur. Hinc erroris sui occasionem hæretici sumpserunt, qui Confirmationem non distinctum a Baptismo Sacramentum, sed ejusdem dumtaxat complementum, ac nudam dicunt cæremoniam, quam non Christus sed Ecclesia instituit. Ast & hic eorum error apertis Patrum, & Synodorum sententiis adversatur, ac in Tridentina Synodo infami confixus anathemate fuit (*Sess.* 7. *can.* 1.).

De Confirmationis materia essentiali Doctores in varias abeunt opiniones. Concilia Florentinum & Tridentinum Chrysmatis, ab Episcopo benedicti unctionem exprimunt: antiquiora quædam momenta de manus impositione faciunt mentionem. Utramque simul quidam Scholastici ad Confirmationis substantiam pertinere contendunt; alterutram sufficere alii asserunt. Tam hi, quam illi gravia pro se fundamenta habent, quæ ad rationis trutinam appendere hic nec locus, nec ob quem scribo, scopus permittit.

Ut pueri, sacro Chrismate perungendi, sanctum signaculum reverenter suscipiant, sæpius,

atque eo præcipue, quo Confirmationem ſuſcipe
di occaſio imminet, tempore ſunt admonend
unde illi ſolum, qui debite ſeſe diſponere, q
que peracti circa ſe Myſterii memoriam habe
queunt, regulariter ad Confirmationis Sacram
tum eſſent admittendi, ut præter characterem
uberior obtineatur gratiæ effectus, & reiterat
nis periculum evitetur.

Non ea Confirmationis eſt neceſſitas, ut i
illam ſuſcipere vel non poſſunt, vel aliquan
negligunt, excluſi a Regno cœlorum manen
non enim rigoroſum adeo præceptum, quale
Baptiſmo legitur, etiam de Confirmatione
teſt afferri. Graviter attamen peccaret, qui
contemptu formali, aut virtuali Sacramenti
iſtud ſuſcipere nollet. Confirmationis pro
utilitatem ſuis explicare Parochus debet, eosq
ad illud devote ſuſcipiendum hortari, iis pr
primis in locis, ubi Catholici hæreticis permi
vivunt, aut negotiationis cauſa ſæpe ad e
divertunt, ut milites Chriſti fortes ſuſcepta
in baptiſmate fidem, quam mente tenent, o
ſincero, ubi neceſſum fuerit, valeant profite

SECT

SECTIO III.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

CAPUT I.

Eucharistiæ notio, asservatio, adoratio, ac digna susceptio.

Eucharistia juxta nominis etymologiam idem ac *gratiarum actio* aut *bona gratia* significat; juxta rei veritatem autem definitur Sacramentum novæ legis ad spiritualem animæ nutritionem institutum. Nutritio hæc ipso Christi Corpore & sanguine, quæ sub panis & vini speciebus divina Sapientia occultavit, miro, sed vero contingit modo. Christum Deum & hominem non mere figurative, sed vere, ac realiter sub consecrata hostia contineri, contra Calvinistas ex verbis institutionis, ac continua sanctorum Patrum traditione Catholici probant. Cum divino Christi corpore & sanguine non simul panis, vinique substantiam; sed eorumdem dumtaxat species remanere Tridentina Synodus contra Lutheri asseclas definiit (*Sess.* 13. *cap.* 8. *de Euch. can.* 2.); nihil proin obstat, quominus sacrum hoc Dominici corporis Mysterium proni fideles adorent.

Totis viribus contra piam Ecclesiæ consuetudinem, qua Eucharistiam in altaris Tabernaculo

asservat, ac devotæ adorationi exponit, nostri ævi hæretici insurgunt, Christumque Dominum dixisse *accipite & manducate*; non vero *asservate & adorate*, Catholicis objiciunt. Ast sicut ab ista & hæc quoque eorum vana est objectio. Deum verum sub specierum velamine præsentem esse dimus; Deo autem adorationem deberi multiplicies in Scripturis legitur, juxta illud, quod Christus tentatori respondit: *Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies* (*Matth.* 4.). Non igitur opus erat, novum de adoratione præceptum dare, sed divinam solum sub speciebus alienis præsentiam edocere & præcipuum illius usum tradere, quo semel cognito adorationem convenientem, ac debitam Mysterio esse quisque cordatus facile concipiat. Neque nova est Eucharistiæ asservatio vel adoratio. Primos enim Christianos sacram particulam secum proprias ad domos deportasse, in eremo asservasse, persecutionis tempore sumendam, historia ecclesiastica commemorat: adoratam quoque Eucharistiam fuisse ex sancti Cyrilli Catechesi tertia; ex sancti Gregorii Oratione in Nebri de sorore sua Gorgonia; ex sancti Ambrosii libro tertio de Spiritu sancto, aliisque sanctorum Patrum libris colligitur. Omnium clarissima sancti Augustini hic apponere juvat verba, qui in Psalmum 98. ita ait: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.*

Ut munda sint vasa, in quibus sanctissima asservatur Eucharistia, præprimis curare Parochi & Beneficiati tenentur. Omnimodam mundi-

ditiem eorum, quæ ad judaica sacrificia spectabant, a Sacerdotibus Deus exegit; qualem jam nitorem illa præseferant, quæ Christi corpus continere, ac divinæ Majestati throni loco servire debent? Hæc attendant Clerici, quibus major de parochialis domus splendore, quam de sacri Tabernaculi ornatu est cura: qui sæpius de stabulorum, & horrei, quam suæ Ecclesiæ aut paramentorum reparatione sunt solliciti. Hi profecto contra mentem loquuntur, dum manus abstergentes in Missa orant: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psalm.* 25.).

Sicut vasa, ita & corda, quæ divinum hoc Sacramentum recipiunt, munda sint oportet, hæque mundities ab animarum Curatoribus præcipuè est considerandæ; ne illud *Væ*, quod aliquando pharisæos, ipsos quoque feriat: *Væ vobis hypocritæ, quia mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia* (*Matth.* 23.)! Nullus Pastor facilius & efficacius dignam dispositionem suis oviculis persuadet, quam qui Dominici gregis forma factus, quod alios docet, primus ipse adimplet. Qui conversationis honestate, morum candore, ac vitæ integritate, accurata ac gravi functionum persolutione Mysterii sublimitatem, ac rei suscipiendæ dignitatem ostendit. Exemplo & verba debent accedere. Nædum in catechesibus, ac quadragesimali instructione, sed & certis per annum concionibus zelosi Parochi, quo fructuose Eucharistia suscipiatur, modum tra-

dunt. Dispositionem duplicem, negativam unam positivam alteram supra (*pag.* 309.) exposuimus: prior efficit, ut Sacramentum non suscipiatur indigne, seu sacrilege; posterior, ut cum fructu, ac uberiore fructu suscipiatur. Ad hanc omni nisu tendere fideles deberent, ut cum frequentatione mysterii, non langor ac tepidus, sed devotio atque fervor cresceret (*a*). Spiritus

(*a*) Dispositiones ad Eucharistiam aliæ se tenent ex parte animæ: aliæ ex parte corporis: illas hic in textu citato Auctor exposuit; hæ vero in exteriori modesto situ, ac corporis munditie, præcipue vero in naturali, quod a medio præcedentis noctis inchoatur, jejunio consistit, quod ita cibi potus, vel medicinæ sumptione, non vero salivæ, fæcis aut aquæ in ore remanentis, vel pluvialis guttulæ per respirationem attractæ deglutitione solvitur. Casus, in quibus a non jejuno licite Eucharistia sumitur, sunt 1. Si periculum immineat irreverentiæ sacrilegæ. 2. Si Sacerdote impote facto nullus adsit jejunus, qui sacrificium sumptione compleat. 3. Si grave scandalum ex sumptionis omissione præcideatur. 4. Si per modum Viatici Eucharistia sumatur. *Nec semel tantum* (ait Natalis Alex. Theol. Moral. *lib.* 2. *de Euch. Sacram. art.* 2. § 2. *num.* 7.), *sed multoties potest infirmo non jejuno sacra Communio administrari, perseverante ad plures dies, vel ingravescente mortis periculo, modo inter utramque Communionem octo vel decem dies interfluxerint, etiamsi extrema unctione fuerit procuratus. Idem dicendum si ex mortis periculo emerserit, & in illud denuo post dies etiam pauciores inciderit. Ita vulgo Theologi. Decem dies inter utramque Communionem per modum Viatici*

dulcedinem, animæque delicias, quæ ferventem hanc dispositionem sequuntur, nemo melius, quam qui eas experiuntur, devoti, ac sancti homines noscunt, easque omnibus, quas mundus offert, oblectationibus præhabent, identitem suspirantes: *O quam suavis est Domine Spiritus tuus!*

CAPUT II.

Eucharistiæ Minister, & nonnulla de Missæ Sacrificio exponuntur.

Duplex Eucharistiæ distingui Minister solet; unus qui eam conficit, alter qui jam confectam fidelibus distribuit. Idem qui confectionis etiam distributionis Minister esse potest, non econtra. Primis Ecclesiæ sæculis Dominici sanguinis, imo & corporis dispensatio ob Presbyterorum defectum Diaconis fuit concessa; crescente postea Sacerdotum numero hæc illorum denuo restricta, ac dempta potestas fuit. Mutatus quoque dispensandi modus. Olim nuda manu viri; mundo linteolo fœminæ Eucharistiam excipiebant, propriæ manus adminiculo vel statim sumendam, vel suas ad domos deportandam, ut persecutionis tempore eadem reficere spiritum, ac se præmunire contra hostes possent; quæ rationes, cum hodie non pugnent, facer-

Rituale Parisiense præscribit. Ut quid enim infirmus ob jejunii impossibilitatem cœlesti isthoc cibo privetur?

ſacerdotali manu ori communicantium ſacra Hoſtia applicatur, absque mora reverenter deglutienda, ac transmittenda ad ſtomachum.

Jure ordinario Euchariſtiæ diſpenſatio ad ſolos Parochos ſpectat, aliosque Eccleſiæ Rectores; quia his ſuas oves paſcere ex officio incumbit; uti in Vienenſi oecumenico Concilio ſub Clemente V. fuit ſancitum, ubi omnibus Religioſis ſub excommunicatione Papæ reſervata Euchariſtiæ, extremæ Unctionis, & Matrimonii adminiſtratio fuit interdicta. Nihilominus hodie Regulares ex Romanorum Pontificum indulto fidelibus Euchariſtiam præbere ſuis in Eccleſiis poſſunt, dummodo illos a parochiali Eccleſia ſtudioſe retrahere, aut viaticum, vel paſchalem Communionem iisdem porrigere non recuſent; hoc quippe attentato cenſuram manifeſtam incurrerent; quia nullum, quod hanc ipſis facultatem tribuit, afferre poſſunt privilegium (a).

Euchariſtiæ conficiendæ ſolus Sacerdos eſt Miniſter; hic quippe quoad hoc ſanctis Apoſtolis ſuccedit, quibus Chriſtus præcepit: Hoc fa-

(a) Cum Religioſis in ſuis dumtaxat Eccleſiis ac domibus Euchariſtiam diſpenſandi ſit conceſſa facultas, valde exorbitant, & niſi ignorantia per accidens excuſentur, cenſuram incurrunt, qui, ob privatæ quarumdam mulierculorum, diuturna infirmitate detentarum, devotioni ac petitioni ſatisfaciant, ſacram particulam corporali involutam ad earum ædes deferunt, easque communicant. Abuſus hic eſt qui non minus ſacris Canonibus, quam debitæ reverentiæ repugnat.

licite *in meam commemorationem* (*Luc.* 22.). *Sacerdotis ore* (inquit sanctus Joannes Chrysostomus *Homilia in Judam*) *verba proferuntur, virtute autem Dei conficerantur.* Similia cæteri sancti Patres habent. Nicænum quoque Concilium Diaconis præsumptuosis indignans ait: *Neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificium non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant* (*Can.* 18.).

Non nisi in Missa Eucharistia confici, nec una species sine altera confecrari licite potest; non enim solius Sacramenti, sed & Sacrificii dignitatem Eucharistia habet; in quamtum autem Sacrificium est, utriusque speciei distinctam consecrationem exigit, ut sanguis vi verborum a Christi corpore separatus, mysticam saltem ac incruentam hostiæ immolationem significet, illamque in Cruce cruentam ad fidelium gratam reducat memoriam. Contra Missæ Sacrificium nostri ævi hæretici multum declamant, ac præcipue contra Missam, in qua nullus nisi solus Sacerdos communicat. Infirma eorum fundamenta apud Theologos Dogmaticos refutata invenies.

Missa proin verum novæ Legis est Sacrificium, de quo ampliſſimus dicendi foret campus; brevitati studentes præcipua tantum attingemus, videlicet rem oblatam, offerentem, applicationem, locum.

Res oblata est idem Dei Filius, Christus Jesus, qui in ara crucis pro totius mundi delictis

ctis Deo Patri se obtulit; unde sicut eadem hostia, ita & Missæ Sacrificium idem cum crucis Sacrificium est, soloque offerendi modo videlicet incruento ab illo cruento differt, tamtum quævis alia antiquæ legis Sacrificia excedit, quamtum Deus hominem, Creator creaturam superat.

Offerens invisibilis, ac principalis ipse Christus est, idem qui Sacerdos & hostia. Quamobrem & Sacerdos dicitur in æternum secundum dinem Melchisedech (*Psal.* 9.); quia nempe continuato Sacrificio sub panis & vini speciebus ipsum Patri offert. Offerentis ministerialis ac mediati officium Sacerdos gerit, hocque mediante etiam, qui adsunt, fideles offerunt; unde qui Missam celebrat, Sacerdos ad Deum orat: *Ut igitur oblationem servitutis nostræ; sed & cunctæ familiæ tuæ . . placatus accipias.* Item: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium &c.* De hoc mediato offerendi modo sæpius suos parochianos monere Parochi debent; ne, dum frigidi ac oscitantes Missæ assistunt, spirituali ejusdem destituantur fructu.

Non solum Sacrificium eucharisticum, sed passionis rememorativum, sed & *propitiatorium* pro peccatis, *satisfactorium* pro pœnis debitis, *impetratorium* bonorum tam corporis, quam animæ concernentium juxta antiquam Traditionem, ac Ecclesiæ definitionem in Missa offertur (Trid. *Sess. can.* 3.). Et cum tam hostia quam principalis offerens infinitæ sit dignitatis, infinitus quoque hujus Sacrificii est valor,

infinitis peccatis diluendis, pœnis relaxandis &c. sufficit. Unde quod finitus semper fructus sequatur, non tam ex defectu hujus Sacrificii, sed remissa ac finita eorum, pro quibus offertur, dispositione promanat. *Quamvis* (ait sanctus Thomas 3. *Part. Quæst.* 79. *art.* 5.) *hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria pro illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.*

Recte proin plura pro pluribus, imo & pro uno offeruntur Sacrificia; quia devotio major in secunda vel tertia applicatione illi, pro quo offeruntur, inesse potest; Deique augeri cultus, cui mystica proprii sui Filii oblatione gratius est nihil. Hancque ob causam nefas foret, pro pluribus, qui stipendia præbuerunt, unicum Missæ Sacrificium offerre. Damnabilis ista est praxis, intentioni fidelium, & legi ecclesiasticæ inimica; gravemque restitutionis obligationem parit, nec ullus pius, & doctus est Sacerdos, qui eam non detestetur (*a*).

Nec

(*a*) Contra hanc praxim declaratio prodiit a sacra Congregatione Cardinalium anno 1625. sub Urbano VIII. Specialem quoque Bullam *Nuper* contra eam anno 1697. Innocentius XII. vulgavit. Alexander VII. has insuper proscripsit propositiones: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti respondentem, idque post Decretum Urbani VIII.*

est

Nec minus vituperanda illorum avari qui plura Missarum stipenda coadcervant, qu nonnisi post longum temporis tractum satisfac queunt (*a*), vel qui ut se exonerent, alios gendas Missas committunt, ac stipendia tra sed diminuta, porosis aut spongiosis vasis si limi, quæ infusum in se liquorem, numer totum, ac eadem in mensura reddunt. Ast quoque restitutioni sunt obnoxii, quia nullu ob quem juste sibi quidquam reservent, unde habent (*b*).

---

est num. 8. Item: *Non est contra justitiam pluribus Sacrificiis stipendium accipere & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem etiamsi promittam promissione per juramentum firmata danti stipendium, quod pro nullo offeram.* Est Num. 10.

(*a*) Qui Missam pro *instante* necessitate e.g. agonizante, pro felici partu &c. petitam juxta communem graviter peccat, & damnum sive spirituale, sive corporale cutum reparare; sed & stipendium restituere netur. Missas vero pro *communi* necessitate pro defunctis applicandas aliquo sed nonnihil *dico tempore* differri posse sacra Congregatio Urbano VIII. determinavit. Hoc *modicum pus* quidam ad duos Menses; aliqui ad tres ses extendunt. Ast quo fundamento haud video. Nam S. Congregatio (prout Card. Perfector Tract. XIV. §. 14. testatur) d. Julii 1653. proposito denuo hoc dubio respo *Modicum tempus intelligi infra mensem.*

(*b*) Fuerunt, qui avaritiæ ac cupiditatis patroci in se suscipere, & docere non erubuerunt:

Plures alios, qui circa Missarum stipendia & applicationes irrepunt, abusus persequi otium non est mihi, quivis enim Sacerdos Dei legem edoctus & Pontificum circa hoc Sancita animo revolvens, quid licitum, quidve illicitum sit, facile perspicier. Ab avara stipendiorum coadcer-

---

Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. Ast hanc Thesin num. 24. una cum aliis Alexander VIII. damnavit. Id ipsum, Decreto 30. Junii anno 1741. dato, Clericis sub pœna suspensionis, & Laicis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Papæ reservatæ Benedictus XIV. prohibuit. Tribus tamen in casibus licite quidquam de stipendio reservatur. 1. Si pinguius stipendium datum est unice in gratiam accipientis, puta quia hic amicus, consanguineus est. 2. Si stipendium ex Beneficio fluat juxta declarationem congregationis Card. sub Urbano VIII. 3. Si alter non mere acquiescat, aut utcumque consentiat (nam hoc juxta Pontificum Decreta non sufficit); sed proprio motu ac liberrime se offerat ad inferius, aut infimum acceptandum stipendium; quod tamen raro contingit. Hic quoque animadvertendum, nonnisi ad cordatos, ac aliunde probatos viros superflua Missarum stipendia esse transferenda. Promiscua siquidem in quosvis alios stipendiorum translatio non solum fidelium, qui stipendia præbent, intentioni est contraria, sed & ipsi Sacerdoti transferenti admodum periculosa, ac nociva; quia si substitutus infidelis sit, & applicationes négligat; ipse substituens id postmodum resciens, aut fundate dubitans, defectum supplere, & omissas ab illo Missas legere tenetur; eoquod ipsi, & non alteri sti-

cervatione præprimis Parochi debent abstinere ne dum pro aliis Missas offerunt; suarum ovium obliviscantur. Sicut Dominicis diebus, Festisque Missæ parochiali interesse parochiani tenentur (*pag.* 323. *& seq.*), ita ex Tridentini Decreto *pro his Sacrificium offerre* Parochus obligatur (*Sess.* 23. *de Reform. c.* 1.). Redituum tenuitas licet quoad aliquid, non tamen quoad totum Parochos ab hac obligatione eximit, quemadmodum vir, qui pauperem duxit uxorem, quamtum potest liberis providere debet, eisque congrua præbere alimenta (*a*).

Locus, ubi Missa celebretur, ab Ecclesiæ exordiis semper sacra, ac specialiter ad hoc de-

---

stipendia a petente fuerint concredita. Per hoc in simili. Dum enim Titius absque [illegible] creditoris consensu, Cajo summam tradit, [illegible] solvendam; Cajo non solvente, adhuc Titius tenetur: ita in casu &c.

(*a*) Die 8. Februarii a. 1716. sacra Congregatio Concilii propositis infra scriptis dubiis: 1. An Parochi non habentes congruam teneantur saltem re Missam pro populo saltem in diebus Festis ita ut sint cogendi in casu &c. 2. An Parochi habentes pingues redditus teneantur quotidie Missam applicare pro populo &c. Respondit affirmative, censuitque observanda esse Decreta, aliàs hac de re edita; ad secundum negative, & hujusmodi dubia non amplius proposita mandavit. Ita ex Berlendi refert Amort (*Tom.* 14. §. 4. *num.* 16.). Hancque Parochi obligationem Juris divini esse asserit, ac contrariam sententiam post tot Congregationis Decreta [illegible] nino improbabilem.

putata domus fuit. Dira persecutione hæc interrupta consuetudo fuerat; reddita tamen Ecclesiæ pace denuo renovata. Unde in Jure Sylvester Papa decrevisse legitur: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit Sacerdotii*, id est nisi voluerit incurrere pœnam suspensionis (Can. *Nullus* dist. 1. *de Consecrat.*). Hancque prohibitionem Tridentinum nuper Concilium innovavit (*Sess.* 22. *de observandis* &c.). Cum Episcopi tamen licentia in privato quodam oratorio celebrari Missa potest (*a*); imo etiam sine expressa licentia dici

(*a*) In ejusmodi Oratoriis tot præcise dici Missæ possunt; tot & illæ solum personæ certis diebus Missam audire, quot, & quæ in concessionis Instrumento sunt designatæ; nec plures. Porro citato Tridentini Decreto privilegium super altare portatile in quovis honesto monasterii loco celebrandi Regularibus demptum non esse P. Billuart tenet; eoquod Concilii prohibitio *de domibus privatis, & omnino extra Ecclesiam sitis* procedat, sub quibus in Jure Monasteria intelligenda non veniunt. Oppositam sententiam, & fors probabiliorem P. Amort tuetur, eamque probat ex *Annotationibus* Benedicti XIV., qui *num.* 46. ait: *Sicut sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, Concilium Tridentinum derogavit privilegio Altaris portatilis, quod habebant Regulares* &c. Eodem in loco Clementis XI. Decretum, anno 1703. d. 30. Decembris editum, refertur, in quo ista habentur: *Quod vero ad Altare portatile* (attinet) *iterum inhærendo declarationibus superadditis, censuit licentias seu privilegia concessa nonnul-*

dici valet Missa sub dio 1. Si Ecclesia sit diru aut igne absumpta. 2. Si nulla in propinq adsit Ecclesia (Cap. *concedimus* 30. ibidem 3. Si præsens Ecclesia numerosum capere pop lum non possit, multique non audita Missa re re deberent.

Multa adhuc de Missa dicenda occurrerent quæ a variis Auctoribus erudite sunt pertract ta, ad quos Lectores remittimus. De Ordi tionis quoque Sacramento speciales quidam p stant libelli, quos ordinum Candidati imp volvere debent, ne imparati ac minus habent in Examine inveniantur.

---

lis Regularibus (Cap. *in his. De Privilegiis & per aliquos summos Pontifices aliis Regularib communicata utendi dicto Altari portatili, u celebrandi absque Ordinariorum licentia in l in quibus degunt omnino revocata esse per Concilium.* Idem postea in Concilio Romano firmavit Benedictus XIII., utque contra Re lares, *qui in privatis, ubi dorminnt, c celebrare pergunt, tamquam Sedis Apostolic legati censuris etiam ecclesiasticis procedant*, gice Episcopos admonuit (Tit. 15. c. 2.).

TRACTATUS VI.

DE POENITENTIA.

Pœnitentiæ Sacramentum est secunda post naufragium tabula, cui amissa, quam in Baptismo acceperat, innocentia fidelis homo debet adhærere. Verum nostro ævo propter hominum impœnitentiam, & propter pravam quorumdam Casuistarum doctrinam, alterum potius naufragium est dicenda, eo periculosius, quo magis occultum; vel balneum est appellanda, quo non terguntur sordes; sed augentur; aut remedium, quo morbus tegitur, non sanatur. Fortasse numquam pari frequentia ad hoc Sacramentum suscipiendum fideles convenere, sed minor numquam morum emendatio apparuit; quæ enim major umquam in fidelibus inconstantia fuit? Modo sua confitentur peccata, modo iterum peccant; modo se peccasse deflent, modo denuo deflendo committunt.

Plures novissimis hisce temporibus circa hoc Sacramentum disputationes sunt excitatæ, quas hic nolo examinare. Operæ pretium facturum me arbitror, si sancti Tridentini Concilii doctrinam proponam, qua exacte & perfecte hujusce

Sacramenti natura, virtus, & praxis traditu
quæ doctrina si puro, simplicique animo legan
omnes in hoc negotio difficultatum ambages
cile evanescent.

SECTIO I.

DE NECESSITATE, INSTITUTIONE AC ESSENTIA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Concilii Tridentini Doctrina.

*Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erg
Deum esset, ut justitiam in Baptismo in
beneficio & gratia susceptam constanter tuerentur
non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacra
mentum ad peccatorum remissionem esse institutum
Quoniam autem Deus dives in misericordia cog
novit figmentum nostrum; illis etiam vitæ re
dium contulit, qui sese postea in peccati servitu
tem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacra
mentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis ips
Baptismum beneficium mortis Christi applicare
Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, q
se mortali aliquo peccato inquinassent, quam
tempore ad gratiam & justitiam assequendam n
cessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramen
ablui petivissent, ut perversitate abjecta & emen
data tantam Dei offensionem cum peccati odio
pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta*

git: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Porro nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit, in discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans & recipiens damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent (Sess. 14. cap. 1.).*

Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præter-

quam quod materia & forma, quibus Sacram[illegible] essentia perficitur, longissime dissidet: constat [illegible] te Baptismi ministrum judicem esse non oport[illegible] cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, [illegible] non prius in ipsam per Baptismi januam fu[illegible] ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? Secus [illegible] domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit: [illegible] hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante [illegible] tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius præterea est Baptismi, & alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tam novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ [illegible] post Baptismum ad salutem necessarium, ut [illegible] dum regeneratis ipse Baptismus (Sess. [illegible] cap. 2.). En oraculum Spiritus sancti [illegible] prolatum, jam sit Reflexionum

CAP[illegible]

CAPUT I.

Virtutis Pœnitentiæ notio, & diviſio.

Pœnitentia, prout hic ſumitur, animi eſt dolor ob admiſſum ſcelus Dei cauſa conceptus, qui non raro exterius ſe prodit, certosque ad vindictæ actus pœnitentem impellit. Interna proin ac externa diſtingui pœnitentia poteſt, non quaſi duæ ab invicem diviſæ forent ſpecies; ſed quia adunatæ unam conſtituunt virtutem, quæ ad juſtitiam reducitur, quia honorem peccato ſublatum, Deo quodammodo iterum reſtituit. Hinc non modo in veteri, ſed & nova lege illam lapſis Deus præcepit, prout textus, a Tridentino Concilio adducti, clare oſtendunt.

Statim ac peccatum hominem inquinavit, Virtutis Pœnitentiæ exercitium incæpit, nec niſi viribus gratiæ peragi umquam potuit. Unde Jeremias ait: *Converte me & convertar; quia tu Domine Deus meus. Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam* (*Cap.* 31.). *Si quis dixerit* (ait Tridentinum *Seſſ.* 6, *can.* 3.), *ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, anathema ſit.*

Ex his, quæ modo attulimus, non ſolum Pœnitentiæ ac divinæ gratiæ intelligitur neceſſitas, ſed & gradus cernuntur, quibus perfectam ad Pœnitentiam peccator pertingit. Homo enim

divina gratia illuſtratus. 1. Suum agnoſcit peccatum. Tum 2. divinæ Juſtitiæ timore, adhuc ſervili, concutitur. 3. Miſericordiæ conſideratione concipit ſpem in Deum. 4. Hinc ceu totius bonitatis originem diligere incipit. 5. Ex hoc amore prodit vehemens dolor de praeteritis, propoſitum de futuris, ſimulque parata ſatisfaciendi voluntas. Cumque hoc modo cor hominis averſum fiat a creaturis, ac conver-ſum ad Creatorem, non poteſt Deus ſe non convertere ad hominem, juxta illud: *Convertimini ad me . . & ego convertar ad vos* (Zach. ſequitur gratiæ infuſio, hominis juſtificatio, nova illius in Dei Filium adoptio, qua melius, ac dignius reſpectu creaturæ cogitari, ac dici poteſt nihil. Hæc, a nobis dicta, homini jam baptizati converſionem concernunt; ad infidelium converſionem Tridentinum Concilium alio in loco; videlicet Seſſione 6. Cap. 6. *De Juſtificatione* pulcherrime ita explicat: *Disponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes a divinæ Juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod*

detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante *Baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata* &c. Studio prolixum non nihil Concilii textum adduximus; partim ut quorumdam Casuistarum, qui quovis dolore videntur contenti esse, confundatur doctrina; partim ut genuina veræ Pœnitentiæ innotescat genesis, atque virtutum, quæ Pœnitentiam circumstant, comitatus conspiciatur. Salutarem hanc doctrinam suis parochianis sæpius suggerere Parochi debent, eosque instruere, qua ratione ad Patrem luminum confugere, Pœnitentiæ gratiam petere, ac gradatim ad veram Pœnitentiam oporteat pervenire.

Ut virtuti Pœnitentiæ fideles assuefiant, multum omnino interest; eis quippe in circumstantiis peccator multoties de vita periclitatur, ubi nullus, qui Pœnitentiæ Sacramentum administret, Sacerdos adest: unde si virtutis pœnitentiæ exercitium non calleat, jam nullum quo salutem consequatur, pro ipso supererit remedium. Veræ Pœnitentiæ ideam, ac perfecti doloris actum postea trademus (*a*).

CAPUT

(*a*) Hic duæ sequentes, quas summa Sedes protrivit, notandæ sunt propositiones: *Per contritionem, etiam cum caritate perfecta, & cum vero voto percipiendi Sacramentum non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Est 71ma. inter Bajanas a S. Pio V. & Gregorio XIII. damnatas. Item: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato*

CAPUT II.

Sacramenti Pœnitentiæ notio, materia, forma, Miniſter.

Semper, ut diximus, Pœnitentiæ extitit virtus; Sacramentum autem Pœnitentiæ primum a Chriſto fuit inſtitutum. Moſaica in lege jam quædam propitiationis erant Sacrificia, ac hoſtiæ pro peccato; quibus Doctores multi quamdam Sacramenti rationem tribuunt. Aſt ſicut lex, ita & illius Sacramenta umbraticæ legis Chriſti, ejusque Sacramentorum figuræ fuerunt, prout ſanctus Auguſtinus ſupra (*pag.* 378.) laudatus pulchre advertit.

Eſt itaque Pœnitentia Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittenda per actus pœnitentis, & abſolutionem Sacerdotis.

Hanc qui bene definitionem conſiderat, facile Pœnitentiæ Sacramenti materiam, formam, & miniſtrum cognoſcet. Actus pœnitentis locum materiæ tenent, ſuntque dolor, confeſſio, ac ſuperveniens ſatisfactio. Ea, quæ Sacerdos pro-

---

to originali. Eſt 19na inter proſcriptas ab Alexandro VIII. Solis igitur poſt Baptiſmum lapſis neceſſaria eſt pœnitentia, quæ ſi perfecta ſit, etiam abſque Sacramento actu ſuſcepto in neceſſitate juſtificat; non tamen ſecluſo Sacramenti voto, prout clare Tridentinum definiit. Porro an & ubi contritionis præceptum obliget ex iis, quæ ſupra (*Part. I. pag.* 354., & ſeq.) ſunt dicta, & quæ adhuc dicentur, erui poteſt.

profert, absolutionis verba per modum formæ se habent, ipseque formam proferens Ministri munus gerit, atque vices illius subit, qui suos ad Apostolos, eorumque successores dixit: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* 20.). Exhomologesis, quam nonnullos apud Diaconum feciſſe sanctus Cyprianus testatur (*Epist.* 12. *ad Presbyt. Carthag.*), non sacramentalis sed publica erat, solemni quodam in ritu consistens, quo graviorum criminum rei humiliati ac prostrati se coram Episcopo, vel hoc absente, coram Presbytero sistere debebant, atque manus impositione Ecclesiæ reconciliari. In casu, quo nec Episcopi, nec Presbyteri erat copia, hanc reconciliationem facere, & pacem dare Diaconis erat permissum.

Præcipuus hujus Sacramenti effectus peccatorum post Baptismum commissorum remissio est. Peccata non deleri, sed meritis Christi quasi velo tegi hæretici asserunt. Ex perverso isthoc dogmate aliud deducunt; Ministri videlicet absolutione non peccata dimitti, sed in Christum confidentibus, imposterum non amplius imputanda annunciari. Utrumque errorem Tridentinum Concilium damnavit (Sess. VI. *de Justificat. can.* 11. 12. 13. 14. & Sess. XIV. *de Pœnit. can.* 9. 10.). Licet autem unum mortale peccatum non possit remitti sine altero, eoquod caritas & gratia in Dei inimico non valeant consistere, potest tamen remitti, & sæpe remit-

remittitur peccatum grave quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ, quin remittatur quoad reatum pœnæ temporariæ vel quia remissior in pœnitente fuerat dolor, vel quia insufficiens Deo præstita satisfactio. Id denuo contra hætrodoxos Tridentinum definiit (*Sess.* 6. *can.* 3.) multisque ex Scriptura exemplis evincitur. Davidi pœnitenti Dei jussu Nathan nunciavit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*; & tamen subjunxit: *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur* (2. *Reg.* 12.). En, quam accurate culpæ remissionem ab illa pœnæ temporalis relaxatione Propheta distinguat. Plura alia sacræ Scripturæ testimonia, ac Traditionis momenta apud Dogmaticos vide.

Præter peccatorum remissionem, ac gratiæ infusionem adhuc fructus alios, eosque sat prætiosos Pœnitentia producit. Quos enim homo peccando amiserat virtutum habitus, pœnitendo recuperat, & merita per peccatum mortificata, iterum reviviscunt; quamtumvis honesta opera, in peccati statu facta, ab æterna exclusa maneant retributione. Conscientiæ sedantur remorsus, & mens, veniæ spe erecta, tranquillam salutis semitam tenet. Hæc iis, qui pœnitentiam procrastinant, peccatoribus sunt exponenda, ut, dum hinc peccati ærumnas, illinc pœnitentiæ spectant emolumenta, quam dudum proposuere, tandem exequantur conversionem.

His jam succincte de Pœnitentiæ notione &c. præmissis, adhuc speciales, quæ de illius actibus,

bus, contritione nimirum, confessione, & satisfactione, nec non de ministro occurrunt, sunt dilucitandæ quæstiones. Id in iis, quæ sequuntur, Sectionibus stylo succincto præstabimus, prævia semper Tridentini Doctrina.

SECTIO II.

DE CONTRITIONE.

Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius; & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, quibus prævaricati estis; facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit, Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes

omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; & *alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando caritati perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sive Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed & falso docent, Contritionem esse extortam, non liberam & voluntariam (cap. 4.).* Sit Reflexionum

CAPUT

CAPUT I.

Contritionis perfectæ Idea atque utilitas.

Contritio, uti ex Tridentino didicimus, animi est dolor, ac comissi peccati detestatio, cum proposito non peccandi de cætero. Duplex ab eodem Concilio contritio distinguitur: *perfecta* una; *imperfecta* altera. De hac diversa sunt Doctorum placita, quæ sequenti capite expendemus: de illa uniformior invenitur doctrina, quæ tota circa contritionis originem, objectum, latitudinem, ac intensionem versatur.

Contritionis *originem* ipsa ejusdem notio manifestat. Definitur enim quod sit dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum cum proposito non peccandi imposterum. Ex amoris itaque visceribus perfecta contritio prodit; non enim tantummodo, ut amatus honoretur, sed etiam ut offensus ille denuo placetur, amor urget. Non igitur ipse formalis ac nudus amor, sed actualis, ac formalis dolor, interna displicentia, & animi afflictio ex Dei amore oriunda perfectam contritionem constituit. Oportet insuper, ut non ex mero naturali Dei amore, sed supernaturali procedat, sicque fidei, spei, ac divinæ gratiæ, uti supra diximus, requiritur influxus.

Objectum contritionis duplex concipi potest: unum *aversionis* ac detestationis, videlicet peccata, quæ post sufficiens examen memoriæ occurrunt: alterum *prosecutionis*, ac desiderii; videlicet oppositæ virtutes, & leges, harumque auctor

auctor Deus. Contritio, quæ isthoc proposito caret, vana est, illique puerorum similis, qui commissos hinc inde excessus sibi remitti flentes rogant, vixque remissos rursus committunt. Non mere virtuale, aut implicitum sufficere, sed regulariter explicitum hujusmodi propositum requiri, ex Concilii verbis clare colligitur, quemadmodum enim contritionis, ita & propositi meminit, inquiens: *Dolor . . cum proposito non peccandi de cætero . . & voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

Universalis, efficax, ac *absoluta* contritio sit oportet. Super omnia, quæ perpetrata sunt, peccata mortalia se debet extendere, omnemque ad quodvis grave peccatum excludere affectum. Exclusio ista tunc rite fieri censetur, dum non solum peccata, sed & occasiones proximæ, imo & propinguæ non necessariæ, in quibus homo sæpe labitur, vitandæ proponuntur, simulque remedia, quæ relapsui obstant, prompto assumuntur studio. Ne illi, qui venialibus dumtaxat peccatis sunt inquinati, contritionis ac propositi efficacia careant, ad minuendum saltem numerum, aut unum præ reliquis emendandum peccatum intendere, atque conari debent, aliorumque actualem, quamtum possunt, excludere affectum.

Ut Contritionis dolor *vehemens* sit ac *intensus* est necessum. Casuista quidam quærit; an peculiaris aliquis doloris gradus ad contritionem sit necessarius? Et respondet negative; quia, inquit sacræ Litteræ, & sancti Patres remissionem peccato-

catorum illi promittunt, qui per veram contritionem ad Deum convertitur; nec contritionis gradum ullum assignant, qui idcirco nullatenus est definiendus. At Propheta Joel ait: *Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro* (*cap.* 2.). *Samuel vero ita loquitur ad universam domum Israel dicens: Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, eruet vos de manu Philisthiim* (1. *Reg.* 7.). In Deuteronomio quoque est scriptum: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ* (*cap.* 4.). Porro si quis *in toto corde, & tota animæ tribulatione* ad Deum convertatur, sane contritionis non est limitanda mensura; nam qui toto corde convertitur, conteri amplius, & dolore nequit. *Plangis mortuum* (inquit sanctus Augustinus *Serm.* 65., *nunc* 13. *cap.* 4.), *plange peccatorem magis, plange impium, plange infidelem.* Et sanctus Cæsarius ait: *Sic lugeamus extinctam nostram animam quomodo alienam carnem mortuam plangimus* (*Serm.* 37. *de Sanctis.*). Quamtum itaque quis potest, tamtum de peccatis conteri debet, etiam adusque lacrymas. Neque tamen si hæ desint, ceu inanis ac ficta est spernenda contritio, non enim his, quæ foris parent, sed quæ in corde latent, Deus placatur. Segnities omnis est arcenda; nec tamen indiscrete aut violenter nimis contritionis procuranda intensio (*a*).

CAPUT

(*a*) Revideatur Textui suppositа Nota de amore Dei intensive, & appretiative summo (*Part. I. p.* 342).

CAPUT II.

Contritionis imperfectæ notio & necessitas.

Contritionem imperfectam, seu attritionem Sacramento Pœnitentiæ junctam ad impii justificationem sufficere omnes, qui Tridentini Concilii oraculum reverentur, orthodoxi Doctores tenent. In quonam autem actu hujusmodi attritio consistat; multis jam annis agitata est quæstio, & necdum plene decisa. Ut nimis laxa, ac improbabilia a magis receptis secernamus

Supponimus 1. ad veniam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam necessario requiri dolorem *verum*, ac *realem*, & non, prout quidam Auctor docet, sufficere existimatum, aut putatitium; quia alias peccatoris justificatio ab ejus errore penderet, & a falsa opinione, quam habet, veri doloris de Dei offensa; & Dei Justitiæ satisfaceret, si ei satisfeciſſe falso existimaret.

Supponimus 2. contra alios quosdam Casuistas non sufficere, si quis doleat se non satis dolere; aut si genuini doloris dumtaxat voluntatem habeat, aut si doleat, se talem non habere dolorem, qualem ipse velit &c. Non enim voluntas doloris, aut intentio est ipse realis dolor, sicut nuda voluntas servandi mandata, non est ipsa mandatorum observatio.

Supponimus 3. non sufficere attritionis dolorem naturalem, sed *supernaturalem* requiri (a). Non

(a) Naturalem peccati horrorem, aut de eo dolorem *honestum* esse patet ex sequente, quam num.

Non autem vana, aut erronea existimatio, prout quidam Auctor docet, dolorem supernaturalem efficit, sed gratiæ influxus, illudque motivum, quod peccatorem impellit, ut peccata detestetur, aut emendationem proponat. Jam quodnam illud motivum sit, graves utrimque Auctores disceptant.

Dolorem ex metu gehennæ seu pœnæ æternæ conceptum in Sacramento ad justificationem sufficere multi etiam graves Auctores docent; suamque opinionem Tridentinæ Synodi definitione muniunt, quod de hoc dolore loquens ita fatur: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Major Theologorum pars hanc ex metu gehennæ factam attritionem honestam utilem, imo & supernaturalem esse fatetur (*a*); ea vero sola

---

num. 7. Alexander VIII. damnavit propositione: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu:* esse vero *insufficientem* ex hac ab Innocentio XI. num. 58. damnata colligitur: *Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam.*

(*a*) Gehennæ timor supernaturalitatem (sit venia verbo) ex fide haurit; nam infernum esse, Deumque non expiata crimina pœnis æternis punire divina ex revelatione novimus. Hinc Alexander VIII. hanc numero 14. proscripsit Thesin: *Timor*

sola absque omni Dei amore, saltem inchoato, ac imperfecto hominem, qui Sacramentum suscipit, ex peccatore justum reddi, constanter negat. Ubique enim divinæ Scripturæ veram hominis conversionem absque exceptione dilectioni tribuunt. *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit* (*Luc. 7.*). *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema* (*1. Cor. ult.*). *Qui non diligit manet in morte* (*1. Joan. 3.*). Textus alios plures tam ex sacris Scripturis, quam ex sanctis Patribus supra (*Part. I.*) adduximus, ubi ostendimus 1. ex solo inferni timore perfecte non agi (*pag.* 158.), 2. perfectas virtutes absque caritate acquiri non posse (*pag.* 136.); nec bona opera, prout oportet, fieri (*pag.* 152.); unde ne actum reagamus, Lectorem illinc remittimus.

Ratio, qua hæc sententia nititur, nostro quidem judicio fortissima, hæc est: Homo adultus, dum peccat, propriæ voluntatis motu a Deo summo Bono avertitur, seque ad res caducas convertit: propriæ igitur voluntatis actu a crea-

---

gehennæ non est supernaturalis. Item num. 15. istam: *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Ab aliud est dolorem *supernaturalem* esse, aliud esse *sufficientem:* primum a fidei motivo accipit: alterum ex proprio talique motivo, quo cor hominis aversum saltem initiative, ad Deum convertatur, quod uti in textu probatur, solus pœnæ timor efficere haud potest.

creaturis pœnitens recedat, & ad Deum ſuum ultimum finem ſaltem imperfecte ſe convertat, eſt neceſſe. Hæc autem converſio, utut imperfecta, nonniſi Dei amore, ſaltem inchoato, fieri poteſt; non enim timor ſe ipſo mentem ad Deum vertit, ſed quod ſibi nocivum cognovit, pœnæ malum refugit, utque apta, queis pœna evitetur, media apprehendat, unice occupatur: amorem itaque quemdam ſaltem imperfectum, qui Sacramento & ſanctificante gratia perficiatur, converſioni involvi, atque proxime ad eam diſponere omnino eſt dicendum.

Neque huic noſtræ ſententiæ Tridentini Concilii definitio obeſt, nam iis, quæ in ſui favorem Adverſarii allegant, verbis diſpoſitio ſolum remota denotatur; eadem enim Synodus, cum de proxima ad juſtificationem diſpoſitione loqui intendit, una cum fide, & ſpe etiam dilectionem recenſet; atque definit: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit* (*Seſſ.* 14. *can.* 3.). Alio etiam loco, ubi de juſtificatione per Baptiſmum obtinenda Concilium loquitur, ceu præcipuam diſpoſitionem Dei dilectionem adducit, aitque: *Illum* (Deum) *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; & propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem* &c. (*Seſſ.* 5. *cap.* 6.). Si dilectio inchoata tamquam diſpoſitio Baptiſmum debet præcedere; cur non & Pœniten-

riam, quæ laborioſus Baptiſmus a ſanctis Patribus dicitur?

Multo minus illa, quam adverſa pars adeo extollit, objectio nocet, qua dicunt, fruſtraneum Pœnitentiæ Sacramentum fore, nec unquam ſuam juſtificationis gratiam conferendi poſſe exercere vim; cum illam, quæ præceſſit, Dei dilectio ſemper jam induxiſſet: hæc enim de perfecta, non imperfecta, aut inchoata, qualem nos requirimus, dilectione ſunt vera, quæ nonniſi cum Sacramento juſtificat. Imo absque Sacramenti voto nec ipſa perfecta caritas Chriſto ſic volente gratiam confert. *Eſt* (ait Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 4.) *Contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

Attritio proin ſeu imperfecta contritio, æque ac perfecta, ex Dei amore oritur, nec niſi ſola amoris intenſione minore ab iſta differt: unde quæ de perfecta contritione prius (*pag.* 431. & ſeq.) ſunt dicta, de imperfecta quoque ſunt intelligenda. Cumque hæc noſtra opinio, ſi non probabilior, ſaltem tutior ſit, magisque pœnitentium ſaluti faveat (*a*), quotquot juſto zelo animantur, Confeſſa-

(*a*) „ Si autem optas (ait P. Cunilati Ord. Præd. „ modeſtiſſimus æque ac eruditiſſimus Scriptor „ Theol. Moral. *Tract.* 14. *cap.* 4. §. 3. *num.* 10.) „ vide-

fessarii, & Pastores eam practice debent servare, talesque contritionis formulas suis discendas tradere, quæ a pœnarum timore ad Dei amorem transitionem contineant, atque in pœnitentium cordibus timori amorem suaviter faciant succedere.

„ videre hanc veritatem ab imis fundamentis „ ex Concilii mente demonstratam, legas Tractatum *De Doctrina Concilii Tridentini circa dilectionem in Sacramento Pœnitentiæ requisitam* &c. „ Compositum latino idiomate a summo illo Viro „ Illustrissimo, & Reverendiss. Jacobo Benigno „ Bossueto Episcopo Meldensi, Parisiis impressum . . in quo rationabiliter idem Bossuetus „ docet, hanc sententiam esse in praxi dubio „ procul tenendam præcipue post damnatam ab „ Innocentio XI. Thesin 1., qua tradebatur, „ licitum esse in conferendis Sacramentis sequi „ opinionem probabilem de valore Sacramenti, „ relicta tutiore &c.; atqui hic agitur de valore „ Sacramenti, cum agatur de parte essentiali „ ejusdem, nempe de materia proxima; igitur „ hæc erit opinio tenenda, quæ nædum est tutior, verum etiam longe probabilior, utpote „ menti Concilii longe conformior.

SECTIO III.

DE CONFESSIONE.

Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur; nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam

quam recte & utiliter citraque omnem præsumtionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confessione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christifideles confiteri studeant, proculdubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere, unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed & impium est Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata con-

fiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccati detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Cæterum quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica essent Confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta Confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandata alienam, & inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Nequa enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christifideles confiterentur, quod jure divino necessarium & institutum esse intellexe-

runt,

runt, sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur; unde iam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tamquam pium & maxime retinendum (Trid. *Sess.* 14. *cap.* 5.).

Sit Reflexionum

CAPUT I.

Nonnullæ laxæ circa Confessionem recentiores sententiæ.

Ex Tridentini Concilii textu facile falsitas, & absurditas dignoscitur opinionum quorumdam Casuistarum, qui Spiritus sancti oracula evertunt, & Confessionis pessumdant integritatem.

Ait Casuista quidam, si quis ex ignorantia aut bona fide confuse peccata sua est confessus, nec ullum in particulari manifestavit, non oportere, ut horum enumeratio ab illius ore quæratur, quando commode fieri nequit, cum nempe magnus pœnitentium numerus Confessarium premit.

Alius sic pariter docet, si quis admodum rudis peccata sua tantum in genere confiteatur, posse Confessarium peccata post ultimam confessionem a pœnitente commissa solum inquirere, & anteactæ vitæ generalem & imperfectam cognitio-

nitionem sufficere, præsertim quando multi ad pœnitentes sunt audiendi.

Addit alius, si pœnitens ex ignorantia peccatum de se mortale tamquam veniale confiteatur, & hoc peccatum ex eadem ignorantia Confessarius veniale tantum existimet, non teneri pœnitentem hoc peccatum iterum confiteri, etiamsi veram ejusdem peccati naturam postea cognoscat; quia, inquit hic Auctor, non est necesse, ut Confessarius peccati qualitatem sciat, utrum veniale sit, an mortale.

Tradit idem Auctor, si pœnitens post diligentius examen nova peccata detegat, non teneri ipsum hæc confiteri; nec teneri eadem scribere, ut suæ memoriæ infirmitati succurrat.

Docet alius Casuista, si pœnitens absque præparatione & examine ad Confessarium accedens aliqua peccata in confessione omittat, validam nihilominus esse confessionem, nec teneri pœnitentem peccata omissa confiteri. Fatetur quidem oppositam sententiam esse tutiorem; suam tamen vanis pluribus rationibus stabilire conatur. Ait enim secus plures Confessiones esse damnandas; quasi malum id non esset, quod frequenter contingit; & quasi posset Confessarius suo muneri deesse, ut onus, quod in suis confitendis peccatis pœnitens debet subire, minueret.

Quoad circumstantias, quæ peccatum aggravant, vel ejusdem speciem mutant, iidem Casuistæ docent, has non semper esse necessario aperiendas.

Quoad

Quoad illas circumstantias, quæ peccatum notabiliter aggravant, quidam Vasquii opinionem contra Suarez secuti ajunt, non esse necessario confitendas; docet enim Vasquius Confessionis præceptum obligare solum ad peccata omnia mortalia confitenda, quod fieri potest, quin circumstantiæ aperiantur.

Casuista quidam ait, quamvis probabile valde sit circumstantias aggravantes esse declarandas, quia judicium Confessarii circa peccati gravitatem notabiliter mutant; tamen probabile adhuc esse, hoc onus non esse necessario imponendum. Addit non teneri blasphemum blasphemiæ suæ naturam declarare, sed sufficere si dicat quoties blasphemavit; nec necesse explicare, an in Deum, an in B. Virginem, an contra Sanctos blasphemaverit; sicut nec blasphemandi consuetudinem, quamtumvis longam, esse necessario declarandam.

Alius scribit, illum, qui præteritorum peccatorum, quæ jam confessus est, memoria delectatur, non teneri hæc peccata declarare, sed sufficere, si dicat, se veterum peccatorum memoria delectatum. Item illum, qui obscœnas admittit cogitationes, iisque delectatur, non teneri explicare, utrum harum cogitationum objectum fuerit mulier maritata, an religiosa, & satis esse, si dicat, se contra castitatem peccasse. Item illum, qui incestum commisit, non teneri consanguinitatis gradum explicare, utrum cum matre sua peccaverit, an cum consobrina; neque meretricem teneri declarare, utrum cum Sacerdote

dote peccaverit, vel cum Monacho profesſo neque Prælatum, aut monaſterii Præpoſitum, qui contra caſtitatem peccavit, teneri muneris ſui, aut dignitatis mentionem facere.

Docet alius, ſi Presbyter dum ſacram Eucharistiam defert, alterum calumnia, aut ſcurrili verbo lædat, vel rem alienam furto ſurripiat, aggravantem hanc circumſtantiam non eſſe neceſſario declarandam.

Alius aſſerit, non teneri pœnitentem peccandi conſuetudinem, & frequentem in idem peccatum relapſum declarare; & ſententiam, quæ docet hujusmodi pœnitentes abſolvi poſſe, rationi magis conſentaneam videri, & pœnitenti magis faventem. Item non teneri Confeſſarium pœnitentem interrogare circa peccandi conſuetudinem, niſi gravis interrogandi ratio adſit, quæ raro occurrit. Item non poſſe Confeſſarium pœnitenti abſolutionem negare, quando hunc novit peccandi habere conſuetudinem; ſed debere eumdem abſolvere, ſi de peccatis commiſſis doleat, & ſe emendaturum proponat.

Denique alius docet, non eſſe grave peccatum in Confeſſione mentiri, quando Confeſſarius pœnitentem interrogat; & ſi de veniali agatur peccato, mendacium eſſe tantum veniale; item neceſſe non eſſe, ut Confeſſio integra ſit quoad peccata alias confeſſa. Addit pœnitentem confiteri poſſe ſola venialia, aut aliqua ſolum ex mortalibus, neque huic Confeſſioni quamvis trunc & imperfectæ neceſſariam deeſſe integritatem, quæ ea ſolum peccata confiteri exigit, quorum

mali-

manifestatio Sacerdoti fieri potest, non autem ea, quorum celandorum aliqua adest ratio.

Hujusmodi errores omnes, aliique plures quos prætereo, peculiari non indigent confutatione; cum Concilii lex, quæ Confessionis integritatem præcipit, illos perspicue satis condemnet.

CAPUT II.

Confessionis notio, necessitas, materia, & modus.

Rejectis Casuistarum laxitatibus jam juxta quod nobiscum sanior Doctorum pars de Confessione sentit, breviter oportet exponere. Est igitur sacramentalis confessio externa, humilis, ac sincera sui accusatio de peccatis propriis, facta coram Sacerdote tamquam Judice, ad eorum remissionem virtute clavium obtinendam. 1. *Externa* debet esse confessio, videlicet ore, ac verbis peragi, quia non soli Deo, qui corda scrutatur, sed Dei loco homini, qui externa considerat, est facienda. 2. *Humilis*; quia superbis Deus resistit, nec eis largitur veniam. Istam confessionis notam aut ignorant, aut parum considerant, qui magno habitus, & animi fastu ad Confessionale veniunt, qui vanis phrasibus sua peccata enarrant, qui judicium suum Confessarii judicio renuunt subjicere, easque pœnitentias, quas ille imposuit, detrectant acceptare. 3. *Sincera* absque fuco, & dolo; tum quia invisibilis Judex Deus non fallitur; tum quia hæc delictorum

rum

rum Confessio non odiosa, sed favorabilis est, nec illi, qui sincere confitetur, ruinam, sed salutem affert (*a*). Ad hanc Confessionis notam illi bene advertant, qui nescio quas excusationes proferunt, ut sua errata minuant; qui frequenter alios magis, quam se ipsos accusant (*b*).

Confessionem omnibus post Baptismum in graviora lapsis Jure divino esse præceptam perspicuis verbis Synodus Tridentina docet; utque Novatorum qui præceptum hoc ceu mere humanum, ac recens introductum fugillant, confundatur temeritas, sancti Cypriani, qui sæculo tertio scripsit, adhuc addam de Confessione testimonium, sic autem ait: *Confiteantur singuli, quæso vos, Fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus Confessio potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Deum grata est* (*Lib. de lapsis c.* 12.).

De

(*a*) Quas hic in Compendio Auctor exposuit, alii distincte magis recensent Confessionis notas, sequenti inclusas metro:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

(*b*) Huic malo lepidum, satisque proficuum pharmacum quidam Confessarius præbuit, qui mulieri, postquam sæpius monita absque necessitate gravia mariti peccata suæ Confessioni immiscere non destitit, finita aliquando Confessione duplicem pœni-

De Tempore, quo hoc divinum præceptum peccatorem obliget, non omnes conveniunt. Hominem, qui in grave peccatum se lapsum novit, prima statim opportuna confitendi occasione ad confessionem obligari cum quibusdam sanctus Bonaventura tenet (*in* 4. *Dist.* 17. *Q.* 2. *art.* 2.); absque novo peccato per aliquod tempus, imo usque ad Pascha posse confessionem differri cum pluribus sanctus Thomas docet. *Differre* (inquit sanctus Doctor *Quodlibet.* 1. *art.* 11.) *Confessionem per se loquendo licitum est: sed per accidens potest fieri illicitum, puta, si immineat aliquis articulus, in quo Confessio requiratur.* Articuli, qui Confessionem exigunt, juxta communem sunt 1. periculum vitæ ex longo itinere, navigatione, prælio, morbo &c. proveniens, 2. alterius Sacramenti, quod statum gratiæ prærequirit, susceptio, 3. tentationis, vix aliter superandæ, exterminium. Cum igitur raro admodum omnes isti articuli longo tempore soleant abesse, raro, aut tumquam procrastinanda confessio est.

Materia Confessionis duplex ex Tridentini Concilii doctrina deducitur, una *necessaria*, omnia

---

pœnitentiam imposuit, mitiorem unam, rigidiorem alteram, simulque subjunxit: Prior pœnitentia tua concernit peccata: posterior gravibus mariti est proportionata delictis, quæ sicut loco ejus hucusque es confessa, ita loco ejus pro illis satisfacias. Plura de hoc dum de complice.

nia videlicet peccata mortalia tam quoad speciem & numerum: alia *libera*, nempe peccata venialia, & mortalia jam semel confessa, si nempe hæc novo rursus retractentur dolore. Sed quid de peccatis dubiis est tenendum? Suntne hæc libera, aut necessaria Confessionis materia? Omnes melioris notæ Casuistæ illa ad materiam necessariam reducunt. Unde, qui peccatum commisit, de quo dubitat, sitne veniale an mortale, illud tamquam dubium confiteri tenetur, idque a fortiori dicendum de illo, qui de peccato commisso est certus, solumque utrum illud rite confessus fuerit, adhuc dubitat. Ratio ex Judicii hujus natura petitur, quod non odiosum, sed admodum favorabile est, ad ipsum Rei salutem a Christo institutum (*a*).

Modus Confessionis præter ea, quæ antea diximus, adhuc nonnulla alia, vocalem nimirum suo-

(*a*) Licet peccata dubia confiteri teneamur, non tamen se solis sufficientem semper pro absolutione materiam præbent. Nam triplici sensu peccatum *dubium* dici potest. 1. Si sum certus, me grave peccatum admisisse, dubito tamen an illud jam rite sim confessus. 2. Si scio me peccasse, adhuc tamen dubito an graviter, anve leviter deliquerim. 3. Si scio aliquam actionem esse graviter peccaminosam, attamen fundate dubito, utrum illam revera admiserim. Peccata primo & secundo sensu dubia semper sunt sufficiens materia Confessionis, secus vero illa tertio sensu dubia; hæc enim esse possunt, & sæpe sunt nulla omnino peccata: unde nisi aliquod saltem veniale certum, alias jam confessum, iisdem addatur, tuto ac licite nequit proferri absolutio.

suorum peccatorum expositionem præsente coram Sacerdote factam, & humilem ab eodem absolutionis exigit petitionem. *Ex institutione Ecclesiæ* (ait sanctus Thomas *Quodlibet.* 1. Q. 6. *art.* 10.) *tenetur homo, qui potest, ut verbo confiteatur, non solum propter hoc, ut ore confitens magis erubescat, & quia ore peccavit, ore purgetur; sed etiam quia semper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus est communior usus.* Peccaret proin nædum pœnitens, qui ob solam erubescentiam Confessario scriptam mitteret confessionem, sed & Confessarius, qui ex hac causa eamdem acceptaret. Quodsi hic non solum absentis Confessionem legeret, sed & absenti absolutionem significaret, invalida hujusmodi absolutio foret, prout ex Clementis VIII. declaratione, & ipsa sacramentalis judicii notione erui facile potest (*a*).

Verbis

(*a*) Decretum Clementis VIII. ita habet: „ Die „ 22. Mensis Junii anno a nativitate Domini N. „ J. C. 1602. . . proposita quæstione; utrum „ liceat per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, „ & ab eodem absente absolutionem obtinere? „ Sanctissimus . . hanc propositionem, scilicet „ licere per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, „ & ab eodem absente absolutionem obtinere, „ ad minus falsam, temerariam, & scandalosam „ damnavit, ac prohibuit “. Suarez equidem cum nonnullis aliis hanc prohibitionem non copulative, sed solum disjunctive intelligendam esse docuit; adeoque adhuc hodie absenti Confessario licite posse Confessionem transmitti, non

Verbis perſpicuis, ac iis, quibus homines communius, & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt, in Confeſſione uti conveniat; nec voces, aut ſenſus ſunt intorquendi, quos Confeſſor non intelligit. Sed quid, ſi linguam Confeſſarii pœnitens non calleret, ſuamne hic Confeſſionem mediante interprete facere obſtringeretur. Diviſos hic Doctores invenio. Nonnulli in ſolo mortis periculo hanc obligationem ſtringere autumant, tuncque vel ſolum veniale, vel unicum mortale, ſpecialiter non infamans, expri-

---

tamen ab eodem abſente abſolutionem obtineat. Aſt hanc interpretationem nædum Clemens VIII. ſed & Paulus V. reprobavit, & dato die 14. Julii an. 1605. Decreto, eamdem ex ejus libris expungi juſſit. A ſacra quoque Congregatione iſtam interpretationem prohibitam fuiſſe de Lugo teſtatur (*Diſput. 17. num. 64.*). Unicus Bellarmino teſte a ſummo Pontifice exceptus fuit caſus, quo moribundus qui abſente adhuc Confeſſario confiteri, & abſolvi petiit, ab adventante Sacerdote poteſt abſolvi. Hæc dum attenta mente perpendo, mirari ſatis non poſſum contriam quorumdam praxim & doctrinam. „ Nihil audiunt libentius (ait Vir apoſtolicus N. *Cap. 2. art. 2. §. 1. num. 2.*) quam ſi doceas „ quod ſcribere poſſint Confeſſionem, tibique „ legendam tradere. Venient, poſtquam legeris, „ & dicent: *Accuſo me de his, quæ ſcripſi.* Ita „ erit Confeſſio vocalis, quod praxis exigit, „ nec adeo difficilis, quia littera non erubeſcit". Concilia, Patres, S. Thomas ſalutarem erubeſcentiam ex humili peccatorum Confeſſione ortam in vero pœnitente exigunt; & Vir hic apoſtolicus eamdem non modo extenuat, ſed quamtum poteſt in litteram & chartam transfert.

exprimendum esse ajunt; alii omnia, quæ conscientiam premunt, mortalia aperienda esse docent; cum inde sequens infamia, æternæ salutis præmio abunde compensetur. Alii ad alios quoque casus, quibus confiteri tenemur, hanc obligationem extendunt, quibus sanctus Thomas favet, qui (in 4. Sen. *dist.* 17. Q. 3. *art.* 4. Q. 3.) hæc scribit: *In eo, qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit, quod per scripturam, aut nutum, aut interpretem confiteatur . . . quia quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri.* Nec ullus, ut reor, de hoc monitus multum repugnabit, si Deum, suæque animæ salutem quærat, simulque quam arduus ac difficilis perfectæ contritionis sit actus, seria revolvat mente.

CAPUT III.

Quænam ad Confessionis integritatem requirantur.

Integritas duplex materialis nempe & formalis spectari in Confessione potest. *Materialis* habetur, dum de omnibus omnino gravibus peccatis, quæ post Baptismum commisit, atque necdum est confessus, secundum speciem, numerum, aliasque circumstantias pœnitens se accusat. *Formalis* datur, cum ea solum peccata, quæ post diligens examen memoriæ occurrerunt, coram Sacerdote exponuntur, utut mortale unum aut alterum, invincibili ignorantia, aut oblivio-

ne omittatur. Hæcque sufficit, licet ad illam priorem niti pro viribus teneamur.

Ut autem integritatem saltem formalem Confessio habeat; eam in conscientiæ discussione diligentiam adhibere pœnitens tenetur, qualem in aliis magni momenti negotiis adhibere solet, humenque ab illo petere, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Peracto rigoroso examine absque fuco aperienda sunt 1. Omnia peccata mortalia, ab ultimæ confessionis die commissa, tam quoad speciem, quam quoad numerum, quamtum fieri potest. 2. Peccata mortalia non solum certa, sed & dubia. 3. Peccata mortalia in ultima confessione invincibili ex ignorantia omissa (*a*). 4. Peccatorum circumstantiæ, nædum quæ speciem mutant, sed & quæ intra eamdem speciem notabiliter malitiam augent. 5. Peccandi habitus, malæ consuetudines, ac proximæ occasiones, saltem si confessarii consilium sit necessarium, aut hic expresse de illis inquirat (*b*). Ratio horum ex Tridentino Concilio petitur; quia nempe sine istorum expressione fieri nequit, ut confessarii qua judices de gravitate criminum recte cen-

(*a*) Opinionem contrariam in sequente propositione Alexander VII. damnavit: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum aut aliam ob causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Est num. 11.

(*b*) Thesin contrariam: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*, una cum aliis Innocentius XI. prohibuit. Num. 58.

enfere possint, & pœnam, quam oportet, pro iis imponere (*a*).

Ut peccati complex, seu socius exprimatur, confessionis sæpe integritas exigit; quia novam multoties turpitudinem, ac gravitatem malo actui addit. Et licet talis, cui complex sit ignotus, regulariter adiri Confessarius debeat, ubi tamen id fieri nequit, simulque confessionis præceptum urget, præsenti Confessario complicis qualitas

(a) Triplicis generis malitiam actui adjicere circumstantiæ possunt 1. Quæ speciem mutat. 2. Quæ intra eamdem speciem novo peccato mortali æquivalet. 3. Quæ peccati venialis limites non excedit. De circumstantiis, quæ venialem solum malitiam addunt, S. Thomas loquitur, dum eas *non de necessitate confitendas* docet (in 4. Sent. *dist.* 16. *q.* 9. *a.* 2.). Id clare ex ea, quam subjungit, ratione colligitur, ita enim pergit: *Cujus ratio est; quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent; & quia circumstantiæ, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis. Ita tamen eamdem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus est dictum.* Gradum affinitatis, aut consanguinitatis ab incestuoso in confessione exponendum esse idem S. Doctor (*Opusc.* 12. *q.* 6.) docet. His similia pluribus locis sua in summa habet (1. 2. *q.* 73. *a.* 9. *&* 2. 2. *q.* 61. *a.* 2. *&* 4.). Si autem aliquas aggravantes circumstantias in confessione exprimendas S. Doctor admittit, cur aliquas excipiat, jam non apparet, cum eadem pro omnibus ratio pugnet.

litas est aperienda, nec solius infamiæ timor excusat. Quodsi tamen sigilli violatio, aut aliud grave malum complici eventurum ex illius manifestatione pœnitens timeret, illius celare qualitatem posset. Ratio prioris; quia complex libere peccato consentiens jus perdidit ad famam pro foro interno servandam. Ratio posterioris quia cum tanto incommodo quis nec se ipsum coram tali confessario tenetur accusare, uti statim dicemus: ergo multo minus propalare alium (*a*).

Præ-

(*a*) Si pœnitens ex simplicitate forte complicem nominet, non peccat; monendus tamen est, ut ab hoc imposterum abstineat. At si Confessarius *in nomen, domum* &c. complicis inquirat, graviter peccat; quia curiosa hac quæstione pœnitentem ad infamandum proximum inducit, ac grave nonnumquam eidem scandalum præbet. Quodsi tenaciter adeo suæ quæstioni insistat, ut complicem nominare &c. renuenti absolutionem deneget, gravius adhuc injustitiæ peccatum superaddit, & juxta Benedicti XIV. Decretum ad Inquisitionem, vel officium esset deferendus, nisi forte & Confessarium simplicitas excuset. Neque zelosa, quam aliqui prætendunt, complicem monendi, ac convertendi intentio jus Confessario tribuit in complicem indagandi; dum enim Titii confessionem excipit, hujus præcise, non Titiæ complicis salutem immediate curare tenetur, sed ad summum *mediate*, injungendo nempe Titio, ut salutaria monita, ac remedia, ipsi suggesta, etiam Titiæ complici insinuet, utque apud eumdem, vel alium peritum Confessarium fere contrita confiteatur, precibus oportunis ac importunis instet. Hacque methodo & pœnitentis, & com-

Præceptum de confessionis integritate positivis accensetur legibus, quæ in arduis quibusdam casibus non obligant, dum nempe physica, aut moralis impotentia intervenit. Hinc a confessionis integritate excusantur 1. Muti, omnino surdi, terræ linguam non callentes, nec ullum, qui interpretem agat, habentes &c. 2. Præsenti naufragio, prælio, aut alteri mortis periculo expositi. 3. Fundate ac prudenter a Confessario, qui in præsenti necessitate haberi potuit, sigilli violationem aut aliud grave malum sibi timentes. 4. Morbo pestifero laborantes, qui in distanti audiri nequeunt, vel propter eos, qui in eodem cubiculo jacent, infirmos, vel propter vocis ac virium debilitatem. Hisce ac similibus in casibus sufficit, si unum, aut alterum grave peccatum exprimatur, aut omnino generica sui accusatio fiat, eo tamen proposito, ut quæ hic omissa sunt, peccata, quamprimum potuerint, distincte, ac sincere exponantur (*a*).

Qui

complicis saluti, quantum potuit, Confessarius providit. De hac re duplicem Constitutionem Benedictus XIV. promulgavit. Una, quæ incipit *Supra omnium* exstat in Vol. 1. Bullarii pag. 535. altera, cujus initium *Ubi primum* habetur Vol. 2. pag. 54. ubi videri possunt.

(*a*) Inter causas a confessionis integritate excusantes nonnulli magnum pœnitentium *concursum* posuerunt; at quam male, ex sequenti, quam num. 59. Innocentius XI. damnavit, propositione cernitur, quæ ita habet: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, vel Indulgentiæ,*

Qui grave peccatum voluntarie vel ex verecundia, vel quovis alio motivo insufficiente omisit, invalide est confessus, unde quæ tunc exposuit, delicta rursus alia in confessione exponere tenetur, atque de sua fictione dolere. Quodsi decies interea esset confessus, & quinquies solum de omisso aliquando peccato memoriam habuisset, quinque tantum confessiones necessario repetendæ forent; licet ad sedandam citius conscientiam omnium interim peractarum confessionum ex consilio Prudentum sæpe fiat repetitio.

Præter hanc, quam modo assignavimus, adhuc aliis ex causis anteactæ repeti confessiones debent. Causa præcipuæ sunt 1. Defectus dispositionis debitæ, puta contritionis, propositi, examinis &c. 2. Ignorantia etiam invincibilis Mysteriorum necessitate medii credendorum (*part. I. pag.* 240.). Incapacitas absolutionis ex censuris orta, a quibus pœnitens necdum erat absolutus. 4. Defectus jurisdictionis in ministro vel absolutus respectu omnium, vel respectivus, respectu quorumdam peccatorum, quæ sibi specialiter Papa, vel Episcopus reservant. De hoc postea plura.

SECTIO

SECTIO IV.

DE CONFESSIONIS MINISTRO.

Circa ministrum autem hujus Sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium pernicioſe extendunt; putantes verba illa Domini: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo; & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscue contra institutionem hujus Sacramenti ita esse dicta, ut quivis habeat potestatem remittendi peccata; publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam. Docet quoque etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tamquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Reflexionum

CAPUT

CAPUT I.

Confessionis Minister quis & qualis esse debeat.

Confessionis Ministerium solis Sacerdotibus competere ex Christi verbis (*Joan.* 20.), & Tridentini Concilii definitione discimus. Nec tamen obvius quivis Sacerdos exercere istud ministerium valet; speciali jurisdictione est opus, quam extra necessitatis casum, seu mortis articulum, nulli nisi in examine satis tentato, ac approbato Ecclesia confert. Potestatem equidem clavium sua in ordinatione quilibet Sacerdos accipit; hæc tamen ordinis potestas, a scholis physica dicta, adhuc alia morali, antequam in actum secundum exeat, perfici oportet, & compleri. Idque contingit, cum Sacerdos quidam aptus inventus ad officium promovetur puta parochiale, Episcopale &c. cui spiritualis Jurisdictionis potestas de jure est adnexa, vel cum specialem licentiam ab Ordinario accipit, ad excipiendas tali tempore, aut tali loco Diœcesanorum Confessiones. Unde duplex distingui Jurisdictio potest, una *ordinaria*, quæ Episcopis in suos diœcesanos, Parochis in parochianos, & Regularium Prælatis in suos Religiosos competit; alia *delegata*, quæ cœteris sive sæcularibus sive regularibus, quos Episcopus approbavit, in sublevamen Pastorum fuit collata. Amplior illa atque ab Episcopo extra suam diœcesim, aut Parocho extra parochiam circa suos pœnitentes exercetur; restrictior ista, & ultra, quam concessionis formula sonat, extendi nequit.

Multa

Multa subtilia circa jurisdictionis originem, extensionem & usum nonnulli Regulares sunt commenti, quorum tamen opinandi licentiam nædum Tridentinum Concilium (*Sess.* 32. *c.* 15.), sed & posteriores summi Pontifices reprobarunt. Potiora, quæ ex illorum Decretis eruuntur, & in quæ sanior Doctorum pars consentit, circa jurisdictionem sacramentalem hic adnotari consectaria debent.

1. Nullus Sacerdos sive sæcularis, sive regularis sæcularium etiam Sacerdotum excipere valide confessiones potest, nisi vel curatum Beneficium, vel specialem approbationem, atque licentiam ab Episcopo loci acceperit (*a*).

2. Sacerdotes etiam regulares, utut aliunde docti, si tamen ab Episcopo ex causa quadam sive justa, sive injusta repulsam sint passi, absolvere valide non possunt, hocque si attentent, excommunicationem, & irregularitatem incurrunt (*b*).

3. Ne

(*a*) Ante Tridentinum Parochi, quos voluere, Sacerdotes regulares ab Episcopo nondum approbatos tempore præprimis paschali ad excipiendas suorum parochianorum confessiones advocabant. Cui privilegio per Tridentini Decretum expresse fuit derogatum. Hæc quoque ab Alexandro VII. condemnata fuit propositio: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Num. 16.

(*b*) Etiam Professores, ac Doctores Theologiæ coram Ordinario, in cujus Diœcesi sæcularium confessiones excipere volunt, sese sistere debent, ac

3. Ne temere Judicis officium Sacerdos exerceat, eam de sua jurisdictione certitudinem debet habere, quæ prudens dubium excludat. Unde jurisdictio non mere præsumpta, aut minus probabilis sufficit; sed actu obtenta, ac moraliter certa requiritur.

4. Cum

---

ac licentiam ab illo obtinere; nec anteriora, utpote revocata, eisdem privilegia prosunt. Unde sequentes, quas Alexander VII. annis 1659, & 1665. prohibuit, notandæ sunt propositiones: *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare; quinimo Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, & si ab Episcopis Religiosi non approbentur, rejectio illa vim tantum, acsi approbatio concessa fuisset.* Item: *Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab Episcopo ad Confessiones audiendas in sua diœcesi, habentur approbati in aliis, nec nova Episcoporum indigent approbatione.* In Decreto ad Epist. Andegavens. Item: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Num. 13. Item: *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.* Num. 36. Cum autem Tridentinum ad *sæcularium* dumtaxat confessiones excipiendas Episcoporum approbationem necessariam decernat, suorum Confratrum, imo juxta declarationem Clementis X. etiam sæcularium domesticorum, intra monasterii sepia habitantium confessiones audire possunt Regulares, qui a suo Prælato approbati fuere, ac ad hoc destinati,

4. Cum Sacerdos hæreticus, schismaticus, excommunicatus, suspensus, irregularis, degradatus omni spirituali careat jurisdictione, venientes ad se pœnitentes absolvere, nec valide nec licite potest. Aliter pro necessitatis casu esse decidendum, ex supra dictis patet.

5. Jurisdictionem vel numquam valide obtentam, vel denuo amissam nonnumquam in favorem pœnitentium pia mater Ecclesia supplet, dum nempe hi Sacerdoti confitentur, qui *titulum coloratum*, puta Beneficium curatum quidem sed invalide obtinuit, atque *communi* jam *errore* legitimus Confessarius creditur. Nec tamen habitualem, sed actualem dumtaxat, id est una cum actu transeuntem hujusmodi Confessarii jurisdictionem accipiunt, ac toties graviter peccant, quoties scientes, ac volentes eadem utuntur; quia non ad eorum malitiam fovendam, sed ad animarum salutem promovendam hic suppleri jurisdictio censetur (*a*). Quodsi existi-

---

stinati. Ita omnes, quos nosco Doctores tenent. Vide in Bullario Constitutionem *Inscrutabili* Gregorii XV., & Constit. *Superna* Clementis X.

(*a*) Sed quid? Supletne etiam Ecclesia jurisdictionis defectum illo in Confessario, qui titulo carens *communi errore* legitimus Confessor creditur, qualis tamen vel ob simoniam, vel ob censuram occultam non est. Cl. Billuart affirmativam tenet, eamque a gravioribus Theologis defensatam sibique probabiliorem asserit. *Quia* (inquit *Dissert. 6. art. 4. §. 1.*) *posito errore communi, etiam sine titulo colorato, quod talis habeat jurisdictionem;*

existimatus iste Confessarius nec Parochus nec Sacerdos esset, vel privato solum ex errore eumdem quispiam Confessarium credidisset, omnes peractæ apud ipsum repetendæ forent confessiones; quia Ecclesia defectum primum suppleri non potest; alterum non vult; cum adeo graves, quæ ex communi, privato ex errore haud sequantur inconvenientiæ.

Præter eam, quam modo exposuimus, jurisdictionis potestatem adhuc vitæ probitatem Confessarius habeat, est necessum; ne vitio ministrorum ipsum ministerium a Laicis vilipendatur. Christi Domini personam Confessarius gerit; omnibus proin, quæ specialius in Christo fulsere, virtutibus coruscare Confessarius tenetur. *Discite a me* (inquit Salvator *Matth.* 11.) *quia mitis sum & humilis corde.* Præcipuæ itaque Confessoris virtutes sunt mansuetudo, atque humilitas; prior ex pœnitente confidentiam, atque sinceram confessionem eliciet: posterior ipsum Confessorem in officio continebit, atque efficiet, ut finem altiorem sibi præfigat, ad Deum frequenter confugiat, præsumptionem ac vanam gloriam propellat, nec ex vano hominum respectu quidquam a suo munere admittat alienum; cum autem mansuetudo ex charitate, & ex sui cognitione humilitas oriatur, charitate emineré, ac pleniorem suæ fragilitatis cognitionem acquirere inter primas Confessarii curas esse debet.

CAPUT

---

nem; si illam non suppleat Ecclesia, eadem omnino inconvenientia sequuntur, ac in præcedenti conclusione (de titulo colorato simul & errore communi) *quibus obviare pariter impossibile est.*

CAPUT II.

Præcipua Confessarii officia exponuntur.

Arduum Confessarii munus tria, videlicet Judicis, Doctoris, & Medici officia complectitur, quæ nisi continuo mente revolvat, se una cum suis pœnitentibus in præcipitium aget.

Ut *Judicis* officio rite Sacerdos fungatur, 1. Ad peccatorum genus, speciem, & numerum, ad circumstantias speciem mutantes, aggravantes, minuentes, excusantes advertere debet, hæcque si pœnitens quavis ex causa omiserit, ordinatis, ac mansuetis quæstiunculis ex illo elicere, ne necessaria integritate confessio destituatur, neve pœnitens, quæ gravia sunt, ceu levia spernat, ac imposterum liberius committat (*a*). 2. Quousque sua se jurisdictio extendat,

(*a*) Si pœnitentis peccatum, de quo tamen hic se non accusat, ex alterius confessione Confessor novit, ne sigillum violet, non debet de illo statim interrogare; sed de variis aliis, & inter hæc etiam de isto; dummodo non inusitatæ, ac impertinentes ejusmodi quæstiones videantur. Quodsi pœnitens necdum talis peccati se reum fateatur, generice de integritate confessionis admonitus erit absolvendus, quia non magis alteri, quam huic credendum. Idem fere observandum si ex aliorum relatione pœnitentis peccatum innotuerit. Si vero ipse Confessarius peccantem vidit, hocque peccatum confessione nondum expiatum novit, ad exactius conscientiæ examen

dat, attendere tenetur, omnesque casus & summo Pontifici, & locorum Ordinariis reservatos, ne memoria elabantur, speciali in charta descriptos asservare. 3. Pœnitentis statum, & dispositionem explorata sibi habeat oportet, nec ullus absolvendus, qui sufficientia contritionis, & propositi signa non præbet, qualia non præbent, qui libere in proxima peccandi occasione morantur, qui apta eradicandis malis consuetudinibus remedia negligunt, quique in peccata sæpius confessa sæpius reincidunt.

Doctorem agere Confessarius obligatur 1. dum ille, qui confitetur, bonum malum, aut malum bonum erronee credit. 2. Cum confitendi modum, aut alia ad hoc Sacramentum requisita ignorat. 3. Cum fidei mysteria, aut alia quævis necessaria nesciat. Doctrinalem hanc institutionem impertiri Confessor non potest, qui Scripturæ testimonia, fidei dogmata, ac christianæ Ethicæ præcepta intime sibi perspecta non habet. Quantum Confessariorum ignorantia christianæ plebi noceat, pluribus in locis, & præcipue in primæ partis primo Tractatu (*pag.* 10.) sufficienter ostendimus. Quid tandem de illorum, qui data opera rudes, vanos, ac mutos Confessarios quærunt, dispositione sit sentiendum, quilibet prudens facile intelliget.

Medici

---

pœnitens est obligandus, & usque dum sese accuset differenda absolutio. Sed hic quoque magna discretione, & circumspectione est incedendum; ne odiosa nimium confessio reddatur.

Medici munus Confessarius explet, dum peccatorum antidota, & salutaria, quæ relapsum impediant, remedia pœnitenti suggerit. Non arbitraria, aut supererogatoria, sed necessaria sæpe est ista medicinalis suggestio. Per annos plurimos miseri pravis habitibus quasi incrustati vivunt, suisque tandem in peccatis moriuntur, quia nullum, qui eorum vulneribus mederetur, Confessarium habuere. Annosi consuetudinarii de prioribus confessionibus interrogati, multoties nec unicum, quod Confessarius inculcasset, recensere remedium possunt, aut nonnisi quædam vaga, & generica; quæ tamen non magis, quam illa universalia circumforaneorum medicamina prosunt. Specialia remedia pluribus in locis, & præcipue in Tractatu de peccatis suppetitavimus. Hisque plura ac præstantiora facile inveniet, qui in sacra Scriptura, sanctorum Patrum, & Ascetarum libris sedulo eadem conquiret. Væ communitati; in cujus ignavum Pastorem aut Curatorem illud cadit: *Ipsi pastores ignoraverunt* (*Isa.* 56.)! Porro antequam singularia pœnitenti remedia præbeantur, peccati radices, omnesque loci, temporis &c. circumstantias esse pensandas, jam alibi diximus.

CAPUT III.

Stricta Confessarii ad sigillum obligatio.

Eam, quam multi in confessione sentiunt, difficultatem sigillum lenit, gravis nempe obligatio servandi sub secreto omnia, quæ in confessione fuere cognita. Obligatio hæc ex jure naturali, divino, & ecclesiastico manat; res enim majoris momenti soli amico concredita fideli silentio esse premendas sana ratio dictat, idque respectu confessionis Christus voluit, ne hæc fidelibus nimis redderetur odiosa. Unde & in sacramentalis sigilli violatores gravissimis pœnis suspensionis, depositionis, degradationis &c. Ecclesia animadvertit. Et quidem juste, enorme siquidem, qui sigillum violat, injustitiæ, & sacrilegii peccatum committit, quod numquam ex materia, sed sola inculpabili inadvertentia potest alleviari.

In nullo proin casu aliquod peccatum, etiam veniale, in confessione auditum, sive directe, sive indirecte manifestare alteri Confessarius potest, nec umquam scientia ibidem acquisita licite uti. *Directe* manifestaret, qui unum peccatum grave in genere, vel quoddam veniale in specie coram alio, vel coram ipso pœnitente non petita prius, & obtenta ab illo licentia, etiam ob finem bonum denuo recenseret: *indirecte*, qui aliquid facit, vel omittit, ex quo minorem æstimationem pœnitentis colligere, ac prudenter suspicari homines possunt. In casu, quo Confessarius peccatum

tum, quod in Reipublicæ damnum vergeret, proxime perpetrandum ex confessione sciret, posset quidem ob instans periculum ad vigilantiam aut Prætores, aut Principem hortari, adeo tamen caute, ut nullo modo vel criminis auctor, vel complices valeant cognosci. Quodsi cautelam hanc circumstantiæ non admittant, potius tacere, quam indirecte sigillum frangere Confessor deberet; quia non pro ejusmodi malis avertendis, sed pro bono animarum instituta Confessio fuit (a).

Nædum peccata, sed & alii, qui Confessario ex confessione innotuere, nævi sive naturales, sive morales sacramentali sub sigillo cadunt; quia horum propalatio sicut erubescentiam, aut damnum in pœnitente causat, ita & odiosam confessionem reddit. Hacque sigilli obligatione non solum Confessarius verus, sed & fictus, sicut & interpres, omnesque illi, qui de confessione quidquam adstantes audierunt, vel in scheda legerunt, stringuntur; quia eadem, quæ de Confessario, etiam de his ratio valet.

Pœnitens, qui bona Confessarii Consilia præcepta coram aliis absque gravi causa enarrat, non quidem sacramentale, sed naturale secretum ingra-

(a) Huc spectat anno 1682. damnata propositio: *Scientia ex confessione acquisita, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione & gravamine pœnitentis, uti licet, si aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.*

ingratus violat ; hac quippe ratione odibilem aliis sæpe Confessarium reddit, malumque pro bono rependit, quæ iniquitas est maxima. Quodsi tamen Confessarius muneris sui oblitus ad illicita pertrahere pœnitentem attentaret, hæc inqua illius consilia vel præcepta non publice recensere, aut mulierculis narrare ; sed tecto Confessarii nomine alteri cuidam cordato viro exponere pœnitens posset, quidque hac in re agendum sit ab illo discere (*a*).

SECTIO

(*a*) Si tactibus, verbis, vel scriptis, in confessionali traditis pœnitentem ad venerea Confessarius sollicitaret, non solum apud virum discretum consilium petere, sed insuper ad Ordinarium, vel regularem Superiorem sollicitantem deferre juxta Gregorii XV. & Benedicti XIV. Decreta pœnitens teneretur, ne lupus sub ovina pelle latens plures incautas oviculas discerpat. In variis germaniæ Diœcesibus Bullas has usu receptas non fuisse multi Auctores testantur. Sed quidquid de non receptione sit ; personæ sollicitatæ qualitatem, aliasque circumstantias cautæ pensandas esse plerique docent, ne forte damnosum magis, quam ex sollicitatione timebatur, præcipiti ex denunciatione malum sequatur. His duæ, quas Alexander VII. damnavit, propositiones sunt notandæ, quæ ita habent : *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.* Num. 16. *Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest eum absolvere absque onere denunciandi.* Num. 7.

SECTIO V.

DE ABSOLUTIONE.

Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronunciatur; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi & vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere & coram Deo esse absolutum: nec enim fides sine Pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret, nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulo requireret (Trid. Sess. cap. 6.). Reflexionum

CAPUT I.

Laxæ de absolutione referuntur sententiæ.

Falso profecto asseritur, absolutionem a Confessione semper esse separandam, & differendam, sed falso quoque & periculose affirmatur, numquam absolutionem esse differendam, & debere Confessarium semper pœnitentem absolve-

re, ubi confessionem ejus audivit, quamvis pœnitenti deesse contritionem cernat, & propositum de cætero non peccandi, imo denuo peccaturum ipsum prævideat. Novi tamen quidam Casuistæ id docent; & dicunt, si pœnitens se a peccato cessaturum promittat, absolvi posse non obstante peccandi consuetudine, & quamvis pœnitens ipse in vetera crimina lapsurum denuo se timeat.

Addit alius Casuista, posse pœnitentem absolvi, qui in idem crimen sæpius est relapsus, quin ipsi præcipiatur, ut peccandi occasionem deserat, & quin ipsemet ab ea se discessurum promittat; & satis esse, si Confessarius emendationem aliquam sperare possit. At expresse alter ait, pœnitentem, qui coram Confessario a peccatis se cessaturum promittit, dignum esse qui absolutionem accipiat, *toties quoties illam petit, quamtumcumque nulla notetur emendatio.* En ridiculam rationem, qua hæc doctrina stabilitur: potuit huic pœnitenti prima vice dari absolutio; ergo eidem poterit iterum conferri (*a*).

Alius inquit, posse illum absolvi, qui probabilem opinionem sequitur, licet oppositam sequatur Confessarius; imo ulterius quidam progrediens ait, quamvis Confessarius sive ordinarius sive delegatus pœnitentis opinionem de se improbabilem penitus judicet, teneri tamen ad absolutionem pœnitenti impartiendam. Objicit sibimetipsi hic Casuista, Confessarium esse pœnitentis superiorem, ac proinde teneri pœnitentem suam opinionem deserere, ut Confessarii opi-

(*a*) Eadem docet Vir apostolicus *de Officio Jud.* §. II.

opinionem sectetur. Respondet, Confessarium non esse absolute pœnitentis superiorem, nec posse in omnibus pœnitenti præcipere, sed id solum jubere, quod ad peccata in Confessione exposita attinet. Hoc pacto judicis auctoritas Confessario eripitur, imo id efficitur, ut ab ore rei sententiam a se ferendam accipiat. Quamvis Confessarius non sit absolute & in omnibus pœnitentis Superior, tamen ex suo officio jurisdictionem supra pœnitentem habet, quamtum attinet ad peccata, quorum se pœnitens accusavit. Quis autem huic exercendæ jurisdictioni erit locus, si postquam pœnitens Sacerdoti sua peccata detexit, hujus judicio se subjicere non teneatur quoad peccatorum qualitatem, remediorum convenientiam, temporis opportunitatem, cæterasque dispositiones ad absolutionem obtinendam necessarias?

Attamen Casuista quidam docet, sub mortali peccato teneri Confessarium ad absolutionem pœnitenti impartiendam. Alius inquit, posse semper Confessarium, imo teneri contra propriam opinionem pœnitentem absolvere, quando pœnitens probabilem opinionem sequitur; nam secus severitate sua pœnitentem impelleret ad peccata sua alteri denuo confitenda.

Addit alius, posse & debere Confessarium probabilem pœnitentis sequi, licet propria opinio sit probabilior. Et quamvis in sæcularibus negotiis Judex & Medicus probabiliorem opinionem sequi teneantur, Confessarium tamen ad hanc sequendam non teneri; quia in hoc negotio

tio sufficit, ut pœnitens juxta probabilem opinionem dispositiones habeat ad accipiendam gratiam necessarias, ideoque tenetur sub mortali Confessarius pœnitentis opinionem sequi, illique absolutionem impertiri, Porro secundum hunc Auctorem oportet, ut hæc opinio sit probabilis vel propter rationes, quibus innititur, vel propter illorum auctoritatem, qui eamdem docent. Si pœnitentis opinio utraque probabilitate caret, & pœnitenti dumtaxat videtur probabilis, caveat Confessarius ne quid temere agat, vel statuat: videat an Doctor aliquis eamdem sententiam docuerit, quem si reperit, illum sequatur. Ex Probabilistarum axioma, morum ducem sequi unum Auctorem, qui falli facile potest aut ex ignorantia, aut ex malitia (*a*).

Erro-

(*a*) Omnes istæ laxitates in sequentibus, quas summa Sedes protrivit, propositionibus velut in compendio continentur. Prima ista est: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii* vulgo Regalo, *dum deficiente illa nimis aget ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Est 41. inter damnatas ab Alexandro VII. Altera: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium; qualis potest contingere in die magno alicujus Festivitatis, aut indulgentiæ,* Est Num. 50. inter damnat. ab Innocentio XI. Tertia: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & propo-*

nere

Errores hi omnes adeo Concilii textui, antiquis Doctoribus, rectæque rationi sunt contrarii, ut iis refutandis non sit immorandum. Nos in nostra Diœcesi illos prohibuimus, eosdemque sectari Confessariis interdicimus, tamquam erroneos, & Pœnitentiæ Sacramentum destruentes.

CAPUT II.

Genuinæ de absolutione referuntur Regulæ.

Quamvis in præcedentibus sancti Tridentini Concilii capitibus, & in nostris Reflexionibus satis expressæ sint veritates, quibus manuducti Confessarii Pœnitentiæ Sacramentum rite valeant administrare; attamen operæ pretium facturum me duxi, si nonnulla ad praxim spectantia addam, ne Sacramentum, quod ad delenda & cohibenda peccata Christus instituit, ex ministrorum vitio in peccatorum fomitem, & pœnitentium perniciem vertatur.

1. Caveant Confessarii, ne Pœnitentiæ Sacramentum mutilum reddant, dum de peccatorum con-

---

ponere emendationem. Num. 60. Quarta: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Num. 61. Quinta: *Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. Jesu Christi.* Est Num. 64. inter damnatas ab eodem.

confessione unice sunt solliciti; sed pœnitentis dolorem examinent, frequentes in eadem peccata lapsus considerent, praves consuetudines, occasiones proximas, & restitutiones faciendas; nec facilitate nimia quibuslibet absolutionem toties impertiantur, quoties hanc petunt: id enim Agathense Concilium expresse prohibet.

2. Noverint, se potestatem habere dimittendi peccata, & retinendi, & quemadmodum cuncta retinere peccata sævum esset & crudele, in nimiam quælibet dimittendi peccata facilitatem longe esse periculosam. Nimia hæc facilitas Christianæ religionis puritatem destruit, viamque peccatis omnibus sternit, in quæ hominum cupiditas est prona. Etenim ex hac facilitate fidelium prava vivendi licentia promanat; nam plerique putant satis ad veniam impetrandam esse, si peccata sua tamquam historiam Confessario recitent, nec sibi ultra agendum quidquam supereſſe. Si verum id esset, errassent sancti Patres, quando pœnitentiam, ut sanctum Tridentinum Concilium testatur, laboriosum Baptismum appellarunt. Quis enim labor est peccata sua homini confiteri, qui eadem alteri revelare numquam potest; præsertim ubi peccator ex peccandi consuetudine erubescere jam nescit, imo velut aquam iniquitatem bibit, & de ea gloriatur?

3. Proximas occasiones examinent, ne in ipsis pœnitentes suos delinquant, dum citius quam par est illos absolvunt. Peccati mortalis occasionem, quam fugere ille debet, qui veram pœnitentiam agere & se vere emendare cupit, illam

illam voco, quæ peccati est causa, vel quia de se ad peccatum inducit, vel quia ex prava consuetudine pœnitens erga illam ita est affectus, ut Confessarius prudenter judicet pœnitentem numquam a peccando cessaturum, donec in eadem occasione permaneat. Exempli gratia, si quis domi suæ fœminam detineat, cum qua peccare consuevit, hæc est occasio, quæ suapte natura ad peccandum impellit; numquam proinde Confessarius absolvere illum debet, qui concubinam suam domo non ejicit. Enormis error est cum Casuista quodam asserere, non esse necessario occasionem deserendam, si quis semel aut bis in mense cum concubina peccet; quasi unicum mortale peccatum res esset parvi momenti; & peccatorum dumtaxat numerus, non qualitas esset attendenda. Contingere tamen potest, ut nequeat pœnitens statim a peccati complice separari, quemadmodum inter consanguineos una habitantes evenit: hoc casu Confessarius, si veræ contritionis signa in pœnitente conspicit, verumque se emendandi propositum, animumque ad obediendum paratum, postquam per aliquod tempus illum probaverit, potest eumdem absolvere. Attamen pœnitenti præcipiat, ne umquam solus cum peccati sui complice moretur, ut juxta vires pœnitentiæ opera exerceat, eleemosynas largiatur, preces aliquot noctu præsertim pronus recitet, & præcipue ut sæpius peccata sua confiteatur. Quod si hæc renuat exequi, & post promissiones suas in eadem peccata relabatur, absolutionem Confessarius ipsi neget, donec revera ab occasione recedat. Dei autem honorem,

rem, & pœnitentis ſalutem magis curet Confeſſarius, quam vulgi ſermones, aut temporalia pœnitentis incommoda, quæ vitæ æternæ, & rectæ Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationi ſunt poſtponenda. Multa tamen prudentia hic est opus, & Epiſcopos, vel pios doctosque viros conſulere expedit, ut vitetur ſcandalum, & pœnitentis fama, quamtum fieri poteſt, illæſa ſervetur.

4. Secundi generis occaſiones non ſunt natura ſua pravæ, ſed ſolum quoad perſonam aliquam, quemadmodum pro plerisque ſunt officia quædam, in quibus jamdiu peccant, & probabiliter peccare pergent. Debet in hisce caſibus abſolutionem differre Confeſſarius, & pœnitenti, qui jam a pluribus annis in eadem recidit peccata, præcipere, ut officium illud deſerat, quod ſibi peccandi occaſionem præbet; ipſumque monere debet, ut Dei gloriam, æternamque ſalutem, hominum judicio, propriisque commodis anteferat. Chriſtus enim aperte ait in Evangelio: *Si pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te: ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te* (*Matth.* 18.): hisce verbis nos admonens, ut omnia illa vitemus, quæ nos ad peccatum trahunt, & a gloria cæleſti excludunt, quamvis utilia ea nobis videantur, & tamquam pes aut oculus neceſſaria. Apoſtoli poſt ſuam vocationem piſcati ſunt, quia innocens erat piſcatio; at ſanctus Matthæus publicani officium dimiſit, nec ad telonium redidit, ut peccandi periculum vitaret. Lateranenſe gene-

generale Concilium sub Innocentio III. habitum ait, falsam illius esse pœnitentiam, qui negotium aut officium, quod peccandi occasionem præbet, non dimittit (*Can.* 21.).

In Romano Concilio habito sub Gregorio VII. ita Patres loquuntur: „ Si miles, aut mercator, vel alius quilibet, qui sine peccato officium suum exercere nequit, post multa peccata ad pœnitentiam accedat, noverit se veram „ pœnitentiam agere non posse, nisi ab eo negotio, aut officio recedat ".

Sanctus Gregorius magnus Papa pariter ait: *Sunt pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc, necesse est, ut post conversionem animus non recurrat* (*hom.* 24. *in Evang.*).

5. Quoad ludos & voluptates, quæ suapte natura mortalis peccati non sunt occasio, quasdam tamen personas ad peccandum semper impellunt; si postquam pœnitens peccata sua pluries est confessus, & emendationem promisit, in eadem denuo relabitur, debet Confessarius absolutionem differre, donec pœnitens has occasiones deserat, & a culpis abstineat: quæ probatio plus minusve est protrahenda juxta pravam pœnitentis peccandi consuetudinem, aliasve circumstantias.

6. Si ad Confessarium poenitens accedat, qui substantias suas illicitis artibus se lucratum confiteatur, quemadmodum monopolitæ & usurarii

rarii solent, qui populos opprimunt; non debet Sacerdos hunc absolvere, nisi paratum videat ad vere restituendum pro viribus, & juxta regulas jam expositas: sed si post multas promissiones poenitens non restituat, cum possit, huic negan-da est absolutio, donec reapse restituerit.

7. Quilibet fidelis potiora christianæ Reli-gionis mysteria scire debet, videlicet 1. unum Deum in tribus Personis existere; 2. secundam divinam Personam, nempe Filium, pro nostra salute carnem suscepisse, & in Cruce mortem oppetiisse, & a mortuis surrexisse; insuper in Eucharistia ejusdem corpus, sanguinem, ani-mam, & Divinitatem suscipi. Præterea saltem quoad substantiam scire debet Dei & Ecclesiæ præcepta, & Orationem dominicam latino aut vulgari idiomate. Si hæc poenitens ignorat, ipsum debet Confessarius instruere, si potest; vel ei præcipere, ut ab alio eadem discat: quod si discere negligat, illum non absolvat. Item si parentes & dominos Confessarius monuerit, ut filios suos vel famulos Fidei rudimenta do-ceant, illosque ad Dei & Ecclesiæ servanda præ-cepta hortentur, & inverecunde peccantes pu-niant; parentes vero vel domini hujusmodi mo-nitiones negligant, & officium suum exequi omittant, absolutio ipsis est differenda, donec monitionibus pareant. Suæ dioeceseos Confessa-riis in suis Institutionibus id expresse præcipit sanctus Carolus Borromæus. Quoniam autem in Provincia frequenter proximi odium quorun-dam animos intime inficit, & conscientias lethali-

liter

liter fauciat, absolutionem Confessarius illis neget, qui fratri suo reconciliari recusant; hanc vero illis differre debet, qui reconciliationem sine causa differunt, cum statim reconciliari queant. Porro si ex gravi aliqua causa fieri reconciliatio statim nequeat, debet tamen pœnitens adversario suo veniam statim in corde suo tribuere, & actualem reconciliationem opportune se facturum promittere juxta prudentum monita & consilia. Exterioris reconciliationis formam Confessarius pœnitenti suo prudenter suggerat; magis tamen sit sollicitus, ut caritatis potius leges, quam urbanitatis serventur; & pœnitentem hortetur, ut juri potius suo aliquatenus cedat, quam jure summo agat, ne labiis solum, non autem ex corde inimico suo veniam tribuat.

Quoad fœminas, quæ luxum sectantur, & vestium pompa ac vanitate gaudent, modestiamque pene omnem & verecundiam abjiciunt, quamvis prava intentione carere se dicant, absolutio tamen ipsis est differenda, aut neganda: differenda illis est absolutio, ut corrigantur; neganda vero, si emendatione promissa adhuc in luxu & vanitate perseverant.

Tandem Confessarius absolutionem iis omnibus differat, quos probabiliter in eadem relapsuros peccata existimat, quamvis non amplius se peccaturos promittant; horum enim verbis fidem prudenter adhibere nequit, vereri imo debet, ne eosdem absolvens Christi sanguinem, cujus est dispensator, calcandum & polluendum tradat.

SECTIO VI.

DE CASUUM RESERVATIONE.

Quoniam natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur; unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura adnexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia; sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, ac

eatur

eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, in unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

CAPUT I.

Reservationis notio, causa & conditiones.

Casuum Reservatio est potestatis in Confessario restrictio, efficiens, ne hic a certis quibusdam delictis absolvere pœnitentem valeat; sed solum ille, qui absolutionem sibi reservavit, aut cui iste commisit. Duplex distinguitur *pœnalis* una, quæ est propter censuram: non pœnalis seu *simplex* altera, quæ propter quamdam peccandi vel frequentiam, vel enormitatem tollendam a Superiore est facta: ad hanc Episcopales, ad illam Papales reducuntur reservationes: omnes ad salutarem peccantium correctionem tendunt.

Non quodlibet peccatum reservationi est obnoxium. Absolutionis enim difficultas, quam reservatio inducit, pœnis gravioribus accensetur; unde non nisi super gravia peccata cadere potest. Et quia reservatio tamquam odiosa strictæ interpretationi subjacet, non quævis peccata gravia circa materiam reservatam commissa; sed

certa (*a*), externa, in ſua ſpecie completa pro reſervatis ſunt habenda. Hinc qui hæreſim mere internam admiſit, vel actum falſæ religionis proteſtativum absque interno aſſenſu poſuit, aut qui de ſufficiente aſſenſu dubius hæret, abſolvi a communi Confeſſario poteſt; quia hoc illius peccatum iis, quæ ad reſervatum requiruntur, notis caret (*b*).

Pla-

(*a*) Duplici ſenſu hic poteſt ſumi *dubium*. 1. Ut pœnitens vel de peccato, vel de ſufficiente conſenſu dubitet, ſicque peccatum ipſum ſit dubium. 2. Ut peccatum ſit certum, ſolumque Confeſſarius de ejusdem reſervatione dubitet. Stante priore dubio *facti* communis Confeſſarius poteſt abſolvere; ſecus ſi poſterius dubium *juris* adſit; quia hoc dubium Confeſſarii jurisdictionem reddit; dubia autem jurisdictione uti extra mortis caſum non licet. Ita graviſſimi Caſuiſtæ docent. Contrariam P. Billuart probabiliorem reputat (Tr. de Pœnit. *Diſſ. 6. art. 6. §. 1.*), cujus fundamenta aliis examinanda relinquo.

(*b*) Jurisdictionis reſtrictio ad reſervationem ſufficit, nec neceſſum eſt, ut certum peccatum Superior ſibi reſervet. Unde *peccatum complicis* vero quodam ſenſu caſus reſervatus dicitur, licet Confeſſarii omnes præter complicem ab eodem poſſint abſolvere. Eſt autem crimen complicis peccatum externum contra caſtitatem cum pœnitente libidinoſis oſculis, vel tactibus &c. antea perpetratum, utrimque mortale. Unde tactus impudicus, ex objecto mortalis, ſi ab una tantum parte fieret, altera omnino renitente ac diſſentiente, *ſtricte* non eſſet complicis peccatum; quia *complex* nonniſi reſpectu alterius in idem peccatum conſentientis quisquam dicitur; reſerva-

tio-

Plures, ac varios casus Summi Pontifices in Bulla *Cœnæ* sibi reservarunt; quæ tamen in multis Provinciis non viget. Hæresis, & lectio librorum hæreticorum nædum in dicta Bulla, sed & aliis Decretis, in Juris corpore contentis, reservatur. Præter Casus Bullæ Coenæ adhuc alii quinque specialius Papa sibi reservavit, hosque incurrunt 1. Duellum solenne acceptantes, exercentes, assistentes, studio spectantes. 2. Violentas manus in Clericum, vel aliam personam solemni professione Deo consecratam injicientes. 3. Immunitatem ecclesiasticam contra leges asyli violantes. 4. Clausuram monialium ex malo fine videlicet luxuriæ causa intrantes. 5. Simoniam realem circa susceptionem ordinum, Beneficiorum obtentionem, & Religionis ingressum committentes; quibus simoniaci confidentiales accedunt (*Part. I. pag.* 506.). Multas adhuc excommunicationes, quas summus Pontifex sibi reservavit, Casuistæ recensent, quæ videri apud ipsos possunt. Excommunicationes Papæ non reservatas Episcopi plerasque sibi reservarunt; quas

tionem autem stricte esse interpretandam, jam supra in textu fuit notatum. Ita fere Billuart graviorum Theologum pro se allegans assensum. Attamen Bullam Benedicti XIV. qua absolutio a complice data, nulla ac invalida declaratur, non ubique in germania esse receptam post alios P. Marianus observat. Signum receptionis certum videtur, si Episcopi aliis casibus diœcesanis peccatum complicis subjungant; signum non receptionis probabile, si de illo taceant. Hæc tamen salvo aliorum meliore judicio.

quas ex dioeceſeos Rituali exſcriptas in Sacriſtia, aut ipſomet in confeſſionali affixas tenere accuratiores Parochi & Confeſſarii ſolent. Ut reſervationis formulas bene expendant, ipſiusque reſervantis intentionem, ac mentem Confeſſarii aſſequantur multum intereſt, ne dimittant abſolvendum, aut abſolvant dimittendum.

Hic quoque ea, quæ inter caſus papales, & epiſcopales intercedit, bene notanda differentia eſt. Caſus *papales* præciſe propter cenſuram ſunt reſervati: unde ignorantia ſive juris ſive facti, quæ a cenſuræ, a caſus itidem reſervati incurſione delinquentem eximit. Caſus autem epiſcopales cenſuram ſæpius adnexam habent, non tamen propter cenſuram, ſed, prout jam ſupra notavimus, propter ſpecialem enormitatem, aut delinquendi frequentiam ſunt reſervati: unde ſi omnes, quas antea adduximus, conditiones adſint, etiam ab iis, qui juris ignorantia laborant, plene incurruntur, niſi contrarium in reſervationis formula Ordinarius expreſſerit.

CAPUT II.

Quinam caſus ſibi reſervare, & quinam ab iisdem poſſint abſolvere.

Caſus ſibi reſervare Papa in univerſa Eccleſia & Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt. Hanc reſervandi poteſtatem in eccleſiaſticæ diſciplinæ bonum ſupremis Rectoribus ad Deo eſſe conceſſam ex Tridentino Concilio diſcimus; idque latius Theologi contra novatores probant.

A ca-

A casibus, quos Papa vel Episcopi sibi reservarunt, nemo ullus, nisi qui ab hisce licentiam obtinuit, absolvere irretitos potest. Contra hanc doctrinam nonnulli Casuistæ docere non sunt veriti, posse Regulares vi privilegiorum suorum a casibus Episcopo reservatis absque Episcopi licentia absolvere. Casuista quidam post recitatam Clementinam, quæ a communione removet Regulares, qui sine Papæ aut Episcopi permissione a casibus iisdem reservatis ex quacumque causa ausi fuerint absolvere, concludit hanc prohibitionem in Italia solum vigere, & Declarationem Congregationis Cardinalium super dubia a sancto Carolo circa hanc quæstionem proposita, & anno 1577. editam, cum in Gallia neque in Provinciis ultra montes promulgata non fuerit Regularium privilegiis non potuisse derogare. Suarezii auctoritatem allegat, & Coninkii, qui ait, si quando Papa facultatem a casibus sibi reservatis absolvendi alicui concesserit, hanc facultatem extendi etiam ad casus Episcopo reservatos, quia facilius secunda conceditur facultas, quam prima.

At Pontificum in hoc negotio decisiones adeo sunt perspicuæ, ut mirer adhuc de tam manifesta veritate posse dubitari. Sixtus IV. Frater Minor fuit, & sui Ordinis Generalis, adeoque sui Ordinis privilegia ignorare non poterat, sua tamen extravaganti, quæ incipit *Etsi Dominici*, Regularibus facultatem a casibus Episcopo reservatis absolvendi adimit; idque post Bullas Eugenii IV. aliorumque Pontificum, a quibus Regula-

gulares hanc se facultatem accepisse putant. Sixti IV. Bulla in corpore juris reperitur; ideoque sive ejus forma, sive textus, sive auctoritas expendatur, contra illam nihil merito opponi potest.

Clemens VIII. sua Bulla, quæ incipit *Sacra Congregatio*, edita die 9. Januarii 1601. Regularibus expresse prohibet a casibus Episcopo reservatis absolvere, quæcumque necessitas aut impedimentum occurrat, excepto mortis articulo, aut obtenta prius in scriptis Ordinarii licentia, sub pœna excommunicationis contrafacientibus tam sæcularibus quam regularibus, privationis officiorum, dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad Confessiones audiendas, vel ad obtinenda Officia, Beneficia, & Prælaturas; quam pœnam incurrent ipso facto absque ulteriori declaratione. Declarat insuper pœnitentium absolutiones adversus hanc prohibitionem factas, nullas & nullius roboris fore.

Hæc Bulla confirmata fuit anno insequenti, & ubique recepta, ut illius temporis Scriptores testantur, Barbosa, Guttierez, Bonacina, Valdus, aliique. Paulus Comitolus celebris Jesuita de hac agens quæstione in suis Responsis Moralibus (*lib. 1. quæst. 25. Resp. moral.*) ait, sententiam docentem non posse Regulares a severatis absolvere, tamquam veram a veteribus fuisse semper receptam; modo vero adeo certam esse, ut opposita nequeat defendi, cum propter Tridentini Decretum, tum propter Clementis Papæ VIII. Bullam, quæ Regularium privilegia revo-

revocat, quæcumque casuum reservationi a Pontificibus aut Episcopis factæ adversari videbantur.

Paulus Papa V. Clementis successor Decretum die 17. Januarii anni 1617. edidit, quo idem præcipit, easdemque pœnas, quæ in sui Prædecessoris Bulla continentur, innovat. Sed illud notandum, quod in suo Decreto addit Paulus V. nempe facultatem, quam Regulares sibi vindicant, ab excommunicationibus & a casibus Episcopo reservatis absolvendi, eliminare timorem, quo homines a peccando coercentur, & quem propter absolutionis facilitatem omnino abjiciunt (*a*).

Ast satis multa verba fecimus de hac quæstione, quam in libello suo egregie enucleat P. Franciscus Bonichon Oratorii Presbyter, quem alii plures ex Regularibus Doctores præcessere; hos videant, qui plura cupiunt.

Omnes casus Papales, quousque manent occulti, fiunt Episcopales, non quasi Episcopo specialiter essent reservati, sed quia a Papa Episcopis saltem ultramontanis tacite sunt relicti, ut suos nimium a Roma distantes absolvere dioecesanos possint,

Regu-

(*a*) Huc pertinent propositiones ab Alexandro VII. proscriptæ: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Num. 4. Item: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Num. 12.

Regulares quoque mendicantes ex privilegio apoſtolico abſolvere a caſibus papalibus poſſunt, paucis exceptis, iis præprimis quæ in Bulla Cœnæ continentur, ubi nempe hæc Bulla fuit promulgata (*a*). Eorum vero Regularium qui intra Italiæ montes degunt, quoad quinque ſupra (*pag.* 485.) recenſitos caſus a Clemente VIII. reſtricta poteſtas fuit. Ut tamen prædicto privilegio Religioſi legitime utantur, oportet 1. Ut prius ab Epiſcopo ſint approbati. 2. Ut ad hoc a ſuis Superioribus ſint deſtinati, ac Epiſcopo præſentati. 3. Ut hac facultate præciſe circa ſæculares, non item regulares poenitentes utantur; quia hoc poſterius a Clemente VIII. in Bulla *Romani Pontificis* expreſſe eis fuit interdictum. Sed de hisce Caſuiſtæ Regulares, qui poſt Decreta Pontificia, ſupra (*pag.* 487.) laudata ſcripſerunt, videantur.

Ad mortis articulum nulla ſe extendit reſervatio: unde communis Confeſſarius, imo ſi alius haberi non poſſit, etiam ſimplex Sacerdos a quibusvis peccatis abſolvere moriturientem poteſt, non enim in perniciem, ſed quemadmodum jam ſemel diximus, in poenitentium ſalutem reſervatio eſt introducta. Quodſi præter ſpem priſtinæ ſanitati æger reſtitueretur, Superiori, vel ejusdem delegato ſeſe ſiſtere teneretur, non quidem

(*a*) Quando Regulares vi privilegiorum a reſervatis caſibus abſolvunt, læſæ parti ſatisfactum, aut ſufficientem cautionem prius præſtitam eſſe oportet; ſecus nulla foret abſolutio, eademque aut maneret aut rediret cenſura.

dem ut novam accipiat absolutionem, sed ut juxta Canonum præscripta satisfaciendi ab illo modum percipiat, illique se humiliter subjiciat; secus faciens, eamdem denuo censuram reincurreret atque reservationem.

Sed quid; si simplex Confessarius pœnitentem audiat, qui peccatum quoddam reservatum confitetur, a quo eum nequit absolvere; potestne ulteriora ejus audire peccata, & confessionis exspectare finem? Statim abrumpendam esse confessionem multi censent; eoquod absolvendi potestas ejusmodi Confessario desit. Hocque verum est ac in praxi tenendum, nisi pœnitens, postquam de potestatis defectu a Confessario fuit monitus, sponte velit confessionem perficere, ut si fortuito adhuc aliud peccatum reservatum haberet, petita, ac obtenta a Superiore licentia, ab omnibus simul postea possit absolvi (*a*).

Id

(*a*) Qui præsumunt absolvere, id est qui cum reservationis scientia aut affectata ignorantia absolvunt a casibus *Bullæ cœnæ* juxta eamdem Bullam, ubi hæc viget, excommunicationem incurrunt non reservatam. Religiosi itidem qui intra montes a quinque casibus specialius Papæ reservatis absolvere attentant, in excommunicationem Papæ reservatam incidunt. Idem contra Religiosos in Italia sitos a Clemente VIII. fuit statutum si hi suorum privilegiorum prætextu a casibus Ordinario reservatis absque hujus expressa licentia quosdam absolvere ausi fuerint. Urbanus autem VIII. dum in Decreto dato 17. Nov. an. 1628. eamdem prohibitionem omnibus omnino Religiosis in-

Id unum adhuc bene cavere Confessarii diœcesani debent, ne eos facile absolvant, qui sua in diœcesi absolutionis difficultatem experti, ad aliam diœcesim, ubi peccata sua non reservata norunt, fraudulenter, ac dolose transeunt. Præterquam enim quod hisce transfugis vera dispositio desit, ipso dolo indignos ac omnino incapaces absolutionis se effecerunt. Unde Clemens X. sua in Constitutione *Superna* declaravit: *Posse Regularem Confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus confluentes ex alia diœcesi pa peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere; nisi eos pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse (a).*

Unum adhuc enodandum hic restat dubium, utrum ille, qui Superiori, aut Sacerdoti privilegiato quædam reservata fuit confessus, sed invalide; sequentem confessionem prioris suppletivam iterum coram eodem, aut alio privilegiato facere teneatur; an vero communem Confessarium pos-

sit

---

inculcat attentatas absolutiones invalidas quidem declarat, nihil tamen de excommunicatione exprimit. Vid. Passerinus *Q.* 178. *a.* 1. *num.* 431. & 433.

(*a*) Quidam haud immerito excipiunt casum, cui Episcopus censuram sibi reservatam adnexuisset; quia censura pertinet ad forum exterius, & disciplinam. Ejusmodi autem pro foro externo disciplinari jurisdictionem extraneis Confessariis conferre minime Episcopus intendit, sed potius contrarium.

ſit adire? Hoc ſecundum plerique aſſerunt, ſuppoſito, quod confeſſio prior ex defectu doloris, aut propoſiti fuerit invalida, negant vero, ſi ex voluntaria omiſſione, aut peccati reſervati reticentia ejusmodi nullitas provenerit. Prior enim Confeſſarius, quamtum potuit, abſolvit; potuit autem a reſervatione, ſicque ab illa pœnitentem abſolvit. Præcipuus ſiquidem reſervationis vi primæ confeſſionis obtentus eſt finis: Superiori vel ejus delegato pœnitens ſe ſtitit, ejusque, uti ſupponitur, mandatis obtemperavit, id quod ſufficit.

SECTIO VII.

DE SATISFACTIONE.

Quoad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus noſtris chriſtiano populo fuit perpetuo commendata, ita una maxime noſtra ætate ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt; ſancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti; quin univerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifeſtiſſime revincitur. Sane & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur,

tur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt; aliter vero, qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum morbis quiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in qua

quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quamtum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem; nam Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt & docent (*Trid. Sess.* 14. *cap.* 8.).

Reflexionum

CAPUT I.

Laxa circa satisfactionem imponendam reprobatur praxis.

Omnia hujusce capitis Concilii verba totidem sunt oracula, quæ novorum quorumdam Casuistarum errores condemnant; & Confessarios docent, quomodo pœnitentibus satisfactiones pro eorum salute injungant. Etenim morum corruptio, quæ in fidelibus hodie serpit, ex eo profecto promanat, quod enormitatem ignorant peccatorum, in quæ post Baptismum labuntur; quæ quidem ignorantia crescit ex absolu-

solutionis facilitate, & ex levitate satisfactionum, quas pœnitentibus Confessarii injungunt. Quo modo fieri umquam potest, ut adulterii crimen exempli gratia grande credatur esse peccatum, si pœnitenti se de adulterio accusanti præcipitur, ut ter *Pater* & *Ave* recitet, quod tam facile fit, nec ullam habet cum tanto crimine proportionem, nec vim fere ullam illud præcavendi? Novi fidelium caritatem refriguisse, nec posse hodie illos rigidas eas poenitentias exequi, quas plerisque sæculis Ecclesia servavit. Non igitur id exigo, ut Confessarii poenitentias easdem olim in more positas nunc quoque injungant; sed Tridentini Concilii vestigiis inhærens id opto & exigo, ne satisfactiones injungantur tam leves & exiguæ, ut nulla sit inter ipsas & peccata proportio: sacrum Concilium expresse hoc prohibet, pravosque hujusce praxis effectus experientia quotidie demonstrat. Oportet itaque ut distinguamus inter Canonum moderationem, quam christiana prudentia Spiritu sancto afflante docet; & moderationem, seu destructionem eorumdem, quam carnalis & terrena prudentia invexit, & novi quidam Casuistæ stabilire in Ecclesia conantur.

Scio Episcopos & Presbyteros poenitentiæ tempus minuendi potestatem semper habuisse, quam illis Nicænum Concilium expresse concessit; qua tamen tunc solum uti debent, quando poenitens plura poenitentiæ opera exercuit, & tam vehementem præsefert contritionem, ut indulgentiam aliquam consequi mereatur.

Bal-

Balsamon circa hoc historiam quamdam affert, quam hic referre operæ pretium est. Narrat ille (*in canon. epist. S. Basilii can.* 7.), militem quemdam homicidii reum ab Episcopo post brevissimum poenitentiæ tempus absolutionem accepisse; quæ ecclesiasticæ disciplinæ relaxatio Imperatori valde displicuit, qui a Constantinopolitano Patriarcha Concilium cogi jussit, in quo examinaretur, an hic miles legitime fuisset absolutus. In Concilium vocatus Episcopus, ut causam suam ageret, Canones omnes recitavit, qui Episcopis poenitentiæ tempus breviare concedunt. At Concilium hos Canones explicans, & divini Spiritus afflatum sequens jussit, ut miles ad poenitentiæ exercitia rediret, & Episcopus per aliquod tempus ab officio cessaret; etenim censuit Episcopos quidem poenitentiæ tempus posse minuere, non tamen ipsis permissum aranearum filo illos ligare, qui triplici funiculo sunt vinciendi.

Sanctus Carolus Borromæus in sua ad Confessarios Instructione, Concilii Tridentini decretis inhærens, iisdem prohibet pro gravioribus criminibus leves satisfactiones injungere; quod periculosissimum esse ait cum Confessariis tum poenitentibus, sacris siquidem Litteris, Conciliis, & Patribus adversatur: sacræ namque Litteræ præcipiunt, ut dignos poenitentiæ fructus faciamus, & convertamur ad Dominum in jejunio, & fletu, & planctu. Et revera quicumque pro gravioribus criminibus leves satisfactiones injungunt, hi juxta Ezechiam Prophetam

consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas (*Cap.* 13.): quod malum antiquus etiam Canon deplorat.

Mire in hoc negotio Casuistæ quidam novi errant. Docent nonnulli posse illum absolvi, qui satisfactionem quamlibet etiam levem pro peccatis suis respuit; quæ licet opinio non sit in praxi sequenda, tamen esse probabilem.

Alius ait, non esse opus, ut satisfactio criminibus respondeat, licet antiqua Poenitentialis proportionem aliquam inter peccata & satisfactionem statuant: id olim ait in praxi servatum, quia tunc in fidelium cordibus caritas regnabat; modo autem, quando fidelium caritas refriguit, hunc morem non esse servandum. Porro ecclesiastica judicia a sæcularibus valde distare, in sæculari enim tribunali proportio aliqua delictum inter & poenam est statuenda; at in ecclesiastico etiam absque hac proportione reus absolvi potest. Verum hæc doctrina nonne Concilii verbis expresse opponitur? non ergo alia opus est ratione, ut respuatur.

Denique alius docet non esse illi absolutionem negandam, qui etsi omnem satisfactionem recuset, hanc tamen in Purgatorio pati eligit. Quasi vero certo sciret peccator se illuc iturum esse; nec ista satisfactionis omissio prava esset dispositio ad justorum mortem obtinendam, quæ una est ad Purgatorium via: aut quasi Ecclesia, quæ poenitentiales Canones statuit, Purgatorium adesse ignorasset, vel eidem reservare poenitentes nequivisset, quos poenis tam rigidis subjacebat.

CAPUT

CAPUT II.

Satisfactionis notio, divisio, & recta oeconomia.

Satisfactio sacramentalis, prout ex Tridentino Concilio colligitur, est actio, per quam poenitens pro peccatis recompensationem Deo tribuit juxta Sacerdotis sententiam. Præter hanc adhuc alia non sacramentalis a sanctis Patribus satisfactio celebratur, veris poenitentibus, Deique amicis admodum usitata, quæ in variis operibus poenalibus, uti jejunio, sensuum mortificatione, oratione &c. ultro susceptis consistit, hæcque jam imposita ac persoluta sacramentali satisfactione exponi, ac suaderi magnis, & diuturnis peccatoribus debet, ut poenas suis delictis debitas, quamtum possunt, in hac vita Deo exsolvant, ac divinam facilius mereantur propitiationem.

Duplex adhuc sacramentalis satisfactio distinguitur una *vindicativa* pro peccatis præteritis; altera *præservativa* ac medicinalis pro cavendis futuris. Hanc posteriorem non minus ac priorem injungere poenitentibus, ac præcipue consuetudinariis oportet; ne hi præteritorum expiatione contenti, in nova eaque graviora incauti ruant, fiantque posteriora pejora prioribus.

Tres satisfactionis sacramentalis recenseri effectus solent, videlicet 1. pœnæ temporalis, quæ culpæ reatu jam deleto adhuc solvenda manet, totalis, aut partialis remissio. 2. Auxilia quæ-

dam ſupernaturalia a peccatis retrahentia. 3. Augmentum gratiæ habitualis ac charitatis erga Deum. Hinc non modo eam, quam prudens Confeſſarius injungit, pœnitentiam prompte ac humiliter acceptare pœnitens tenetur, ſed ſtatim ac fieri poteſt eamdem exequi; ne dilata longius culpabili oblivione oblitteretur, aut gravi interveniente peccato irrita reddatur, atque inanis (*a*).

Opera, quæ pro ſatisfactione ſunt injungenda, triplicis generis in ſanctis Scripturis, Patribus, & ſacris Canonibus reperiuntur, nimirum oratio, jejunium, & eleemoſyna. Ad jejunium quævis aliæ corporis, aut ſenſuum mortificationes reducuntur. Ex his jam unum, jam alterum, jamque omnia ſimul pœnitenti dictat Confeſſarius poteſt, prout nempe illius conditio, ætas, atque ſtatus admiſerint. Varias pœnitentias medicinales, dum de peccatis, & decalogo nobis

(*a*) Non modo non diu differendam, ſed adhuc antequam abſolutio obtineatur adimplendam pœnitentiam eſſe quidam docuere. Hinc Alexander VIII. ſequentes eorum Theſes proſcripſit: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni inductum non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ ſed ipſa Christi lex & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.* Num. 16. *Per illam praxim modo abſolvendi Ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* Num. 17. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* Num. 18.

nobis erat sermo, supra suppeditavimus; vindicativas vero illi, quos cuilibet decalogi præcepto, adnexuimus, Pœnitentiales Canones complectuntur. Horum rigorem nonnihil temperare Confessariorum prudentiæ est permissum, non autem omnino tollere.

Sanctus Archiepiscopus Carolus Borromæus suæ, quam ad Provinciæ Clerum dedit, Instructioni editos noviter pœnitentiales Canones adjecit, non ut eosdem integre servarent, sed ut hinc regulas sumerent ad indulgentiam cum rigore temperandam (*a*). Exempla item aliqua satisfactionum affert, quæ magnis peccatoribus injungi possunt; videlicet ut aliquo tempore a fericis vestibus, aut auro vel argento ornatis abstineant; item a conviviis, & venationibus; ut egenos alant, iis serviant, eorum pedes lavent, & peregrinos domi suæ excipiant; ut in xenodochiis ministrent, captivos visitent, solentur, & nutriant; ut in monasterio, aliove secreto loco vivant, ibique pœnitentiam exerceant; ut certis diebus a vino abstineant, ut diebus aliquibus jejunent, veluti quarta, aut sexta feria, vel sabbato, & interdum etiam pane & aqua; ne per tempus aliquod equitent, ne in lecto cubent, sed

(*a*) Hic sequens, quam Alexander VII. damnavit, notanda est propositio: *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæsitum vel lucrum subsidii temporalis.* Est num. 15.

sed super terram; ut proni orent, & cilicio induantur (*a*).

Præcipit etiam, ut pro pœnitentium & peccatorum qualitate varias Confessarius pœnitentias injungat: proinde superbis humilitatis opera injungat; carnis amatoribus jejunia, abstinentiam, cilicia aliasque afflictiones pro peccatorum qualitate; in Deo colendo tepidis jubeat, ut Deum quotidie orent, mane saltem & vespere, ut secunda aliave hebdomadæ feria pro defunctis orent, ut certis diebus Ecclesias visitent, & indulgentias lucrentur, Adventus præcipue, & Quadragesimæ tempore; iis, qui mundi pompas sectantur, ludos, choreas, aliaque diaboli opera amant, ut certis hebdomadæ diebus sancti Joannis Chrysostomi consilium exequantur, videlicet promissionem renovent, quam patrinorum ore solemniter in Baptismo protulerunt, & statuant se jugiter Christo adhæsuros, a sæculi pompis, & diaboli operibus recessuros, Deique propterea opem ex corde exorent.

Hæc

(*a*) Canones Pœnitentiales ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis P. Concina (Tom. 9. *lib.* 1. *de Sacrament. Pœnit. Diss.* 5. §. 4.) refert, suosque lectores ad eorum imitationem possibilem hortatur. Canones pœnitentiales communes, quos varia antiqua Concilia condidere, in Juris Canonici corpore cernuntur. Hujusmodi quoque Canonum collectionem ediderunt Muratorius (Tom. 5. *Antiquit. Ital. Diss.* 68.), Morinus (in Apend. ad *Tract. de pœnit.*), Martene Tom. 2. *de antiq. Eccl. Rit.*). Horum Canonum frequentiorem lectio-

Hæc qui attentius considerat, opera aliunde libera, seu alio ex præcepto vel voto non debita satisfactionis materiam esse facile intelliget. Et licet *ex gravi causa* opus aliunde præceptum, exempli gratia ordinariæ Missæ auditionem quadragesimale jejunium &c. cuidam imponi posse graves nonnulli cum Soto Auctores teneant; aliquid tamen indebitum utut leve superaddi debere plerique censent. Dum itaque jejunium, eleemosynam, Missam &c. Confessarius pœnitenti injungit, nisi aliter exprimat, distinctum ab Ecclesiastico jejunium, extraordinariam Missam, aut eleemosynam injunxisse est tenendum; nec communi posse satisfieri. De hoc jam quædam in Tractatu de legibus, & de Missæ Sacrificio diximus.

Pœnitentia, quam Sacerdos tamquam judex dictavit, pœnitentem stricte adeo obligat, ut eam nec mediante alio possit persolvere, nec pro libitu in aliam permutare (*a*). Quodsi rationabi-

lectionem summus Pontifex Benedictus XIV. (*de Synod. lib. 7. cap. 62.*) omnibus Confessariis commendat, illosque ceu laxos redarguit, qui vix audito de Canonibus pœnitentialibus synodali Decreto continuo *Tutiorismum*, & *Rigorismum* inclamant, atque ausu plane intolerabili contra saluberrimas Sanctiones turbas cient, Clerum commovent, iteratisque suis querelis populum vix non ad seditionem pertrahunt. Sed & hæc quoque accipient finem.

(*a*) Propositionem contradicentem Alexander VII. istam confixit: *Pœnitens propria auctoritate subsitus-*

nabilis faciendæ commutationis causa emergat, hæc coram eodem, vel alio Confessario submisse est exponenda, tumque judicialis impetranda commutatio; quæ & ipsa fieri nequit, nisi satem synopticam de pœnitentis statu cognitionem Confessor hauserit, aut in prius haustam denuo sese reflexerit.

---

stituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. Num. 15.

TRACTATUS VII.

DE MATRIMONIO.

SECTIO I.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT I.

De Natura, Divisione, & effectibus Sponsaliorum.

Prætermissis aliis significationibus nomine sponsaliorum intelligit Doctor Angelicus quæst. 43. supplementi art. 1. mutuam promissionem futuri matrimonii vicissim factam ab illis, qui matrimonium contracturi sunt: ad hoc autem ut ex ista promissione vera resultent sponsalia requiruntur juxta commune Doctorum placitum sex conditiones. 1. Quod sit promissio mutua, 2. vera & seria: 3. voluntaria & deliberata: 4. exteriori quodam signo sufficienter manifestata; 5. inter personas ad contrahendum habiles, & 6. obligatoria statim, si absolute facta sit, si autem sub certa conditione inita sit, expleta conditione.

Exponuntur singulæ conditiones. *Prima* requirit, ut sit promissio mutua; est autem mutua, si illi, cui fit promissio, non solum significatur, sed etiam ab eo acceptatur, & vera re promissione confirmatur: necessariam esse mutuam in hoc sensu promissionem colligitur tum ex allegata definitione, tum ex natura contractus onerosi, ultro, citroque obligantis. *Secunda* exigit, ut sit promissio vera, id est, animo obligandi facta; obligatio enim est de essentia promissionis, cum per hoc distinguatur a simplici proposito, quamtumvis efficaci: qui ergo sine animo se obligandi promittit, invalide quidem promittit, peccat tamen mortaliter, eoquod in re gravi & contractu oneroso partem alteram injuste decipiat. *Tertio* conditio postulat, ut sit voluntaria, & deliberata; cum enim promissio hujusmodi sit actus humanus, debet fieri cum deliberatione, & advertentia, eaque tanta, quæ sufficeret ad peccatum mortale in quocumque genere: hinc non sufficit promissio facta ab eo, qui vel ad usum rationis nondum pervenit, vel si ad eum jam pervenit, tempore promissionis delirio vel ebrietate opprimitur.

Conditio *quarta* ad valorem contractus specialitii requisita est, quod signo quodam exteriori promissio sufficienter manifestetur; hoc enim exigit quilibet contractus humanus, cum homines tantum ea, quæ apparent sensibus, cognoscant, & cor soli Deo notum sit: in dubio autem signi sufficientis exploranda est intentio illius, qui tale signum dedit, & juxta conscientiam, quam ha-

habuit, judicandum. Conditio *quinta* est, ut promissio procedat inter personas ad contrahendum habiles; est vero inhabilitas duplex, naturalis scilicet, & legalis: prior oritur ex amentia, ebrietate completa, & ex ætate usum rationis præcedente; posterior desumitur ex impedimento dirimente matrimonium: utraque inhabilitas officit valori sponsaliorum. Quinimo invalida etiam sunt sponsalia cum impedimento impediente, si sint absolute contracta; sicut enim stante tali impedimento matrimonium non potest sine peccato gravi contrahi, sic neque sine peccato gravi promitti: promissio autem de re graviter illicita est nulla. Ultima denique conditio, quod fit promissio obligatoria fluit ex valore sponsaliorum: quilibet enim contractus inducit obligationem.

Quod attinet sponsaliorum divisionem, communiter ea tribuuntur dumtaxat in absoluta, & conditionata; absoluta dicuntur, quando fit mutua promissio matrimonii absolute, seu sine omni conditione adjecta: conditionata vocantur, quando ex parte promittentis, vel unius vel utriusque certa apponitur conditio.

Plura sunt conditionata sponsalia, quibus sicut diversæ apponi possunt conditiones, sic varia de ipsis ferenda est sententia. Etenim si subsistit conditio, aut est necessaria, aut specialiter ad matrimonii contractum requisita, absoluta censentur sponsalia, ac si iisdem nulla apposita esset conditio. Hinc si fidelis mahumetanæ mulieri ita promittat: uxorem te accipiam, dummodo

modo Christi fidem amplectaris: nisi ista implestur conditio, non potest matrimonium valide inter ipsos celebrari.

Si impossibilis conditio vel turpis ideo adstatur, ut consensum excludat, nulla adest promissio; nihilominus in foro exteriori, in quo probari nequit hæc intentio, adhuc valet promissio, si quidem, ut Gregorius IX. Pontifex inquit: *Conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi* (*extra de condit. appos. cap. finali*).

Conditiones quædam quamvis honestæ matrimonio sunt contrariæ, exempli gratia conditio de non petendo neque reddendo conjugali debito, quæ promissionem nullam reddit. Ratio, quam afferunt sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Richardus, Hadrianus, omnesque pene Theologi, est quia hujusmodi conditio non modo carnalem copulam excludit, quod ex mutuo consensu post matrimonii celebrationem fieri potest; sed reciprocam etiam excludit corporum traditionem, quæ est de substantia matrimonii.

Quoad conditiones honestas, quæ matrimonio non repugnant, si sint de præsenti, valent sponsalia, quando vera est conditio. Exempli gratia si quis puellæ dicat: Ego te in uxorem accipiam, si vigesimum attigisti ætatis annum, aut liberam bonorum tuorum administrationem adepta es: si vera non est hæc conditio, non valet

valet promissio; si autem subsistit conditio, promissio valet, & obligat.

Si vero conditio est de futuro, veluti si quis dicat: Ego te uxorem accipiam, si pater tuus assentiatur, aut si mihi mille aureorum dotem tribuas: si conditiones istæ non impleantur, nulla est promissio; quod si impleantur, promissio valet.

Fieri quandoque potest, ut verbis, quæ consensum de præsenti exprimunt, conditio de futuro addatur; sicut si quis puellæ dicat: Te in uxorem accepturum me promitto, si quingentos aureos cras mihi dederis: tunc sponsalia nulla adsunt, donec impleatur conditio; novoque opus erit consensu, ut matrimonium fiat, siquidem conditio apposita est de futuro. Verba hæc de præsenti (inquit divus Thomas *distinct.* 19.), futurum tempus quodammodo significant.

At Tridentini Concilii Decretum, quo, coram Parocho & testibus ut fiant matrimonia, præcipitur, has omnes difficultates amputat.

Sponsalia juramento firmata validiora quidem sunt, quam absque juramento facta; attamen sunt solum promissio de futuro, etiamsi coram Parocho fiant, quia juramentum promissionis naturam non mutat, sed tantum confirmat. Circa sponsalia ista sic definit Alexander Papa III. *De illis, qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, sed ad partes alias transferentes; hoc tibi volumus innotescere, quod liberum*

rum erit mulieribus ipsis (si non amplius in facto est processum) ad alia se vota transferre, recepta de perjurio pœnitentia, si per eas steterit, quo minus fuerit matrimonium consummatum (lib. 4. *decretal. cap.* 5.).

Doctrinam hanc de sponsalibus conditionatis summatim complexus est divus Thomas in supplemento quæst. 43. art. 1. his verbis: *Si fiat promissio sub conditione distinguendum est; aut est conditio honesta cum dicitur: accipiam te, si parentibus placeat, & tunc stante conditione stat promissio, & non stante non stat; aut est inhonesta & hoc dupliciter, quia aut est contra bona matrimonii, ut si dicam: accipio te, si venenum sterilitatis procures: & tunc non contrahuntur sponsalia; aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam: accipiam te, si consentias furtis meis, & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.*

Quando sponsalia conditionata, purificata jam conditione transeunt in absoluta, juxta communiorem, & probabiliorem cum Paludano in 4. d. 29. q. 2. a. 4. Navarro in Enchiridio c. 21. n. 63. & aliis non requiritur novus consensus non retracto priore consensu: quia sponsi pro tempore purificato conditionis se obligare voluerunt, & reapse obligarunt. Dictum est autem: *non retracto consensu*, quia si forte retractatus fuisset, cum jam peccaverit graviter, qui sine causa retractavit, tenetur novum elicere ad valorem contractus requisitum (*a*): sententia hæc etiam

(*a*) Si antequam purificetur conditio, sponsi se invicem carnaliter cognoscant, juxta stylum Curiæ

etiam locum habere videtur in eo casu, quo sponsalibus apponitur conditio petendæ dispensationis supra impedimentum matrimonii dirimens, si sponsi habuerint verum animum petendi dispensationem, & impedimentum aliunde soleat dispensatione aufferri; tunc enim purificata conditione obtentæ dispensationis sine novo consensu id genus sponsalia conditionata transeunt in absoluta; quia quamvis spoponderint, dum essent inhabiles, censentur tamen tunc habuisse voluntatem se obligandi, quamprimum potuissent, quæ voluntas, nisi retractetur, eousque perseverat, quousque impetrata dispensatione evadit absoluta. Diximus vero: *si impedimentum aliunde soleat dispensatione aufferri.* Si enim ex illis impedimentis esset, quæ aut numquam dispensari consueverunt, aut saltem non cum talibus personis, sponsalia hujusmodi essent de conditione moraliter impossibili, & nulla foret promissio: quippe quod habenda esset conditio, ut non apposita.

Effectus sponsaliorum validorum triplex assignari solet. *Primus* est obligatio contrahendi matrimonium tempore congruo. *Secundus* inducere impedimentum dirimens matrimonium, si celebretur cum conjunctis sponsi in primo gradu:

---

riarum Episcopalium, Ratisbonensis, Augustanæ & Constantiensis, hic actus, licet ex se graviter illicitus sit, efficit sponsalia absoluta: quia sufficienter manifestat animum absolutum reciproce sese assumendi in conjuges. Ita P. Gobat. num. 278.

du: nempe ne sponsus valide possit ducere socrem, aut matrem, aut filiam sponsæ, & vicissim ne sponsa valide possit nubere, fratri, patri aut filio sponsæ. Impedimentum hoc dicitur publicæ honestatis: de hoc plura inferius. *Tertius* denique effectus est afferre jus ad rem erga corpus alterius sponsi, ex quo sequitur, quod si alter sponsorum carnaliter peccet cum alia persona, necdum castitatem, sed etiam justitiam graviter violet: hæc proin circumstantia in confessione est aperienda. Hic probe abservandum, quod, ut modo diximus, virtute sponsaliorum sponsi sibi tradant invicem *jus ad rem* in proprium, non autem *jus in re:* hoc enim posterius traditur dumtaxat ineundo matrimonium. Ex hoc facile colligitur, quam manifeste ad laxitatem deflectant nonnulli theologastri recentiores, qui sponsis matrimonio nondum copulatis permittunt absque gravi piaculo, actiones quasdam, uti amplexus, oscula & tactus ex se non admodum turpes, affectu etiam venereo eliciendas, quæ omnia licet habentibus jus in re indulgeri possint, non tamen habentibus solum jus ad rem; etsi enim actus illi non sint ipsa copula, sunt tamen actus, quibus exercetur jus in re imperfectum, quo jure in re sponsi omnino carent, & consequenter actus illos exercendo graviter peccant. Exempla patent tum in aliis contractibus promissionis, tum etiam in aliis personis solo jure ad rem gaudentibus; sic enimvero electo ad beneficium, cum solum ei jus ad rem competat, nemo umquam concedet rebus beneficii, aliisque ei annexis, aliquo modo vel ex parte uti,

uti, antequam habeat jus in re per collationem, & possessionem: sic etiam Petrus, cui Paulus promisit venditurum se anno sequente agrum, acquirit equidem jus ad rem in agrum illum, ita, ut alteri nec vendi, nec promitti possit, non potest tamen quidquam ex illo agro percipere, priusquam legitima possessione jus in re obtinuent. Caveant ergo Confessarii ea permittere sponsis, quæ nec ipse permittit Deus.

CAPUT II.

De Requisitis ad licite tum contrahenda, tum dissolvenda sponsalia.

Ea, quæ ad valide ineunda sponsalia requiruntur, præcedenti capite exposuimus, ubi ad vera sponsalia certas conditiones juxta communem Doctorum sententiam attulimus; nunc restat ea breviter percensere, quæ requiruntur ad hoc, ut sponsalia licite tum contrahantur, tum dissolvantur; ad sponsalia ergo licite contrahenda *primo* requiritur consensus Parentum: est enim omissio gravis reverentiæ debitæ Parentibus in re maximi momenti, & ex consequenti, qui hoc modo sponsalia facerent, graviter peccarent. Hoc non obstante licitum est, inire sponsalia sine prævio Parentum consensu, quando prudentissime prævidetur, eos omnino irrationabiliter dissensuros ex motivo quodam inhonesto, puta ex inordinata passione avaritiæ, vel injusti odii erga personam desponsandam, vel superbiæ, & ambitionis: ii nihilominus, qui hoc modo sese despondere intendunt, non proprio, sed

Virorum prudentum arbitrio in ista re mat
procedant, ne plura eveniant mala in familia
cognatione desponsandorum (*a*).

Præter consensum Parentum *secundo* ad hoc
peragenda sponsalia requiritur, ut celebren
coram idoneis testibus; numquam enim sunt
cienda bona, ut eveniant mala: hæc autem p
rumque evenire solent in sponsalibus clandes
contractis, eoquod ex una parte cum multis
dinarie deordinationibus conjuncta sint, ex al
ra vero parte experientia frequentissime doc
rit, occultis hisce contractibus mala gravia
duci, nec satis arceri posse prætextus, qui ob
constantia sponsorum non raro proficiscuntur (

Præ

(*a*) Si casus aliquis gravior occurrat de sponsa
bus, quæ a filiisfamilias fiunt Parentibus aut
vitis, aut omnino insciis, consuli plane merit
doctissima dissertatio theologico-legalis Auctor
Francisco Maria Muscettula Archiepiscopo Rota
nensi anno 1742. edita Neapoli, cui ab alio
manu accessere 1. plures notæ, 2. Mantissa
sponsal. filiorumfamil. 3. duæ diatribæ, 4. ad
tamenta, 5. auctarium monumentorum.

(*b*) Synodus Augustana anno 1610. celebrata
decernit: *Sponsalia non clandestine, & in angu
sed in domo aliqua honesta coram testibus fiant.
Parochi, nec alterius Sacerdotis ejus loco substitu
præsentia necessaria est, ut legitime, & valide co
trahantur; quin expedit magis non interesse,
imperitiores verum matrimonium contractum cr
dant. Ultro se nullus Parochus sponsalibus ingerat
& ubi hactenus vocari non consueverunt, non fa
etiam vocati ad ea posthac accedant.*

Præterquam vero quod ad licitum contractum sponsalitium & consensus Parentum, & præsentia testium necessario exigatur, etiam *tertio* requiritur, ut sponsus & sponsa fidem Catholicam profiteantur: unde sponsalia personæ Catholicæ cum hæretica sunt graviter illicita, nisi aut Papæ, aut Episcopi accedat dispensatio; miscere siquidem connubia cum hæreticis lege Ecclesiastica sæpius prohibetur (*a*): cum ergo in tali lege pro casu particulari nemo possit dispensare, nisi Romanus Pontifex, aut ubi ad eum difficilis est recursus, Episcopus, alterutrius dispensatio ad licitam desponsationem sine dubio necessaria est. Ecclesiæ profecto Pastoribus incumbit examinare, utrum, & quale periculum perversionis in persona Catholica versetur? vel utrum causa motiva ad contrahendum sit tanti ponderis, ut stante aliquo perversionis periculo ad dispensandum sit sufficiens? certe raro abest omne perversionis periculum: hinc etiam raro supperet sufficiens ratio dispensandi, nisi pro motivo bonum publicum veraciter allegetur.

Ea, quæ modo allata sunt, necessario præexiguntur ad pacta sponsalitia licite ineunda; multo plura sunt, quæ ad eadem licite dissolven-

da

(*a*) Concil. Laodicen. can. 10. prout refertur Tom. 1. Collect. Hard. Col. 784. Agathense can. 67. relato a Gratiano XXVIII. q. 1. can. 16. Chalcedonense can. 14. Item Bonifacius VIII. in cap. decrevit. de Hæreticis in 6. Vid. Benedict. XIV. de Synod. diœcef. l. 6. c. 5.

da & requiruntur, & sufficiunt: potissimas tantum causas hic loci proponimus, quibus vinculum sponsaliorum relaxatur. *Prima* causa dissolvendi sponsalia est mutuus, & vere liber utriusque sponsi consensus, cum uterque possit jure suo cedere, hocque verum, etiamsi fuissent juramento firmata: nam cum sit juramentum promissorium futuri matrimonii, semper intelligitur factum, nisi promissarius remittat. Certa hæc prima procedit de iis, qui talem contractum statuunt, ubi annos pubertatis jam attigerunt: si enim vel alteruter, vel ambo adhuc essent in statu impubertatis, exspectanda foret ætas pubertatis, in qua promissionem antea factam, an ratam habeant, aut rescindant.

Causa *secunda* est notabilis mutatio sponsalibus superveniens, quæ talis, ac tanta est, ut, si antea extitisset, sponsalia non fuissent inita; actus enim operantium non operantur ultra intentionem: ad similes autem casus intentio promittentium se extendisse non præsumitur. Idem dicendum, si ex matrimonio promisso mali eventus, qui non fuerint prævisi, timeantur, nempe scandala, inimicitiæ &c. cum enim ipsa celebratio matrimonii, nisi remediis congruis mala similia præcaveri possint, evadat illicita, eo ipso ruit obligatio ad illud celebrandum, adeoque contractus sponsalitius enervatur.

Causa *tertia* oritur ex eo, quod sponsus vel sponsa cum alia persona fornicetur; ita statuitur cap. *quemadmodum*: de jurejurando 25. rationem assignat D. Thomas: q. 43. *Supplem.* a. 3 ad

ad 6. his verbis: *Quamvis sibi nondum mutuo dederint potestatem corporis sponsalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum.* Ista doctrina eo magis tenenda est de fornicatione spirituali per hæresim, vel apostasiam, sive præcedentem, sive subsequentem sponsalia.

Causa *quarta* est professio alterius sponsorum in Religione quadam approbata; quia vel ex implicito hujus contractus consensu, vel saltem ex dispositione Ecclesiæ semper subintelligitur hæc conditio: *nisi statum meliorem elegero.* Eadem causa se extendit ad sincerum ingressum religionis; nec tenetur altera pars in sæculo remanens exspectare professionem alterius in Religione: quia pars ingressa, hoc suo facto, se resilire a sponsalibus sufficienter declaravit, & aliunde grave admodum esset, integrum per annum exspectare. In casu autem, quo pars religionem ingressa non profiteatur, sed ad sæculum redeat, tenetur ad petitionem partis relictæ, stare sponsalibus. Hæc porro libertas ingrediendi religionem non tollitur per juramentum contractui sponsalitio forte appositum; juramentum enim non mutat naturam hujus promissionis: contrarium est dicendum, si sponsus vel ante vel post sponsalia emittat tale votum, & sponsam voti ignaram defloret, eoquod tunc votum esset injustum, & graviter injuriosum defloratæ, quæ, cum alteri nuberet, non sine gravi dedecore suo defloratа inveniretur.

Disputant hic loci acriter Theologi, an etiam votum suscipiendi sacrum ordinem, salvo semper injusto gravamine sponsæ jam explicato, dissolvat sponsalia; Doctor Angelicus q. 53. *Supplem. art.* 1. *ad.* 1. tenet sententiam affirmantem, quod votum simplex castitatis dirimat sponsalia, multo magis proin votum suscipiendi sacrum ordinem, cum hoc præter perpetuam continentiæ obligationem, perpetuum etiam obsequium Deo, & Ecclesiæ exhibendum inducat. Nec deest sana ratio; promissio enim sponsalitia semper hanc reservationem includit: nisi meliorem statum elegero. Licet autem Jus Canonicum id non applicet ad statum religiosum, militat tamen eadem ratio pro statu ordinis sacri Ecclesiastici. Addunt nihilominus aliqui D. D. tam circa votum ordinis sacri, quam circa votum perpetuæ castitatis sequentes limitationes. *Prima* est, nisi sponsalia fuerint publice contracta: quia tunc moraliter impossibile esset, amovere scandalum pusillorum. *Secunda* est, quod hoc sit verum pro foro conscientiæ tantum: si enim in foro externo a judice ad servandam fidem obstringerentur; eidem procul dubio esset parendum. *Tertia* est, ut id genus vota emittantur sincero animo, Deo in statu meliore vacandi; si enim alio quovis fine emitterentur, nec pro foro conscientiæ sponsalia relaxarentur. *Quarta* denique est, ut omnia fiant, semoto undequaque scandalo: quod si enim tale prævideatur certo moraliter secuturum, pro omni foro sponsalia stringerent.

Cap.

Causa *quinta* solvendi sponsalia nascitur ex eo, quod unus desponsatorum absque consensu alterius in longinquam regionem proficiscatur cap. *de illis* Tit. de sponsalibus, quia talis censetur ipso facto declarare mutationem voluntatis. Nec refert quidpiam si dicatur, quod in dubiis tutior pars sit eligenda; S. Thomas siquidem loco antea citato *ad* 2. respondet, quod *dubium illud determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore statuto ad matrimonium perficiendum: unde si ex parte jus non defuit, quin matrimonium compleret, potest licite alteri nubere.*

Causa *sexta* solvendi contractum sponsalitium desumitur ex eo, quando supervenit affinitas, vel quodcumque juris impedimentum; quinimo ad hunc effectum sufficit vel sola fama impedimenti, vel scandalum; ita statuitur 27. *q.* 2. *cap. si quis sponsam:* & cap. *cum in tua* de sponsalibus. Placitis sacrorum Canonum subscribit scholarum Angelus *loc. cit. a.* 3. *ad* 4. *si sponsus* (inquit) *cognovit consanguineam sponsæ, vel econtra, tunc dirimi debent sponsalia; & ad hoc probandum sola fama sufficit propter scandalum vitandum.* Si vero pars innocens non obstante tali crimine velit persistere in data fide: pars nocens tenetur dispensationem petere, suisque sumptibus procurare.

Causam *septimam* relaxandi sponsalia præbet matrimonium ab uno sponsorum cum persona alia contractum; vinculum enim minus forte solvitur a vinculo fortiori: graviter tamen illicitum est tale matrimonium, utpote celebratum

cum gravi injuria partis derelictæ. Sic statuunt Canones in Tit. de sponsalibus cap. *sicut ex literis.* cap. *si verum.* & cap. *de sponsa duorum.* In hoc autem casu pars derelicta licite contrahit cum alio; si vero in proposito suo persistat, & interea conjux alterius partis moriatur, teneatur pars viduata ducere partem antea derelictam: tum quia obligatio ex sponsalibus oborta ex parte personæ nocentis non extincta, sed tantum suspensa fuit; tum quia nullum jus afferri potest, declarans prima sponsalia fuisse annullata: tum denique quia reus non debet utilitatem libertatis ex sua iniquitate reportare.

Ultima tandem causa, dissolvens sponsalia, est recessus alterius partis, quæ vel absque gravi motivo contractui stare recusat, vel sine prudenti causa celebrationem matrimonii, altera parte eam prudenter petente, identidem diutius protrahit; sic enim recedens satis declarat, se mutasse mentem suam: præterea id ipsum ex cap. *sicut:* de sponsalibus clare deducitur. Si ergo ex memoratis hisce causis post inita sponsalia se una prodat, dissolvuntur sponsalia, & quidem si fuerint occulte contracta, non est opus auctoritate judicis, si autem fuerint facta coram Parocho & testibus, ad dissolutionem eorum saltem pro foro externo requiritur auctoritas Judicis: si enim forte alterutra pars postea negaret, se consensisse in nullitatem sponsaliorum, Judex in foro externo teneretur potius insistere testimonio negantis, & Parochi ac testium & consequenter pro valore contractus spon-

sa-

litii pronuntiare sententiam (a). Disceptant Theologi, utrum contractui sponsalitio possit adjici pœna quædam, a parte resilientis incurrenda? dubium hoc resolvimus sub distinctione; si enim pœna sit moderata, nec statuatur, nisi in resilientem injuste, licite & valide adjicitur, quia hæc conventio nec naturali, nec positivo jure prohibita reperitur: si autem pœna illa concernat eum, qui juste resilit, tunc nec licite, nec valide apponitur, eoquod talis appositio pœnæ tendat ad contrahendum matrimonium ex metu injuste incusso. Ita decernit Gregorius IX. cap. *Gema. Tit. de sponsalibus*, ubi de puero, & puella septenni contrahentibus sponsalia sub pœna incurrenda a quomodocumque resilientes ait: *Cum libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio ob pœnæ interpositionem sit merito improbanda, mandamus, eumdem, ut ab extorsione pœnæ prædictæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.*

(a) Statuta synodalia diœcesis Augustanæ p. 2. c. 10. sic habent: *Sponsalium, quæ publica fuerint, dissolutionem a Nobis, vel Curiæ Nostræ Augustanæ judicibus petant.*

SECTIO II.

DE NATURA, REQUISITIS, DISPOSITIONIBUS VARIIS ET ACTU MATRIMONII.

CAPUT I.

De Natura & requisitis essentialis Matrimonii.

Matrimonii nomine quatuor potissimum significari solent. *Primum* est ratio contractus, quo contrahentes sibi invicem jus in proprium corpus ad prolem generandam actualiter tradunt, & hoc vocatur matrimonium legitimum. *Secundum* est ratio Sacramenti a Christo Domino apposita contractui matrimoniali inter baptizatos inito, unde virtutem conferendi gratiam habituali digne, ac vere contrahentibus accepit, & hoc appellatur matrimonium ratum inter Christianos. *Tertium* est obligatio indissolubilis jugiter cohabitandi, fidem conjugalem servandi, debitum reddendi, prolem educandi, & invicem in ferendis connubii oneris sese adjuvandi, & hoc dicitur vinculum perenne matrimonii. *Quartum* est ipsum exercitium commercii carnalis seu copulæ in ordine ad prolem procreandam, & hoc denique nuncupatur matrimonium consummatum.

Mat-

Matrimonium sub prima significatione consideratum definitur a Doctore Angelico, & aliis, quod sit *viri, ac mulieris conjunctio maritalis, inter legitimas personas, ad individuam vitæ consuetudinem retinendam instituta.* Dicitur *primo conjunctio*, quo nomine significatur vinculum in conjugibus ex contractu inito remanens, & perpetuo durans: alia siquidem, uti actualis consensus, ejus signum exterius, ratio Sacramenti, & ipsa nuptiarum consummatio transeunt. Dicitur *secundo maritalis*: quoniam alia pactionum genera, quibus viri & mulieres obligantur, ut mutuam sibi operam præstent, vel pretii, vel alterius rei caussa, a matrimonii ratione prorsus aliena judicantur. Dicitur *tertio. Viri & mulieris*, ad excludendam scilicet polygamiam veteribus judæis permissam, legis autem Evangelicæ tempore omnino prohibitam. Dicitur *quarto inter legitimas personas*: quoniam, qui a nuptiarum conjunctione legibus seu naturalibus, seu positivis excluſi sunt, ad justa matrimonii fœdera ineunda apti esse non possunt. Dicitur *quinto ad individuam vitæ societatem retinendam instituta.* Quibus verbis denotatur matrimonii indissolubilitas omni jure cum naturali, tum positivo stabilita.

Matrimonium sub secunda significatione acceptum definiri potest, quod sit *signum sensibile conjunctionis Christi cum Ecclesia, a Christo institutum, promissionem habens gratiæ, personas legitime conjunctas, ad individuam vitæ societatem unientis.* Cum enim Christus Dominus vellet

vellet arctissimæ illius necessitudinis, qui ei cum Ecclesia intercedit, suæque erga nos immensæ charitatis certum aliquod signum dare, tanti mysterii Divinitatem hac potissimum maris, & fœminæ sancta conjunctione declaravit; quod quidem aptissime factum esse, ex eo intelligi potest, quod ex omnibus humanis necessitatibus nulla inter se homines magis, quam matrimonii vinculum constringat, maximaque inter se vir, & uxor charitate, & benevolentia devincti sint: atque idcirco fit, ut frequenter sacræ Litteræ nuptiarum similitudine divinam hanc Christi, & Ecclesiæ copulationem fidelibus ante oculos proponant.

Matrimonium sub utraque hac priori significatione definitum essentialiter involvit ea, quæ sub aliis duabus significationibus importantur: agitur enim hoc loco de matrimonio inter Christianos legitime contracto. Porro ad tale matrimonium & licite, & valide contrahendum plura necessario requiruntur; & imprimis quidem ea omnia ad contractum matrimonialem licite peragendum prærequiruntur, quæ paulo ante ad legitimam sponsaliorum celebrationem requiri dictum fuit (*a*). Præterea, cum matrimonium inter Christianos a Christo ad prærogativam Sacramenti fuerit sublimatum, reverentia sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis debita exigit, ut fideles hoc tum conjugalem in statu gratiæ suscipiant. Ita

(*a*) De matrimoniis sine consensu Parentum contractis Consuli debet vel maxime eximium opus Benedicti XIV. R. P. de Synod. diœcesi. lib. 7. c. 5.

pariter, quæ ad valorem sponsaliorum necessaria sunt, ad matrimonium valide contrahendum, veluti quædam præambula, indispensabiliter requiruntur; insuper sacra Synodus Tridentina ad evitandas malorum hominum fraudes quasdam solemnitates, de quibus infra sermo erit, præscripsit, sine quibus matrimonia declaravit esse invalida.

Ut requisita essentialia ad valorem matrimonii rite dignoscantur, matrimonium ex una parte ut Sacramentum, & ex altera ut contractus considerari debet; ad matrimonium, ut est Sacramentum, essentialiter tria requiruntur, scilicet materia, forma, & minister: patet hoc ab inductione cujusvis Sacramenti. Materia matrimonii sub hac consideratione duplex distinguitur, remota una, & altera proxima, priorem constituunt ipsa sponsorum corpora in contractu celebrando tradenda: posterior est reciproca corporum traditio in celebratione expressa. Forma est ipsa corporis traditi reciproca acceptatio per assensum expressa; sic enim Divus Thomas *quæst.* 42. *Supplem. art.* 1. *ad* 1. docet: *Verba, quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma hujus Sacramenti.*

Ex doctrina hac Angelica sequitur, ministerium hujus Sacramenti competere ipsis contrahentibus; minister enim, ut in aliis Sacramentis constat, dicitur ille, qui formam pronunciat, contrahentes vero pronunciant formam. Unde addit ibidem S. Doctor: *Non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Consen-

sentit etiam huic sententiæ Concilium Flore num, quod in Decreto Unionis ita loquit *Causſa efficiens matrimonii eſt mutuus conſe per verba de præſenti expreſſus.* Profecto, contrahentes ipſi eſſent miniſtri, ſequeretur conveniens numquam ſolvendum; matrim enim clandeſtina inter baptizatos non fore cramenta, cum illis deſit præſentia, & ben ctio Sacerdotis: jam autem ante legem Trid tini ab Eccleſia fuiſſe acceptata hujusmodi m monia, ut Sacramenta, certum eſt. Præt lex iſta pluribus in locis non fuit recepta: p ibidem matrimonium careret gratia ſacram

Matrimonia per procuratores inter abſ inita valere in ratione contractus etiam poſt dum Tridentinam, ferme unanimis tenet rum virorum aſſertio: nihilominus condit quas Jus Canonicum cap. finali *de Procur bus* præſcribet, exacte ſunt obſervandæ. Ut vero hujuscemodi matrimonia etiam valea ratione Sacramenti, ſummopere a Theo controvertitur; ſententiam, quæ valorem n Durandus, Canus, Cajetanus, & alii prop nant: opinionem vero, quæ valorem adſtr tenent Innocentius, Hoſtienſis, & Palud cum pluribus aliis.

Aſſertio affirmans videtur eſſe probabil Eccleſia enim id genus matrimonia approb eademque approbando numquam declaravit, ea dumtaxat rata habere ut contractus civ hoc autem declarare dudum debuiſſet, ne les ſilentio Eccleſiæ decepti gratia ſacram

in hoc statu apprime necessaria privarentur. Adde, quod nihil desideretur eorum, quæ ad verum Sacramentum necessaria sunt: habetur siquidem materia, & forma, ac insuper Parochi, & testium præsentia (*a*).

Requisita essentialia matrimonii, prout hoc in ratione contractus attenditur, concernunt consensum eorum, qui nubunt, circa quem nonnulla hic declaranda sunt (*b*).

Viri

(*a*) Si quæ forsitan conditiones matrimonio apponantur, standum erit Decreto Gregorii IX. in quo hæc leguntur cap. *Finali.* de conditionibus appositis: *Si conditiones contra substantiam matrimonii inserantur; puta si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam honore, aut facultatibus digniorem, aut si pro quæstu ad adulterandum te tradas &c. matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis caret effectu: licet aliæ conditiones appositæ matrimonio, si turpes vel impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Idem docet Divus Thomas *quæst.* 47. *Supplem. art.* 5.

(*b*) Consensus in matrimonium dupliciter considerari potest; vel enim contrahens dat consensum obligandi se oneribus matrimonii, vel dat consensum se oneribus hisce obligandi, & ea implendi: primum requiritur, loquendo de consensu saltem implicito, ad valorem matrimonii, cum voluntas se obligandi sit de essentia contractus onerosi, qualis est contractus matrimonialis: alterum si ex utraque parte adsit, & licitum, & validum erit matrimonium quoad consensum contrahentium.

Viri & mulieris mutuus consensus per verba de præsenti requiritur, ut matrimonium verum sit & indissolubile; etenim, si verba tantum essent de futuro, non fieret per ea matrimonium, sed fierent solum sponsalia. Hic consensus mutuus esse debet, siquidem matrimonium inter duas personas contrahitur, quarum utraque corpus suum alteri invicem tradit, quod fieri nequit: debet quoque consensus hic exprimi verbis, vel signis, quæ verborum vicem gerant. Wiclefus docuit, interiorem consensum sufficere; quia, ut ipse ajebat, Deus, qui cor intuetur, potest interiorem hunc consensum approbare. At Ecclesia hunc errorem damnavit; sequeretur enim contrahi posse matrimonium inter personas longe dissitas, quæ mutuum alterius consensum invicem ignorarent, incerta proinde & confusa essent matrimonia, unde gravia Ecclesiæ & reipublicæ incommoda promanarent. Deus profecto cor intuetur, & interiorem hominum consensum potest approbare; sed illum in contrahendo matrimonio non approbat; nullum enim inter homines esse vult matrimonium, quod non humano more contrahatur, id est manifesto expressoque consensu, qui exterioribus sane signis declaretur oportet.

Rebeccæ parentes cum ipsam Isaaco promitterent uxorem, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus ejus voluntatem* (*Genes.* 24.). In Numerorum libro de filiabus Salphaad dicitur: *Nubant, quibus volunt, tantum ut suæ Tribui hominibus* (*cap. ult.*). Apostolus Paulus de vidu

vidua loquens ait: *Cui vult nubat* (1. *Cor.* 7.). Ex hisce textibus evincitur, mulierum consensum ad earum matrimonium omnino requiri; multo igitur magis ad hominum matrimonium pariter eorum consensus est necessarius; siquidem virilis sexus major quam muliebris nobilitas est & libertas. Gratianus hæc Nicolai Papæ verba refert ad Bulgarorum consulta: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur:* ex quibus deinde sic concludit: *Cum ergo inter istos consensus interfuerit, qui solus matrimonium facit, patet hos conjuges fuisse* (27. *qu.* 2.). Responsi sui rationem alibi reddit idem Pontifex inquiens: *Quod enim quis non eligit, nec optat, profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit* (*cap. Præsens* 20. *qu.* 3.). Porro oportet ut in matrimonio se mutuo conjuges diligant colantque, cum matrimonium sit indissolubile; hoc vero evenire vix potest, si vir uxorque inviti uniantur, ideoque tunc matrimonium grave fit onus & intolerandum, & necessaria liberorum educatio negligitur. Quomodo vero conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ omnino voluntaria est, figura esset matrimonium, si mutuus non adesset conjugum consensus?

Eugenius Papa declarat, efficientem matrimonii causam esse regulariter mutuum consensum, qui per verba de præsenti exprimitur: additur autem in hoc Decreto vox *regulariter*, ut

comprehendatur etiam consensus absque verbis præstitus, sed exteriori aliquo signo, imo ipso interdum silentio; exempli gratia, si interrogata a Sacerdote puella, an Cajum in maritum velit accipere, ipsa pudore impedita fileat.

Verum si alter contrahentium tempore eodem, quo consensum suum verbis declarat, interius non consentiret, atque ita adstantes falleret, profecto nullum coram Deo esset matrimonium; quamvis Ecclesia, quæ de internis non judicat, hujusmodi matrimonium in foro exteriori posset confirmare (*Magister dist. 28. ult. Hugo lib. 2. de Sacram. part. 11. Estius lib. 4. in dist. 21.*).

Non est tamen necesse, ut hic consensus expresse & formaliter carnalem conjunctionem intendat, siquidem, ut probavimus, absque hujusmodi conjunctione potest matrimonium existere; sed sufficit, imo requiritur, ut consensus conjugalem vitæ societatem intendat, quæ mutuam unius in alterius corpus potestatem comprehendit.

Neque necesse est, ut conjuges ambo eodem tempore suum consensum declarent; sed sufficit si uterque actualiter consentiat, quamvis non eodem tempore, dummodo ab altero præstitus consensus saltem virtualiter adhuc duret, cum alter contrahens suum pariter consensum præbet, quemadmodum in Regum matrimoniis usuvenit quæ per procuratores passim fiunt.

Jus

Juxta Tridentinum Concilium parentum consensus non requiritur; ut filiorum matrimonium sit validum (*Sess.* 24. *cap.* 20.). Idem docet sanctus Ambrosius inquiens: *Consulitur puella non de sponsalibus. Illa enim judicium expectat parentum. Non est enim virginalis pudoris eligere maritum; sed jam desponsata viro de professionis consulitur die* (*de Virgin.*). Eadem est sancti Thomæ doctrina, qui ait: *Secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares; puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda* (2. 2. *qu.* 104. *art.* 5.). In Gallia vero matrimonium ante vigesimumquintum ætatis annum initum a Magistratibus superioribus nullum declaratur; etenim juxta leges & consuetudines Regni vetitum est, absque parentum consensu ante vigesimumquintum ætatis annum matrimonium contrahere: quod quidem valde est rationi consonum. Nam filii, qui ante hujusmodi ætatem parum judicio pollent, a suis illecti cupiditatibus facile possunt ea contrahere matrimonia, quæ & familiæ nobilitate sint indigna, & proprio ipsorum commodo noxia. Honor & reverentia, quam parentibus suis filii debent, ab ipsis exigit ut parentes suos in re tam gravi consulant: parentum quoque interest ad familiæ pacem servandam, ut ipsi nurus & generos eligant. Veteris Testamenti Patriarchas eorum

patribus annuentibus uxores duxisse scimus; nolluitque Deus, ut proprium parentum esset officium uxores filiis tradere. Dixit Isaac ad Jacob filium suum: *Noli accipere conjugem de genere Chanaan: sed vade ad domum Bathuel, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui* (*Genes.* 28.). At Esau *duxit uxores Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon ejusdem loci; quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ* (*Ibid.* 26.). *Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth* (*Ibid.* 27.). Ecclesiasticus patrem sic alloquitur: *Trade filiam, & grande opus feceris; homini sensato da illam* (*cap.* 7.). De patrum autem in filias potestate Apostolus Paulus sic loquitur: *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, si nubat* (1. *Cor.* 7.). Sanctus Basilius nuptias invitis parentibus factas appellat fornicationes (*ad Amphil.*). Sanctus Ambrosius ait: *Consulitur puella, non de sponsalibus: illa enim judicium expectat parentum. Non est enim virginalis pudoris eligere maritum* (*de Virgin.*).

Toletanum III. Concilium vetat, ne ulla puella invitis parentibus nubat (*cap.* 10.). Tridentinum vero Concilium ait: *Matrimonia filiis familias sine consensu parentum contracta sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit* (*Sess.* 24. *c.* 1.).

In

Itaque filii familias cavere debent, ne invitis parentibus matrimonia contrahant, non solum quia irrita hæc esse declarabuntur, ipsique propterea exhæredari merentur; verum etiam quia sic contrahentes parentibus injuriam irrogant, grave aliis scandalum præbent, & familiæ suæ pacem turbant.

Animadvertendum tamen est, matrimonia sine parentum consensu contracta Concilium irrita non declarasse, quemadmodum nulla fore jussit matrimonia clandestina; contingere enim potest, ut plus prudentia valeat filius quam pater, adeoque ad sibi uxorem eligendam ipse sit aptior: fieri quoque potest, ut parentes sint hæretici, filiosque suos velint cum hæreticis inire matrimonia; vel ut nimis sint avari, nec puellis congruam dotem assignent, nec liberis pro generis convenientia tribuant; vel tandem ut filiorum aliquem præ reliquis diligant, quos ideo a contrahendo matrimonio impediant. In omnibus hisce casibus non prohibet Ecclesia, ne filii matrimonium contrahant, etiamsi parentes consentire recusent, postquam eorum consensum filii reverenter petierunt. Porro Galliæ leges & consuetudines legi seu permissioni Ecclesiæ non sunt contrariæ; sed illam solummodo limitant prohibendo videlicet, ne filii ante vigintiquinque ætatis annos sine positivo & expresso parentum consensu matrimonia contrahant, ita ut hujusmodi matrimonia sint invalida. Verum ubi ad ætatem istam adolescentes pervenerint, ipsis permittit etiam sine parentum consensu ma-

trimonia, dummodo eosdem de propria deliberatione certiores faciant, ut debitus parentibus servetur honor, & ne ipsi hæreditate priventur.

Debent igitur parentes filiorum suorum matrimoniis mature consulere, ne filii vitiis se tradant, vel puellæ illegitimis amoribus indulgeant. Non tenentur sane ipsi suis se bonis spoliare, ut filii matrimonium contrahant; debent tamen facultates expensas imminuere, & parce vivere, ut illis consulant, in quibus se sperant etiam post fata victuros.

CAPUT II.

De variis dispositionibus ad matrimonium tum bene inchoandum, tum bene continuandum conducentibus.

Exposita matrimonii natura, iisque omnibus quæ ad illud & licite & valide contrahendum requiruntur, breviter declaratis, superest ut, cum aliunde de matrimoniis Christianorum nobis præcipuus sermo sit, regulæ quædam salutares afferantur, quarum adminiculo status conjugalis pie & meritorie inchoetur, ac feliciter etiam a quolibet fideli continuetur; breviter in finem isto capite dispositiones quædam salutares ad optime auspicanda connubia proponuntur: dispositiones allatas sequentur monita non nulla utilissima, quibus, quomodo in matrimonio vivendum sit, clare docetur.

Sanctis

Sanctæ dispositiones, quibus junior Tobias ad contrahendum matrimonium accessit, me hortantur, ut de illis verba faciam, quas matrimonio ineundo præmittere debent Christiani. Utilis omnino ac necessaria est ista dispositio nostro potissimum ævo, quando fidelium plerique aut ex cupiditate, aut ex avaritia, aut ex vanitate matrimonio copulantur, quin Sacramenti hujusce dignitatem ullo modo considerent.

Primo igitur qui nupturi sunt, Deum enixe orent, & consulant, ut ejus voluntatem in tam gravi negotio cognoscant. Etenim cum matrimonium sit indissolubile, totaque vita in eo sit transigenda, sancte in eo vivat oportet, qui matrimonio junctus est, ut æternam vitam consequatur. Porro hæc extra vocationem suam vix obtineri potest; ideoque etiam ad matrimonium recte ineundum Dei vocatio requiritur, ejusque gratia, ut sancte in matrimonio vivatur; suam autem gratiam iis tantum Deus concedit, quos ad talem statum vocavit. Sane ad matrimonium vocatio non adeo est necessaria, quam vocatio ad Sacerdotium; attamen ad matrimonium quoque vocatio requiritur, quæ dupliciter potest cognosci, videlicet vel a Deo in oratione, vel a prudente, pio, doctoque homine; qui matrimonium suadeat. Ut vero recte & utiliter ista Deo fiat oratio, debent nupturi sepositum aliquem locum deligere, ubi a curis aliis soluti huic unice negotio vacent, Deique lumen opemque implorent. A sæculi strepitu expedit recedere, ut Dei vox facilius audiatur, quemadmodum nos

ille admonet per Prophetam: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus* (Oseæ 2.). In veteri lege ex arca fœderis sua Deus dabat responsa; reposita autem erat arca in interiori templi parte a duabus aliis separata, quo solus intrabat semel in anno summus Sacerdos: hinc discant Christiani Deum in solitudine loqui, non in strepitu & tumultu. In hac autem solitudine vacuum sit cor hominis, & ad Dei accipiendum lumen plane paratum; nam qui Deum ita consulit, ut proprium velit impleri propositum, hic ficte Deum colit, nec divinum vere expectat responsum. Dicendum est cum Samuele: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*; & responsio non extorquenda, sed expectanda. Oportet igitur simplicem Deo offerre voluntatem & ad utrumlibet paratam, quotiescumque de ea trahendo matrimonio est deliberandum.

Verum quia facile falli possumus, & hanc divinæ vocis amoris proprii vocem sequi, ideo oportet ut pius, doctus, & prudens vir in hoc negotio consulatur. Pius, ut nobis per ejus os Deus loquatur; doctus, ut consulentis indolem, necessitatem, & utilitatem cognoscat; prudens, ut tempus aliasque circumstantias consideret, quæ ad utile præbendum consilium magis sunt opportunæ.

Altera dispositio est honestas finis, ob quem matrimonium eligitur; in hoc enim sæpius peccatur. siquidem plerumque matrimonium contrahitur, vel ut pinguis dos accipiatur, vel cum potentibus familiis conjunctio fiat; vel

propria cupiditas expleatur. Si avaritia matrimonium consulit, quis ex tam mala radice fructus utilis prodibit, cum avaritiam malorum omnium radicem appellet Apostolus? Hanc veritatem optime noverunt Ethnici, qui locupletem uxorem ingens malum vocarunt.

Si ex vanitate matrimonium initur, mundanum est matrimonium, tamquam ex spiritu mundi profectum, qui spiritus cum inconstans sit & quietis impatiens, non est mirandum, si ob hujusmodi matrimoniis pax & concordia abest.

Sed omnium pessimus finis est, qui propriæ servit concupiscentiæ: *si enim*, inquit sanctus Augustinus *iniquum est aviditate possidendi transgredi limitem agrorum; quanto est iniquius libidine concumbendi subvertere limites morum?* Junior Tobias, ut diximus, Deum alloquens ait, se non luxuriæ causa uxorem accipere, propterea mortem vitavit, qua alii Saræ mariti fuere a dæmone sublati. Conjugalis castitas, quam christiani conjuges servare debent, propria est hujusce Sacramenti gratia; sed illa se reddunt indignos, qui tamquam belluæ nubunt, & idcirco omnimodæ intemperantiæ in matrimonii usu habenas laxant.

Tertia dispositio est, ut vir proprium corpus castum uxori suæ tradat, non fœdatum aut corruptum; inter uxorem enim & maritum mutua justitia statui debet, & quemadmodum vir corruptam nollet ducere, sic incorruptum virum mulier jure exigit. Matrimonium est animorum corporumque societas; & sicut maritus ab alte-

rius fœminæ amore liberum animum debet uxori tradere, ita & corpus nulla luxuriæ contagione pollutum. Quamobrem Casuistarum quorundam detestanda est opinio, qui tactus quoslibet inter sponsos permittunt, dummodo probabile absit pollutionis periculum, dicentes tactus & oscula futuræ carnalis conjunctionis signa esse, cui ratione matrimonii consentire jure aliquo possunt. *Quales* (inquit sanctus Augustinus *de verb. Domini serm.* 46.), *eas vultis ad vos venire, tales & vos debent ipsæ invenire. Quis juvenis est, qui non castam velit ducere uxorem? Et si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris, intactus esto. Puram quæris, noli esse impurus. Non enim illa potest, & tu non potes. Si fieri non posset, nec illa posset. Quia vero illa potest, doceat te, quia fieri potest. Et illa ut possit, Deus regit, sed tu gloriosior eris, si feceris. Quare gloriosior? Illam premit parentum custodia, refrænat infirmioris sexus ipsa verecundia. Postremo leges timet, quas tu non times. Ideo ergo gloriosior eris si feceris, quia tu, si feceris, Deum times.*

Quarta dispositio est casta inter sponsos conversatio: & ut quodlibet vitetur periculum, non diu post sponsalia differendum est matrimonium: ægerrime enim in diuturna inter sponsos conversatione fieri potest, ut ab inhonesto quolibet actu ipsi se contineant.

Quinta dispositio est gratiæ status, in quo hoc Sacramentum est suscipiendum. Propterea Ritualia omnia præcipiunt, ut matrimonio

pulandi ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta prius accedant, non tamen postrema ante matrimonii celebrationem dies est expectanda, quia forsan sponsorum alteruter non erit absolutionis capax, quæ ad plures dies erit differenda. Matrimonii enim celebrandi necessitas non est sufficiens ratio, ut Confessarius indignum absolvat, atque ita Sacramenti Pœnitentiæ sanctitatem violet.

Sexta dispositio est, ut omnes in matrimonii celebratione vanitatis & luxus vitentur excessus. En sancti Augustini verba: *Absit triumphus ethnicorum, absit saltatio, absit impudicitia verborum, & propitio Deo honeste nascentur soboles Christianorum. Saltationes enim mundi sunt commercia dæmoniorum. In commercio quid facit negotiator? dat, & accipit. Videamus ergo quid in tali commercio diabolus & det & accipiat. Ipse namque spargit dulcedines luxuriarum, ut servitutem innocentium sibi comparet animorum. Sed volo ut dicas, & si alii saltaverint, tamen ego, qui sum vocatus ad convitium, modestius me habui, & cum disciplinâ exercui. Quid interest ut lingua taceat, cum per aures quoad animam via est, qua impudicitia descendat? Redit matrona malis vocibus stimulata, redit virgo inquinatis auribus, non virgo integra, nec mulier maritata, redit turba adolescentum nec dum mulieribus conjuncta, conscientia lacerata. Tot itaque & talibus conviviis interesse, fratres, non debetis, ubi est diaboli pompa, cui jam per Sacramentum Baptismi renuncia-*

ciastis. Sed fortasse aliquis dicet, antiqua hæc est consuetudo. Quid tu nescis antiquitatem esse errorum omnium matrem? Quid enim si antiquis sacrificiis coluere figmenta, modo Christianorum nova lex nonne gaudet damnasse immundissimas eorum cæremonias? Sed ego antequam ista idola frangerentur, antiquos & probos viros ostendam, qui fuerint disciplinæ Dei subjecti, quibus & qualibus nuptiis assueverunt jungi. Nupsit Abrahæ Sara de regione Chaldæa; accepit Isaac Rebeccam filiam Bathuelis de Sina: dicit Jacob filias Laban de Mesopotamia; accepit Moyses Sephoram de regione Madiana; accepit filius Tobiæ hortante Angelo alteram Saram filiam Raguelis de regione Medorum. Ecce tot nuptiæ antiquorum, & ut verius dicam, animarum Dei, in quibus nullus invenitur saltator, nec organum palpare, nec cytharam percutere, nec tibias inflare.

Confessarii itaque, & præcipue Parochi, quos sacra vocatio ad curam animarum fervida ac fructuose obeundam adstrinxit, operam dent sedulam; ut illis, qui ad Nuptiales Thalamos aspirant, hujusmodi salubres, ac Christiano conjuge summopere dignas dispositiones matrimonio præmittendas persuadeant: sic enim fideles ad exemplum junioris Tobiæ in statu conjugali benedictionem divinam de rore cœli, & de pinguedine terræ largiter adipiscentur. Cum vero non ille, qui bene cæperit, sed qui perseveraverit, coronandus sit, satagant insuper Pastores animorum religiosa quædam monita fi-

libus inculcare, ut, qui pie incæperunt vitam conjugatam, non minori eam pietate prosequantur: saltem ea, quæ modo sequuntur, mature perpendant, & id genus hominibus facienda proponant.

Fidelium matrimonium non est naturalis tantum & civilis societas, ut diximus; sed & christiana societas, & imago rei sanctissimæ, conjunctionis videlicet Christi cum Ecclesia. Hæc liberorum generationi dat operam, non modo ut homines gignant, sed ut geniti filii per Baptismum regenerati Christi membra fiant. Quare christiani conjuges non honeste solum & prudenter, verum etiam pie & sancte vivere debent.

Fidem & amorem maritus & uxor sibi invicem debent; sed christiana fides sit æque ac amor oportet. *Absit*, inquit sanctus Augustinus, *eum pudicum dici, qui non propter Deum fidem servat uxori.* Christianus quoque sit conjugum amor, nec ex sola amoris suavitate, aut ex civilis legis debito oriatur; altius ascendat oportet, omnique sensualitate & concupiscentia remota, Christi erga Ecclesiam amorem imitetur. Expresse enim inquit sanctus Paulus: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam* (*Ephes.* 5.): hic vero amor purissimus est & sanctissimus. Conjugalis amor, qui a natura solum promanat, nec gratus semper est, neque constans; illosque sæpe conspicimus, qui amore duce nupserunt, cito sibi invicem displicere, pristinumque amorem cito in odium verti.

Verum-

Verumtamen fidei exemplum vir præbe uxori. *Reddite* (inquit sanctus Augustinus *verb. Domini serm.* 46.), *quod exigitis. Vis a fœmina exigis castitatem, præbe illi exemplum non verbum. Tu es caput, qua is vide. Ne enim debes ire, qua illi non sit periculosum sequimo tu ipse qua vis eam sequi, illuc debes ambire. Ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem carnis concupiscentiam ambo habetis; qui fortis est prior vincat. Et tamen quod dolendum est multi viri a fœminis vincuntur: servant fœminæ castitatem, quam viri servare nolunt, & in quod non servant, se viros videri volunt; quapropterea sit fortior sexus, ut eum facilius juget inimicus. Lucta est, prælium est, pugna est. Vir fortior fœmina, vir caput est fœminæ. Fœmina pugnat & vincit, tu hosti succumbis! Stat corpus, & caput jacet.*

Uxoris curam & sollicitudinem gerat maritus, illam regat, ipsi obsequatur; uxoris siquidem caput est vir.

Curare debet maritus, ut uxori juxta conditionem suam ad vitam honeste traducendam necessaria tribuat; sed hæc cura non ad vanitatem usque sive supellectilium, sive vestium progredi oportet. Etenim si pretiosas vestes, auro gemmisque ornatas, christianis fœminis Apostolus Paulus prohibet, non debent mariti hæc vanitatis instrumenta eisdem suppeditare, sed christianæ modestiæ ipsas admonere.

Uxoris item mores, vivendique formam gere debet maritus. Quare ipsius actiones

ritus consideret, videatque an pie ipsa vivat, an sit in pauperes misericors, an familiam prudenter regat; utrum honestis ludis indulgeat, utrum iram, & ambitionem fugiat, uno verbo an Deo vere serviat.

Denique uxori obsequatur maritus juxta Apostoli Petri monitum, qui ait: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ* (1. *Petri* 3.). Alter alterius debent Christiani portare onera, id est sibi invicem donare injurias, (ut inquit sanctus Paulus *Galat.* 6.). At maritus in uxoris suæ tolerandis defectibus adhuc promptior esse debet, quia proximior ipsa est & infirmior, & christiana caritas jubet, ut fortes infirmos ferant. Propterea non debet vir ob singulos uxoris suæ defectus commoveri, si ipsa indignatur, si queritur, si irascitur, aut errat. Sæpius aures oculosve suos vir claudat oportet, ut pacem servet, ne frustra rixetur; juges secus querelæ aderunt, & rixæ, & conjugalis ipsa amara erit societas: quod cavendum esse monet Apostolus inquiens: *Nolite amari esse ad illas* (*Coloss.* 3.).

Uxor vero præter amorem & fidem debet viro suo reverentiam, obedientiam, & obsequium. Apostolus Paulus sic inquit: *Verumtamen & vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum* (*Ephes.* 5.). Non aliud hic uxori præcipit Apostolus, quam ut virum suum amet & revereatur, non enim ipsa tamquam dominum

debet

debet timere, sed tamquam caput, quo regi virum suum colere debet, & eidem tamquam Christi imagini honorem tribuere. Viro autem obediat uxor non invita, sed ex amore magis quam ex timore: quod si eidem non obedire noverit se non imitari Ecclesiam, quæ non ex ete, sed libere & libenter Christo obtempera Propterea inquit sanctus Augustinus: *Quis sciat obedientem mulierem inobedienti virgini ponendam (De Virgin. cap. 44.)?* Et Apostolus Paulus uxores sic admonet: *Mulieres ditæ estote viris sicut oportet in Domino (Coloss. 3.).* Non sufficit ergo ut quomodocunque viro suo mulier obediat, sed ei tamquam Domino obediat oportet; idest ut viro suo pareat non quam Dei vicario, & ut Deo obsequatur, qui ipsam viro subdidit. At mariti jussa mollia debent & justa, seu verius inter virum & uxorem partiri debet imperium, ita tamen ut potior uxoris pars sit obedientia. Saræ exemplum Christianis fœminis proponit Apostolus Petrus inquiens: *Subjectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans (1. Petri 3.).* Caveat igitur mulier, ne quando virum suum verbis contemnat; etenim & Deum offenderet, & virum ad iracundiam provocaret. Denique debet mulier viro suo obsequi; non tamen eidem sic blandiri, ut peccanti adulet aut ei ad peccandum opem ferat: constanter quidem debet uxor viro contradicere, & audax resistere, si quando Dei legi contraria vir p cipiat, aut a vero animarum sponso Chr amando illam avocet.

CAP.

CAPUT III.

De licito, ac vero usu matrimonii, seu de actu conjugali, ejusque honestate.

Matrimonio vere, ac licite utuntur, qui actum conjugalem eo, quo decet, modo peragunt: neque enim omnia, aut quovis modo agere conjugatis, præsertim Christianis licitum est. Conjugalis actus inter christianos conjuges bonus est & honestus, si ex fine illo fiat, propter qnem præcipue matrimonium est institutum. Porro hic finis juxta sanctum Augustinum reliquosque Patres est liberorum procreatio, qui per Baptismum sunt regenerandi. *Concupiscentiam carnis* (inquit ille *de Nuptiis & Concup. lib.* 1.), *qua caro concupiscit adversus spiritum, in usum justitiæ convertunt fidelium nuptiæ. Habent quippe intentionem generandi regenerandos, ut, qui ex eis sæculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur. Proinde nuptiæ, quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia vero sine illo fieri non potest, erubescunt.*

Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus; nisi quod conjuges dum se non continent, debitum ob alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & il-

lud, quod non pertinet ad se, ignosci facien propter se.

Neque solus est sanctus Augustinus, qui de neat conjugalem actum ob solam voluptatem e ercitum veniale esse peccatum, sicut in om bus suis Libris constanter asserit; sed relig etiam Patres illa Apostoli verba explicantes: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non s cundum imperium* (1. *Cor.* 7.), idem sentiu quemadmodum sanctus Joannes Chrysostom homilia 22. super Genesim, sanctus Hieron mus libro primo contra Jovinianum, sanct Gregorius Magnus libro 32. Moralium in Jo & in responso ad decimam Augustini Anglor Episcopi interrogationem, & in tertia pa Pastoralis; denique Lactantius libro quinto d vinarum Institutionum.

Veteres Scholastici, nempe Magister Sente riarum, sanctus Thomas, sanctus Bonaventu Richardus, plerique insuper alii magnæ auct ritatis viri antiquos Patres sunt secuti; & rur profecto est horum Doctorum sententiam seq quam novorum quorumdam Scriptorum opin nem, qui conjugii opus ob solam voluptat exercitum qualibet vacare culpa asserunt. An quorum doctrina in hoc fundatur, quod sanctu est Christianorum matrimonium; & de illo q quit sanctus Paulus: *Sacramentum hoc magn est; ego autem dico in Christo & in Eccles* vel juxta Græcum textum: *in Christum & Ecclesiam:* εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησ (*Ephes.* 5.). Unde infertur hoc Sacrament

imaginem esse conjunctionis Jesu Christi & Ecclesiæ. Porro diviniusne aliquid aut Sanctius ista conjunctione potest excogitari? Quamobrem nonne maxime nitendum est, ut turpes quilibet carnales motus a matrimonio arceantur, quod ejusdem conjunctionis est figura? ipsumque Sacramenti nomen nonne pudicum magis ac sanctum Christianorum matrimonium declarat, quam Ethnicorum? Hinc detestandæ sunt absonæ novorum quorumdam Casuistarum opiniones, qui inter conjuges libidini habenas laxant, eaque illis permittunt, quæ hic referre pudor vetat, & quæ Ethnici ipsi damnarent.

In conjugalis actus exercitio non solum venialis culpa committi potest, si ob solam voluptatem id fiat, ut hactenus probatum est; verum etiam mortale peccatum multipliciter potest committi.

Primo si iste actus cum ea frequentia exerceatur, ut neque vir, neque uxor orationi vacare possit. Hoc monet sanctus Petrus inquiens: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, ut non impediantur orationes vestræ* (1. *Petr.* 3.). Et sanctus Paulus expresse ait: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, & non secundum imperium* (1. *Cor.* 7.). Porro conjugalem actum, ut ait sanctus Augustinus, *concedit Apostolus, qui sit non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi.*

quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignoſci impetrant; ſi tamen non ita ſit nimius, ut impediat, quæ ſepoſita eſſe debent, tempora orandi. Hunc tamen non exigere, ſed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet conjugalem (*De bono conjug. c.* 10.).

Secundo, quando maritus ita intemperanter uxore ſua utitur, ut nullis limitibus ſe contineat, aut cum alia libidinem ſuam explere cupiat, aut ſi cum uxore coire ſit paratus, etiamſi ſua non eſſet uxor; denique quando conjugii opus tamquam bellua peragit. Quamobrem ait ſanctus Auguſtinus, intemperantem maritum eſſe quodammodo ſuæ uxoris adulterum. Et ſanctus Hieronymus contra Jovinianum ſcribens, inquit: Nihil fœdius, quam uxorem amare quaſi adulteram (*Lib.* 1. *cap. ult.*).

Tertio mortale peccatum committit maritus, qui cum uxore gravida concumbit, quando adeſt abortus periculum. Idem ſanctus Hieronymus de hujusmodi maritis loquens ait: *Imitentur ſaltem pecudes, & poſtquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios* (*cap.* 15.). Ecclesia viros pœnitentia mulctabat, qui in hanc culpam incidiſſent.

Quarto juxta celebres plerosque Doctores mortale peccatum eſt cum uxore coire, quando ipſa fluxum menſtruum patitur. Expreſſe id Deus prohibuit in Levitico: *Si coierit cum ea vir in tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus, & omne ſtratum in quo dormierit, polluetur* (*cap.* 18.). Et iterum: *Mu-*

mulier

mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes (*ibid.*). Denique: *Qui coierit cum mulier in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi tui* (*cap.* 40.).

Sanctus Augustinus ad illa Ezechielis verba: *Vir si fuerit justus, & ad mulierem menstruatam non accesserit* (*cap.* 18.): ait: *Hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figurate accipienda sunt* (*lib.* 3. *de peccat. cap.* 12.). Ratio hujusce prohibitionis ea est, quia pueri, qui sic concipiuntur, lepra aut gravi alio postea morbo plerumque laborant. Scholastici, nempe sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Alexander Halensis, Richardus, Scotus, Sylvester, Petrus Soto, atque Estius hanc sententiam docent. Attamen sanctus Bonaventura & Sylvester addunt, debitum conjugale reddentem peccare tantum venialiter; & quamvis veteris legis pœna in lege nova cessarit; tamen præceptum adhuc vigere, tum propter honestatem, tum propter infirmitates, quibus sic geniti infantes sunt obnoxii.

Quinto immodico conjugalis actus usu mortaliter ille peccat, qui hoc pacto suæ, vel conjugis sanitati notabiliter nocet. Apostolus illos, qui matrimonio juncti sunt, sic admonet: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum* (1. *Thess.* 4.). Hæc verba satis declarant, debere matrimonio junctos in ejusdem usu a turpi qualibet actione ab-

horrere; ut ipsorum sit juxta eumdem Apostolum: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus* (*Hebr.* 13.). Saræ junioris Tobiæ uxoris mariti, quos dæmon suffocavit, clare demonstrant, nihil ita Deo esse exosum quam in matrimonio intemperantiam; etenim uno ore docent sancti Patres, ideo maritos hac morte punitos, quia propterea solum duxerunt uxorem, ut suæ indulgerent cupiditati. Quare junior Tobias ante matrimonii consummationem tribus diebus tribusque noctibus Deum oravit, uxoremque suam sic est allocutus: *Filii Sanctorum sumus; & non possumus ita conjungi sicut gentes quæ ignorant Deum.* Deumque orans sic ait: *Et nunc Domine scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed solum posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum* (*Tob.* 8.).

Actum denique conjugalem licite non possunt exercere, qui impedimento quodam certo vel dirimente, vel impediente laborant; quinimo etiam illicitus evadit congressus maritalis, quando ex parte unius, vel utriusque conjugis de valore celebrati matrimonii dubium prudens oritur: sic enim se manifesto peccandi periculo exponerent; ita decernunt Romani Pontifices Lucius III. in cap. *Dominus:* de secundis nuptiis, & Innocentius III. in cap. *Inquisitioni* de Sent. Excommunic. ita pariter asserit Doctor Angelicus in 4. dist. 38. loquens de impedimento ligaminis. Proin qui dubitat, a petendo debito desistat, donec veritatem plenam assequatur co-

consulat autem hac super re conscientiæ suæ arbitrum.

Doctrina hæc multo magis locum habet, si conjuges ante contractum matrimonium gravi dubio circa valorem angebantur: tunc enim opus conjugale omnino foret interdictum, ita, ut neutra pars debitum reddere, vel petere posset: quia possessio, quæ cum mala fide incepit, in dubio de possessione nullum jus tribuit. Si autem una pars tantum ex contrahentibus hujusmodi dubio detineatur, nec diligentiam adhibuit, ut illud purgaret, nec parti alteri quidpiam manifestavit, utatur privilegio bimestri, quousque dubium elucidetur; elapso illo tempore, licet petere non possit stante dubio, reddere debitum tenetur: nec enim poterit partem insontem jure suo privare (*a*).

(*a*) Circa honestatem actus conjugalis notandæ veniunt sequentes propositiones damnatæ, ex quibus *prima* est. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus careat culpa ac defectu veniali. 2da. copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. 3tia. non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Primas duas Innocentius XI. 2. Martii 1679. confixit. Ultimam Alexander VII. 24. Sept. 1665. damnavit. Circa hanc materiam consulatur P. Cuniliati O. P. Tract. 14. c. 7. §. 13. de Sacramentis in Particulari.

SECTIO III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CAPUT I.

De impedimentis matrimonii in genere, & de impedimento erroris & voti in specie.

Sacramentis omnibus commune est, ut aliqua accedente quandoque causa, aut nulla sint, aut suo careant effectu; quando videlicet aliquid deest vel ad illorum substantiam, vel ad debitam eorum celebrationem pertinens, vel quando suscipientes necessarias non habent dispositiones ad Sacramenti gratiam accipiendam. Matrimonium tamen plura præ cæteris habet impedimenta; primo quia matrimonium non solum est Sacramentum, sed etiam civilis Contractus; contractus autem pluribus modis aut natura sua aut lege possunt infirmari: secundo quia matrimonium carnali copula consummatur, quæ multipliciter potest impediri.

Hæc impedimenta partim a naturali lege, partim ab ecclesiastica promanant. Primi generis sunt error, impotentia, vis, consanguinitas in primo gradu, & alia hujusmodi. Alterius generis sunt tempus vetitum, Ordo sacer, consanguinitas in remotiori gradu, affinitas, clandestinitas, votum, crimen, ligamen, & honestas.

Cap.

Certum est potuisse Ecclesiam nova matrimonii impedimenta statuere; sicut revera Tridentinum Concilium (*Sess.* 24.) clandestina matrimonia nulla esse jussit, sic contrahentes inhabiles ad contrahendum declarans; anathemate quoque illos percellit, qui dixerint non posse Ecclesiam nova impedimenta statuere. Ratione id nititur, quæ exigit, ut Ecclesiarum Rectores, nempe Episcopi possint eas leges condere, quæ ad bonum regimen pertinent. Quamobrem in veteri lege Moyses Judæis vetuit, ne Chanaan filias ducerent: *Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia: filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo:* sic in Deuteronomio (*cap.* 7.) loquitur, aliaque ibidem impedimenta decernit. In Levitico (*cap.* 18.) consanguitatis gradus enumerat, in quibus vetitum est matrimonia inire.

Principes quoque sæculares subditorum suorum marimoniis impedimenta addere possunt, ut reipublicæ bono serviant, cui debent consulere. Hinc in Gallia lege cautum est, ne Principes e regio sanguine orti sine Regis consensu uxores ducant; etenim si hujusmodi Principibus liceret ex quacumque familia uxores sibi pro libito eligere, evenire facile posset, ut amore, ambitione, vel ira abducti fœdera inirent reipublicæ bono nociva, & regni hæredes gignerent regno indignos (*a*).

Quæ-

(*a*) Doctor Angelicus celebrem illam hac ætate controversiam, utrum Principi sæculari liceat impedimenta matrimonii statuere, paucis ita decidit:

Quædam impedimenta matrimonia fieri v tant, sed facta non retractant; quædam autem & fieri matrimonia prohibent, & jam facta nu la esse decernunt. Primi generis illa sunt, qu ad matrimonii substantiam non pertinent, n contrahentes ad contrahendum inhabiles reddu sed quæ tantum ex Ecclesiæ præcepto matrimoni celebrationem impediunt. Quæ vero matrimo nium nullum reddunt, hæc sunt videlicet erro conditio, votum, consanguinitas, crimen, cu tus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestu furor, affinitas, clandestinitas, & impotentia.

Error debet esse circa personam, non circ ejusdem qualitatem (*a*). Si exempli gra Cle

cidit: *Matrimonium, in quantum est in offici naturæ, statuitur jure naturæ; in quantum est in o cium communitatis, statuitur jure civili: in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino: & ideo qualibet dictarum legum* (naturalis scilicet, hu manæ & divinæ) *potest persona effici ad matri monium illegitima.* Et vero matrimonium, u civilis contractus est, & sub hac ratione in of cium comunitatis vergit, totius reipublicæ fu damentum esse videtur: illius proin erit ips ad bonum totius communitatis ordinare, c cura comunitatis est comissa. Præterea haud m nor esse putanda est potestas Principum Christi norum circa matrimonii contractum, ac fuer olim potestas Regum Hebræorum, & nunc e Principum infidelium in eundem contractu Vid. P. Gervasio *lib. V. de Sacram. matrimo cap. 7. pag. 897. Edit. Viennensis* 1766.

(*a*) Supponit hic Auctor errorem circa qualitat tantum accidentalem, quæ cum non sit circa fu

Claudinus Catharinam ducat, putans se Mariam ducere, nullum est matrimonium; si vero Mariam ducat pauperem & deformem, putans se divitem pulchramque uxorem ducere, hic error matrimonium non reddit invalidum. Jacob Liam duxit putans hanc esse Rachelem: mane se deceptum cognovit, postquam matrimonium jam consummaverat; sed novo consensu validum illud reddidit. Prima nocte cum Lia concumbens materialem fornicationem commisit, non formalem; nec peccavit, quia ignorans fecit, putans se cum Rachele concumbere, quam ducere voluit uxorem. Sanctus Augustinus (*Lib.* 22. *contra Faust. cap.* 52.) historiam hanc explicat allegorice.

Matrimonium non consummatum per alterutrius conjugum in Religionem ingressum solvitur. Tridentinum Concilium sic definivit inquiens: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

---

stantiam contractus, matrimonium non dirimit; si autem qualitati accidentali alligetur intentio contrahentis, tunc ejus defectus vel redundat in ipsam personam, quæ eligitur, vel certe tollit consensum illius, qui nonnisi sub tali qualitate contractum inire intendit: unde error in hoc casu, licet circa qualitatem versaretur, matrimonium redderet invalidum. Tunc autem censetur intentio contrahentis esse hujusmodi qualitati alligata, quando illa finem primarium cum tali persona contrahendi constituit. Confer. hac de re Cl. P. Amort *Theol. Moral. Tom.* 2. *Tract.* 15.

sit. Veterum Pontificum decisiones, plurimaque Sanctorum exempla Tridentini decretum præcessere (*De convers. conjug. & 27. qu. 2.*). Decretales pleræque sub variis titulis idem statuunt.

Ex sancto Epiphanio (*Hæres. cap. 78.*), & sancto Ambrosio (*De virgin. l. 3. c. 4.*) novimus, sanctum Paulum Theclam fidei mysteriis imbuisse, atque eidem auctorem fuisse, ut sponso dimisso virginitatem suam Deo dicaret. Eamdem historiam sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum scribens sic narrat: *Taceo nunc vestrum periculum. Ipsi jam timeo Apostolo, ne dæmoniorum doctrinam intulisse tunc Iconio videatur, cum Theclam oppignoratam jam thalamo in amore sermone suæ perpetuæ virginitatis incendit.*

Sancta Cæcilia prima nuptiarum nocte a Valeriano sponso suo se tangi non permisit, quia suam Deo dicaverat virginitatem.

Refert sanctus Augustinus (*Lib. 8. Confess. cap. 4.*), duos Imperatoris aulicos, lecta sancti Antonii vita, sponsas suas reliquisse, ut eremiticam vitam susciperent; ipsasque, hac mutatione audita, simile vitæ genus amplexas.

Si post exempla rationes libet inquirere, tres potissimas reperiemus. Prima est, quia semper licet a minus perfecto statu ad perfectiorem transire. Porro religiosus status sane est matrimonii statu perfectior. Hunc igitur licet deserere, ut alter eligatur, quando sine alterius injuria

juria eligi poteſt, ſicut evenit cum matrimonium nondum eſt conſummatum. Etenim ſi conſummatum eſſet matrimonium duplex damnum immineret, filio videlicet forte concepto, ſeu filiis jam natis, qui patris matrisve in religionem ingreſſu eorumdem auxilio privarentur; præterea conjux in ſæculo manens non poſſet alteri nubere, durante priori vinculo; neque hoc ſoluto tam facile poſſet nubere poſt amiſſam virginitatem.

Deinde duplex diſtinguendum eſt matrimonii vinculum; aliud ſpirituale, quod ex ſolo conjugum conſenſu oritur, & aliud carnale, quod ex carnali conjunctione provenit. Porro poſtremum hoc vinculum morte corporali ſolvitur. Æquum igitur eſt, ut & ſpirituale civili & ſpirituali morte, qualis eſt religioſa profeſſio, ſolvatur.

Tertio Chriſtus Dominus apud ſanctum Matthæum ait: *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet* (*Cap.* 19.). Hinc inferre licet, quod quamvis poſt carnalem conjunctionem matrimonium ſolvi nequeat, cum per illam facta ſit duorum conjugum una caro; attamen ante iſtam conjunctionem ſolvi aliquo modo poteſt, quod tunc Eccleſia fieri decrevit, quando alter conjugum religioſum ſtatum amplectitur.

Quemadmodum religioſa profeſſio matrimonium non conſummatum ſolvit; ita contra conjugum

jugum continentia illud non ſolvit, nec verum matrimonium eſſe deſinit inter conjuges, qui a qualibet carnali conjunctione abſtinent.

Primo quia carnalis cohabitatio non eſt de matrimonii eſſentia. Antequam peccaret primus homo, inter ipſum Evamque verum conſtabat matrimonium, quamvis nondum carnali copula juncti fuiſſent; ipſis enim dixit Deus: *Creſcite, & multiplicamini* (*Geneſ.* 2.): & Adam ex lateris ſui coſta Evam formatam videns ait: *Et adhærebit homo uxori ſuæ.*

Secundo in matrimonii definitione nulla de carnali conjunctione fit mentio; unde infertur illam non eſſe de matrimonii eſſentia.

Tertio conjugum ſanctificatio, quæ hujus Sacramenti effectus eſt, carnalem conjunctionem præcedit; ergo multo magis Sacramentum ipſum hanc conjunctionem præcedit, nec ab illa pendet.

Quarto ſancti Patres inter ſanctum Joſeph ſanctamque Virginem verum fuiſſe matrimonium uno ore affirmant (inquit enim ſanctus Auguſtinus *de Nuptiis lib.* 1. *cap.* 11.): *Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa carnis pudenda concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccat.*

Idem

Idem ante Auguſtinum ſanctus Ambroſius docuerat inquiens: *Nec illud moveat, quod ait, qui Joſeph accepit conjugem ſuam. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen aſſiſcitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cum conjungitur puella, conjugium eſt, non cum virili admixtione cognoſcitur (De Virgin. t. 6).*

CAPUT II.

De impedimento matrimonium dirimente ex cognatione.

Triplex eſt cognatio: naturalis, legalis, & ſpiritualis. Naturalis cognatio appellatur conſanguinitas: hæc eſt vinculum inter duas perſonas, quæ ex eodem proximo ſtipite deſcendunt, quod vinculum ex carnali generatione oritur, & matrimonium ad quartum usque gradum incluſive nullum reddit.

Ut cognoſcatur cognatio, duæ diſtinguendæ ſunt lineæ, recta, & collateralis. Recta linea illa eſt, in qua perſonæ una ab alia deſcendunt; ſicut filius a patre, nepos a filio.

Hæc linea recta dividitur in lineam deſcendentium, quando deſcendendo per genitores geniti numerantur; aut in lineam aſcendentium, quando a filiis ad patres numerando progredimur.

Linea collateralis illa eſt, in qua plures perſonæ ab eodem deſcendunt ſtipite, quamvis una aliam non genuerit: ſic fratres in linea collaterali ſunt conſanguinei.

Ut

Ut sciatur in quo consanguinitatis gradu personæ sint, tres regulæ sunt observandæ. Prima quoad lineam rectam regula est, tot esse gradus, quot personæ, dempto stipite. Exempli gratia pater, filius, & nepos tres sunt personæ: si stipitem demas, qui est pater, patrem & filium reperies in primo esse gradu, filium & nepotem in secundo.

Secunda regula quoad lineam collateralem est, tot gradibus inter se distare personas, quot gradibus distant a communi stipite: hinc duo fratres sunt in primo gradu, duo consobrini in secundo, & sic de reliquis.

Tertia regula quoad eamdem lineam collateralem est, gradum sumi a persona remotiore. Exempli gratia Petrus duos filios habet, Joannem & Paulum; Joannes autem filium habet Antonium, & nepotem Guillielmum. Si petas quo cognationis gradu sint conjuncti Paulus & nepos Joannis, id est Guillielmus, respondeo tertio, quia Guillielmus nepos Joannis tribus gradibus a primo stipite distat, nempe a Petro, siquidem cum quatuor in linea recta personæ extent, videlicet Petrus, Joannes, Antonius Joannis filius, & Guillielmus Joannis nepos, si unum demas, tres remanent. Igitur Paulus & Guillielmus Joannis nepos tertio consanguinitatis gradu sunt conjuncti.

Mundi initio, ut ejus incolæ augerentur, oportuit fratres sororibus in matrimonium copulari; sed postquam hi filios filiasque genuerunt, ab hujusmodi contrahendis matrimoniis

desitum est: fiebant præcipue matrimonia inter consobrinos, qui patrem vel matrem communem non habebant. Abraham Saram uxorem duxit filiam fratris sui, qui eodem patre natus erat, ideſt Thare, sed non eadem matre. Isaac uxorem duxit Rebeccam, quacum tertio consanguinitatis gradu jungebatur; Jacob vero uxores accepit Labani filias, qui matris suæ frater erat, quocum quarto consanguinitatis gradu erat conjunctus. Amram Levi nepos *accepit uxorem Jochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron & Moysen* (*Exod.* 6.). In Levitico (*cap.* 18. & 20.) plures enumerantur consanguinitatis gradus, in quibus matrimonia contrahere Deus vetat.

Pluribus sæculis matrimonia ad septimum usque gradum Ecclesia prohibuit. Innocentius Papa III. in Lateranensi Concilio hanc septem graduum prohibitionem ad quatuor tantum restrinxit (*Greg. ep.* 21. *lib.* 12. *Nicol. I.* 35. *qu.* 3. *c. nulli, c. non debet extra de cons. & affin.*), & Gregorius IX. hanc Constitutionem confirmavit, quæ adhuc in Ecclesia servatur.

Præceptum aliquid prohibens tripliciter naturale vocari potest. Primo quia res vetita adeo intrinsece mala est, ut mutatione nulla fieri umquam bona possit; sicut Dei odium, mendacium, & idololatria. Secundo quia res prohibita est quidem semper & ubique intrinsece mala, non tamen in extrema necessitate. Exempli gratia, vetitum est aliena invito domino rapere; attamen potest pauper in extrema necessitate id

invito etiam domino ſurripere, quo opus h
bet, ne fame pereat, quia in extrema neceſſit
bona omnia ſunt communia. Tertio quia re
vetita mala quidem eſt abſolute conſiderata, ſe
mutatis circumſtantiis bona & permiſſa eſſe p
teſt. Exempli gratia, hominem occidere eſt
trinſece malum, ſed ſi per judicis ſententia
reus occiditur, non eſt iſta actio mala.

Conſanguinitas non ex naturali præcepto p
mi, tertiive generis nullum reddit matrimoni
Etenim nulla eſt conſanguineorum intrinſece e
mala conjunctio, ut nequeat Deus ab illa diſp
ſare; quamvis conſanguineorum conjunctio,
quocumque gradu fiat, nude ſpectata, turp
ſit & mala, ideoque naturæ lege vetita. Att
men dici generatim nequit, hujusmodi conj
ctiones naturali lege eſſe prohibitas; ſiquidem
ob juſtam aliquam cauſam, & in pluribus c
cumſtantiis licitæ eſſe poſſunt. Quamobre
oportet, ut poſitivæ etiam ſpecialesque leges e
ſtant, quæ determinent circumſtantias, in quib
matrimonium inter conſanguineos initum n
ſolum ſit illicitum, ſed etiam nullum, nam p
ad nullitatem lex ſpecialis requiritur, ſiquidem
multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, p
cipue in contractibus.

Hinc præceptum matrimonia inter conſa
guineos prohibens, ſecundo tantum modo na
rale dici poteſt, ita ut hujusmodi matrimon
non ſolum illicita ſint, ſed etiam nulla.

Primo prohibetur matrimonium inter filiu
& matrem. Secundo prohibetur inter filiu
patrem.

patremque. Nationes quælibet solo naturæ ductu hæc matrimonia detestatæ sunt, & Persarum morem, apud quos filius cum matre matrimonium inibat, reliquæ nationes damnarunt. Tertio prohibetur matrimonium inter fratrem ejusque germanam sororem, id est ex iisdem natam parentibus. Quarto prohibetur inter fratrem & sororem, quæ ex eodem patre, vel ex eadem matre nata sit. Quinto prohibetur inter privignum & novercam: quod peccatum sanctus Paulus in incesto Corinthio excommunicatione puniit. Sexto prohibetur inter vitricum & privignam. Idem de illis statuendum est, qui in linea recta quocumque gradu sunt juncti, de patruo scilicet, avo, & abavo, cum suis filiabus, aut neptibus. Ratio hujusce prohibitionis est pudor & reverentia, quam iis, qui se genuerunt, & quos patres vocant, patribus nempe, avis, abavisque debent filii exhibere. Civiles leges hæc matrimonia prohibuere, ut ex Justiniani Institutionibus discimus (*tit. de nuptiis*). Egregie sanctus Thomas de hisce prohibitionibus agit, quarum (2. 2. *qu.* 154. *art.* 7.) plures affert rationes (*a*).

Cæte-

(*a*) Qui scienter attentant in prohibitis hisce seu consanguinitatis, seu affinitatis gradibus matrimonium contrahere, in utroque Jure graves pœnas incurrunt; de Jure canonico excommunicationem ipso facto a Clem. V. in Concilio Viennensi Generali latam per *Clem. un. h. t.* subeunt: debent etiam publice ut excomunicati denunciari. De Jure Civili Josephus I. Imperator pro Romano Imperio in Ordinat. Criminali art. 19 sanxit,

Cætera vero inter consanguineos & affines matrimonia, præter hactenus recensita, cum non sint neque illicita, neque nulla, & cum graduum prohibitio, quæ in Levitico legitur, ad Mosaicam legem pertineat, nec Christi fideles obligare possit, siquidem Dei Filius in Evangelio nihil ad id spectans præcepit; merito infertur, nullum gradum præter recensitos, neque naturali jure, neque divino, Fidelium matrimonia posse impedire. Quapropter facultas data est Ecclesiæ, ut legibus suis definiat, intra quos gradus matrimonia contrahere liceat, vel eadem contrahere non sit permissum, imo etiam invalide contrahantur; sive ad matrimonii honorem servandum, sive ad hominum concordiam tuendam, sive ad plura animarum damna vitanda. Deus in universum statuit, ut legitimæ personæ essent Sacramenti matrimonii subjectum, & ad illud suscipiendum aptæ; sed Ecclesiæ suæ auctoritatem tribuit declarandi, quæ sint legitimæ personæ & ad contrahendum aptæ; quæ matrimonii sint impedimenta: proinde potest ipsa hæc impedimenta restringere, aut relaxare, atque dispensare in iis gradibus, in quibus jure ecclesiastico, non autem naturali, matrimonium est vetitum. Hac semper auctoritate usa est Ecclesia; & sanctus Gregorius magnus Angl[orum] pol[licitus]

xit, ut incestus inter parentes, & proles, inter cognatos in primo, & secundo gradu, & inter affines in primo gradu lineæ rectæ gladio puniatur. Hæc serviunt vel maxime Confessariis, & Parochis ad absterrendum fideles ab ejusmodi incestibus intuitu tam gravis pœnæ & infamiæ.

post eorum statim conversionem permisit, ut in quarto & in tertio etiam consanguinitatis gradu matrimonia contraherent. Tridentinum Concilium anathemate perculit hæreticos, qui docent Ecclesiam hujusmodi dispensationes concedere non posse. Caute tamen debent Pontifices hac facultate uti, & præcipue in secundo gradu non est dispensandum, ut ait Tridentinum, *nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Hispaniarum Reges consuetudine gaudent, ut amitas suas neptesque ducere possint uxores, ne regni jus extra regiam familiam exeat. At hujusmodi matrimonia felices non semper successus habuere; timendum imo est, ne occulto Dei judicio divina maledictio super ipsa descenderit. Porro si id affirmare licet de Regibus, qui ex publicis causis matrimonia ista celebrare possunt; privatis multo magis timendum est hominibus, qui non ex publicis causis, sed ex cupiditate, aut ex avaritia hujusmodi matrimonia contrahunt.

Idem dicendum est de gradibus affinitatis, quæ a marito contrahitur cum uxoris suæ consanguineis; & ab uxore cum consanguineis viri sui. In veteri Lege tenebatur frater fratris sui absque liberis defuncti uxorem ducere, ad fratris semen suscitandum. Ad septem olim gradus impedimentum affinitatis extendebatur, at in Lateranensi Concilio ad quatuor tantum est redactum, in quibus si absque Pontificis, aut Diœcesani Episcopi dispensatione matrimonium contrahitur, est invalidum.

Duplex est spiritualis cognatio, quæ matrimonium contrahere vetat, & contractum infirmat. Prima est paternitas; quæ contrahitur inter baptizantem, si sit laicus, & baptizatum; vel quæ contrahitur inter personam, quæ de Baptismo puerum suscipit, aut de Confirmatione, & baptizatum ipsum, aut confirmatum. Secunda est compaternitas, quæ contrahitur a baptizante, & ab eo, cui puerum de Baptismo suscepit, cum carnali patre & matre baptizati. Hujus cognationis ratio est, quia Baptismus est spiritualis generatio, cui eadem reverentia est debita, quæ carnali paternitati tribuitur. De jure antiquo spiritualis cognatio oriebatur inter legitimos & naturales baptizantis filios & baptizatum, item inter legitimos patrini filios, & baptizatum, quæ vocabatur confraternitas: sed Tridentinum Concilium (*Sess. 24. cap. 2.*) hanc sustulit, ideoque nullum hodie oritur impedimentum inter patrini aut baptizantis filios & baptizatum. Præterea *sancta Synodus statuit, ut unus tantum, vel unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* Patrinorum uxores non amplius, ut olim, cognationem contrahunt cum baptizato, vel ejusdem parentibus.

Si ante matrimonium hæc ſpiritualis cognatio contrahitur, illud celebrare ipſa vetat; ſi autem matrimonio ſupervenit, non poteſt illud ſolvere, ſed ſolum marito vel uxori jus adimit debitum conjugale petendi, quando alteruter cognationem contraxit, niſi aut ex ignorantia invincibili, aut ex inevitabili neceſſitate illam contraxiſſet.

Legalis cognatio illa eſt, quæ ex adoptione oritur, cujus ope naturalium filiorum carentia ſupplet, qui horum loco extraneos ſibi adoptat. Porro adoptio impedimentum eſt, quod matrimonium ad quartum usque gradum incluſive nullum reddit, ſicut conſanguinitas.

Tres gradus adoptio continet: primus eſt inter adoptantem & adoptatum, hujusque filios & nepotes. Secundus eſt inter adoptantis filios & adoptatum; filios, inquam, legitimos. Tertius eſt inter adoptantis uxorem & adoptatum, item inter adoptantem & adoptati uxorem. Horum graduum differentia eſt, quod ſecundus non eſt perpetuus, & ſolum durat usque dum filii ſunt ſub patris poteſtate; nam patris morte, aut filii emancipatione; aut patria poteſtate ceſſante, impedimentum ceſſat; primus vero tertiusque gradus impedimenta ſunt perpetua, quæ ſolum Pontificis diſpenſatione tolluntur.

CAPUT III.

De aliis impedimentis dirimentibus.

Impedimentum conditionis illud est, quando aliquis imprudens mulierem servam uxorem ducit, ducere putans liberam.

Conditio etiam hoc sensu accipi potest, ut sit stipulatio rei alicujus faciendæ ante matrimonium, & quadruplex est. Prima est contra bona matrimonii, quæ sunt proles, fides, & indissolubilitas. Contra bonum prolis hæc esset conditio, si quis puellæ diceret: Ego te uxorem ducam, si medicamenta sumpseris, ut steriles fias. Contra bonum fidei ista esset conditio: Te ducam, si aliis te prostitueram promittis. Contra indissolubilitatem vero hæc: Mea eris uxor, donec aliam te ditiorem reperiam. Hæ tres conditiones matrimonium nullum reddunt (2. 2. *qu.* 2. *cap. solet. cap. aliquando.*).

Secunda conditio vocatur turpis; quando maritus ab uxore petit, ut peccatum aliquod committat, quod tamen non est contra matrimonii bonum. Exempli gratia si dicat: Ego te uxorem accipio, si patrem tuum occidas, aut mille aureos fureris. Hæc conditio censetur non apposita, & nulla judicatur: quod si vera adsit consensus de præsenti, in foro conscientiæ validum est matrimonium, licet in exteriori foro sit invalidum.

Tertia conditio est impossibilis; veluti si quis sciens sponsæ patrem esse mortuum dicat.

Ego

Ego te uxorem accipio, si pater tuus consenserit. Hæc conditio sicut secunda censetur non apposita, & matrimonium in exteriori foro est validum: quod si interior consensus adsit, in foro quoque conscientiæ matrimonium valet.

Quarta conditio honesta est, & est duplex. Alia est conditio de præsenti, aut præterito: exempli gratia si viro dicat mulier: Ego te maritum accipio, si dives es, aut si pater tuus consensit. Tunc si vera est conditio, valet matrimonium; si vero falsa est conditio, matrimonium est invalidum.

Alia est conditio de futuro, velut si quis dicat: Ego te uxorem accipio, si pater tuus centum aureos mihi dabit. Tunc adest matrimonium, quando impleta est conditio, si contrahentes in eadem persistunt voluntate. Antequam vero impleatur conditio, nullum adest matrimonium; quod si interim vir aliam ducat, valet hoc secundum matrimonium; sed vir illud contrahens mortaliter peccat (*de condit. appos. cap. super ea.*).

Impedimentum raptus est, quando quis puellam de parentum suorum, aut tutorum domo rapit, & donec rapta in raptoris est potestate, si matrimonium contrahitur, illud est nullum. Ita decernit Tridentinum Concilium, additque: *Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur prætexea ra-*

ptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit *ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis* dota*re* (*Seſſ. 24. cap. 6.*).

Impedimentum criminis duplex eſt, aliud ortum ex homicidio, aliud ex adulterio. Ex homicidio, quando Antoninus exempli gratia uxoratus, volens cum Joanna matrimonium contrahere, uxorem ſuam occidit, ſi Joanna quoque crimen participet, & hoc fine homicidium fiat. Si harum conditionum alterutra deſit, veluti ſi ambo crimen non participent, nullum eſt impedimentum.

Ex adulterio autem tripliciter impedimentum oriri poteſt. 1. Quando Petrus exempli gratia Nicolaum occidit, ut ejus ducat uxorem, cum qua adulterium commiſit. 2. Si Claudius exempli gr. uxoratus matrimonium cum Catharina contrahat, quæ prioris matrimonii notitiam habet & cum eadem concumbat. Si poſtea Claudii uxor moriatur, non poteſt ipſe Catharinam ducere. 3. Si Petrus uxoratus cum fœmina aut virgine carnaliter peccet, ſe illam ducturum promittens poſt uxoris ſuæ mortem.

Ordinis impedimentum eſt, quando quis ad ſacris Ordinibus conſtitutus matrimonium contrahit.

Ligaminis impedimentum eſt, quando uxoratus, antequam matrimonium conſummet, aliam ducit.

Si mulier maritum ſuum mortuum certo putans alteri nubat, aut vir uxorem ſuam mortuam

credens aliam ducat, neuter peccat, etiamsi conjugale debitum reddat & petat. Ubi vero novit mulier maritum suum adhuc vivere, non debet ipsa secundo marito debitum ultra reddere: quod si dubitat an maritus vivat, a petendo debito oportet ut abstineat, reddere autem semper debet. Vivens vero maritus uxorem suam primam recipere, nisi compertum sit ipsam cum secundo concubuisse, etiam postquam novit primum maritum adhuc vivere.

Votum solemne in religione ab Ecclesia approbata emissum reddit nullum matrimonium, si tertium sancti Dominici aut sancti Francisci Ordinem excipias. Clericus, qui post Ordinem sacrum, & Religiosus, qui post emissam professionem matrimonium contrahit, excommunicatur juxta Clementinam, & juxta Regum nostrorum edicta morte est plectendus (*Clement.* 1. *de consangu. & aff.*).

Cultus, seu religionis disparitas nullum pariter matrimonium reddit. Intelligendum id est de idololatris cum christianis; ita ut nequeat infidelis christianam mulierem uxorem accipere; neque christiana mulier infideli nubere, siquidem invalida sunt hujusmodi matrimonia. Hæc matrimonia prohibet Apostolus inquiens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus* (2. *Cor.* 6.): Tertullianus (*ad Ux.*) fidelis cum infideli matrimonium vocat adulterium; & sanctus Cyprianus membrorum Christi prostitutionem. Primum Arelatense Concilium, & secundum Aurelianense (*can.* 11. *can.* 18.) præcipiunt, ut fidelis ab infideli conjuge separetur.

In-

In veteri Lege plura occurrunt exempla sanctorum Patriarcharum, quæ idololatras fœminas duxerunt uxores. Jacob Liam & Rachelem duxit, Joseph Ægyptiam mulierem, Moyses Madianitidem, Salmon Raab. Booz Ruth, David filiam Jessur, Salomon Pharaonis filiam; sed omnes istæ nubentes veri Dei cultum amplexæ sunt. Chalcedonense Concilium fidelibus permittit, ut cum idololatris matrimonia ineant, si spes affulgeat idololatras ad veram fidem perventuros. Sic sancta Monica Patritio nupsit, & Clotildes Regi Clodoveo, quos utraque ad veram fidem perduxit. Apostolus Paulus sic ait: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus* (1. Cor. 7.).

Si infideles conjuges christianam religionem suscipiunt, debent in matrimonio antea inito permanere, quamvis illud contra canonicas leges contraxerint, dummodo nullum contra naturale jus adsit impedimentum. Hinc si in secundo, tertio, aut quarto consanguinitatis gradu contraxerunt, debent in matrimonio persistere, quia

quia hi gradus a canonico jure prohibentur, cui infideles minime sunt subjecti. Quod si in primo consanguinitatis gradu matrimonium celebrarunt, pater cum filia, filius cum matre, cum fratre soror, hæc sunt dissocianda conjugia, utpote naturæ juri repugnantia, & ab initio nulla.

Infideles (*cap. gaudemus, de Divortiis.*), qui plures duxere uxores, ad fidem conversi debent primæ, cum qua matrimonium inierunt, adhærere: quod si nolit ista fidem suscipere, possunt e reliquis, quæ fidem suscipiunt, quam maluerint, eligere, cum qua denuo matrimonium contrahent (*a*).

Quando

(*a*) Advertunt hic Theologi, quod in casu, quo ambo conjuges infideles ad fidem Catholicam convertuntur, non teneantur renovare hujusmodi conjugati coram Parocho matrimonium; quia hæc renovatis fit in actuali susceptione baptismi, in qua inter alia promissa servandi leges Christianas ad servandum etiam indissolubiliter matrimonium sese obligant, consequenter sub hac obligatione conjunguntur, & sub forma generica precum ab Ecclesia benedicuntur: ita docent Amort *l. c.* Pichler *l.* 4. *tit.* 1. *n.* 126. *Sanchez*, *Laymann & Bonacina*. In casu autem, quo infidelis cum persona hæretica in loco, ubi Tridentinum promulgatum non fuit, matrimonium contrahit, Benedictus XIV. in rescripto particulari: *Singulari* edito anno 1749. ad Henricum Cardinalem, docet, tale matrimonium, si ambo convertantur ad fidem Catholicam, coram Parocho esse renovandum: quia matrimonium prius ob impedimentum cultus disparis omnino nullum fuit. Egregie

Quando duorum Judæorum conjugum alter uter, ſive vir, ſive mulier, chriſtianam fidem ſuſcipit, filii parvuli hunc ſequi debent, & conjuge in judaiſmo permanente ſunt ſeparandi. Id intelligas de filiis non adultis, ante rationis uſum, nam filii adulti in ſua relinquendi ſunt libertate, illosque ad fidem hortari decet, non cogere.

Cum hæreticis inita matrimonia illicita ſunt, non autem invalida. Illiberitanum Concilium (*can.* 15. 16.), Laodicenum (*can.* 13.), Chalcedonenſe (*can.* 14.), & Toletanum tertium illa prohibent; & mortaliter quidem peccat Catholicus hæreticam uxorem ducens, ſed valet matrimonium.

Publicæ honeſtatis impedimentum (*cap. un. de ſponſal. in* 6.) ex ſponſalibus, & ex matrimonio rato, quamvis non conſummato oritur. Hinc ſi Petrus exempli gratia ſponſalia cum Joanna

---

gie de hac materia idem S. P. in eruditiſſimo opere de Synod. Diœceſ. l. 6. c. 4. differit. De caſu autem, quo Catholici contrahentes coram Judice vel myſta hæretico aut infideli contrahere jubentur, quid agendum ſit, ſacra Congregatio anno 1672. die 29. Novemb. ſic reſpondit: *Quatenus Miniſter aſſiſtat matrimoniis Catholicorum, uti Miniſter Politicus, non peccare contrahentes: ſi vero aſſiſtat, ut Miniſter addictus ſacris, non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & eſſe monendos.* Hanc deciſionem *Benedictus XIV.* in *Reſcripto* ad *P. Simonem a S. Joſepho anno* 1746. *die* 17. *Sept.* Apoſtolica auctoritate confirmavit.

anna valide contraxit, vel cum ipsa matrimonium etsi invalide inivit, non potest cum Joannæ consanguinea matrimonium contrahere.

De hoc impedimento Tridentinum Concilium sic statuit: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, gradum primum non excedat* (*Sess.* 24. *cap.* 3.).

Impedimentum impotentiæ maxime est naturale, quia præ reliquis opponitur matrimonio (*cap. laudabilem, cap. litteræ, extra de frigid. & malef.*); oportet autem hanc perpetuam esse, nec absque miraculo sanandam, aut sine gravi corporis animæve damno, & tribus jam annis perseveravisse. Oportet etiam ut matrimonium ipsa præcesserit; nam quæ matrimonium subsequitur, illud non dirimit: possuntque conjuges, quibus hæc advenit, simul tamquam fratres vivere, actus siquidem conjugalis, ut diximus, non est de substantia matrimonii.

Male hoc ævo impedimento isto plerique abutuntur; multi enim conjuges, in quibus mutuus conjugalis amor extinctus est, non dubitant hoc impedimentum proferre, ut matrimonium dissolvant. Mox maritus idem, qui se prius impotentem fassus est, cum alia matrimonium contrahit, & liberos gignit: hinc in perpetuo vivit adulterio, & mortali vix expiabili peccato.

Senes, sterilesque personæ, quæ conjugii opus exercere possunt, licet gignere non valeant, pos-

possunt matrimonium contrahere. Pueri autem ante decimumquartum ætatis annum, & puellæ ante duodecimum non possunt valide contrahere, nisi malitia, ut Canonistæ loquuntur, suppleat ætatem.

Duplex est vis. Prima absolutam necessitatem affert, & omne adimit voluntarium, nec vim patienti liberum ullum motum relinquit; atque hæc vis matrimonium reddit nullum.

Alia est vis, qua fit ut voluntas metu adacta id eligat faciatve, quod absque hoc metu nec faceret nec eligeret. Hæc vis voluntarium non penitus adimit, ita ut actio adhuc aliquo modo sit voluntaria; sicut cum mercator ad vitandum naufragium merces suas in mare projicit, eas projicit, quia vult projicere, quamvis periculi metus ad projiciendas impellat, qui si abesset, easdem non projiceret.

Præterea duplex distinguendus est metus; etenim alius est metus, qui in constantem virum cadere potest, & alius, qui in imbecillum infirmumque hominem: uterque autem justus esse potest, vel injustus. Primus timor cadens in virum constantem, quia gravia mala a levioribus scit distinguere, nec iisdem facile cedit, hic timor, inquam, matrimonium reddit nullum, quando est injustus: at metus, qui solum in imbecillum infirmumque hominem cadit, non reddit matrimonium invalidum.

Si constanti viro metus juste incutiatur; exempli gratia, si judex mortem minetur alicui, nisi

nisi puellam ducat, quam corrupit; aut si reo optio detur, ut vel capitali sententiæ succumbat, vel meretricem ducat; hic metus invalidum non reddit matrimonium.

Ratio, propter quam metus injuste incussus matrimonium nullum reddit, est, quia cum matrimonium sit contractus indissolubilis, quidquid huic indissolubilitati repugnat, impedit, quin contractus sit validus. Porro metus constanti viro injuste incussus matrimonii indissolubilitati repugnat, & proinde consensus ex hoc metu præstitus matrimonium irritum facit: hunc vero metum indissolubilitati repugnare inde apparet, quod vim passus conqueri semper jure potest, consensum suum fuisse vi extortum, ideoque petere, ut pristina sibi libertas donetur. Ille autem, cui metus juste incussus fuit, non potest jure conqueri, vi extortum fuisse suum consensum, siquidem justus fuit metus eidem incussus.

Quod de viro dixi, etiam de muliere est intelligendum, si quidem metus mulieri injuste incussus matrimonium ab ea initum nullum reddit, si ob incussum sibi metum ipsa contrahat: verum cum fœmina infirmioris sexus sit quam homo, levior etiam metus ejusdem consensum infirmare valet.

CAPUT IV.

De ultimo impedimento dirimente scilicet de clandestinitate.

Impedimentum clandestinitatis consistit in defectu assistentiæ Parochi, & aliorum duorum testium ad contractum matrimonialem de præsenti; sancta Synodus Tridentina impedimentum hoc sessione vigesima quarta capite primo verbis istis introduxit: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

Matrimonia igitur clandestina in iis locis, ubi concilium præfatum fuit promulgatum, omnino invalida sunt; decrevit enim eadem Synodus citata mox sessione canone 1*mo.* ut hoc suum decretum vim sortiatur a die promulgationis in quavis Parochia: Concilium autem concluſum, ac confirmatum fuit die 26. Januarii anno 1564. ex quo consequitur matrimonia clandestina in illis locis valida esse, quæ jam ante illum annum a fide Catholica defecerant, & promulgationem Concilii excluserant (*a*).

Non

(*a*) Talia loca sunt *Anglia, Suecia, Dania, Saxonia, Brandeburgia, Hassia, Hannoverana, Pomerana.*

Non obstante autem legitima legis Tridentinæ promulgatione matrimonium clandestinum a persona catholica contractum est validum in eo loco, ubi observantia concilii sine periculo gravis damni aut temporalis, aut spiritualis in praxim deduci nequit; nec enim aliæ leges Ecclesiasticæ cum periculo gravis damni obligant, nisi detur specialis ratio urgendi legem etiam cum tali periculo ob bonum publicum: hanc opinionem Theologorum nonnulli ex declaratione quadam *Gregorii XIII.* & *Clementis VIII.* item ex sententia *Congreg. Cardinal.* anno 1603. emanata colligunt (*a*).

Non

merana. Econtra promulgatum fuit Concilium non solum in *Italia*, *Hispania*, *Lusitania*, *Polonia*, *Austria*, *Bavaria* & aliis locis Catholicis, sed teste Cabassutio etiam in *Gallia* anno 1602. & nunc per Em. Cardinalem *Colonitsch* etiam in *Hungaria*. De *Belgio*, quod a fide vera primum anno 1570. defecit circa promulgationem Concilii dubium decidit Benedictus XIV. per Decretum *Matrimonia*. 4. Novemb. anno 1741. editum, quo declaravit matrimonia ibidem contracta esse valida, etiam non servata Tridentini lege, eaque deinceps contrahenda esse valida, sive fiant ab hæreticis, sive, quod graviter illicitum est, ab hæretico conjuge & Catholica uxore.

(*a*) Ex observantia legis Tridentinæ moraliter impossibili propter gravia damna exinde emergentia Canonistæ moderni deducunt, matrimonia Accatholicorum coram suo Prædicutio celebrata in terris germaniæ esse valida; extendunt etiam ad has regiones Bullam Benedicti XIV. pro Belgio datam, eoquod eædem rationes pro Germanis

Non minus valet matrimonium clandestine contractum a sponsis Catholicis, quæ se antea in ejusmodi regiones, ubi promulgatio Tridentini non est facta, domicilium ibi, vel quasi domicilium figendi receperunt; tales enim non agunt in fraudem legis: imo ab *Urbano VIII.* anno 1627. in una Colonienſi die 14. Aprilis data: *Exponi nobis*: sic fuit declaratum. Aliud est si id genus personæ in tales regiones ex hoc præcise motivo se conferant, ut ibidem clandestine contrahant: sic enim manifeste in fraudem legis agunt (*a*).

Ut impedimentum hoc in vero sensu suo ex satius intelligatur, tria potissimum bene advertenda sunt, quinam nempe nomine Parochi veniant, quid ex parte Parochi ad condignam matrimonii assistentiam requiratur, & quid ex parte testium, ut valide matrimonium celebretur, exigatur. Quoad *primum* nomine Parochi, cujus præsentiam Tridentinum præscribit, veniunt 1. Episcopus, Vicarius Generalis, & Capitulum Cathedrali sede vacante in propria dioecesi.

2. Ab-

militare ipsis videantur: ex praxi Ecclesiæ certe constat, tales conjugatos, si ad veram fidem convertantur, ad renovandum coram Parocho Catholico consensum matrimonialem non astringi.

(*a*) Plures de hoc casu Cardinalium declarationes Benedictus XIV. *Notificatione*, seu *Institutione Ecclesiastica* 33. allegat. *La Croix* l. 6. p. 3. n. 712. & *Lunigius* in spicilegio Ecclesiastico memoratum Urbani VIII. Decretum sincere referunt.

2. Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suo territorio, & legati Apostolici in sua provincia. 3. Vicarii curam animarum loco Rectoris Principalis vel Parochi exercentes, sive dein sint temporanei, sive perpetui. 4. Cooperatores per modum Vicarii *generaliter* curæ animarum in aliqua Paroecia destinati, qui munus Parochiale in omnibus, quibus illud locum habet, obeunt; perinde enim est, sive expressam, sive tacitam a Parocho delegationem habeant. Matrimoniis Vagorum valide assistit quilibet Parochus, in cujus Parochia actu morantur: vagi enim, prout dicitur in Tractatu de legibus, subjiciuntur legibus locorum, in quibus morantur. Ut autem Parochi ejusmodi matrimoniis etiam licite assistant, Ordinarii ad hoc licentia indigent; ita expresse Tridentina Synodus Sess. 24. c. 7. his verbis mandavit: *Parochis autem præcipit, ne illorum* (scilicet vagorum) *matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Tunc vero contrahentes duntaxat pro Vagis habendi sunt, quando ambo sunt Vagi: si etenim una tantum pars vaga sit, & altera pars quasi domicilium habeat, necessarium est, ut ob individuam vitæ societatem una pars alteram sequatur (*a*).

Quoad

(*a*) Parochus proprius militum est Curio Castrensis ad exercendam eorum curam specialiter deputatus: dubiis circa eorum matrimonia nunc optime provisum est per consuetudinem Principum Catholicorum, qui ex indulto summi Pontificis

Quoad *secundum* ex parte Parochi, ut matrimonio valide assistat, sequentes conditiones requiruntur. 1. Ut sit proprius Parochus saltem unius contrahentium, videlicet vel sponsi, vel sponsæ. 2. Ut sit unius contrahentium Parochus ratione domicilii vel saltem quasi domicilii; non autem præcise ratione originis: ita communiter Theologi sentiunt.

Attamen longe plura sunt, quæ ex parte Parochi ad valorem matrimonii non exigunter. 1*mo.* Non exigitur, ut intra fines suæ Parochiæ matrimonio assistat: hæc siquidem assistentia Jurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ actus est, quæ ubique terrarum judice etiam non requisito exerceri potest. 2*do.* Ad valorem matrimonii sufficit, licet vel violenter, vel dolo inductus assistere compellatur: adhuc enim proprii Parochi vera præsentia habetur. 3*tio.* Non requiritur, ut sit Sacerdos: satis enim est, ut sit verus & proprius Parochus; quinimo validum subsisteret matrimonium, etsi non foret verus Parochus, dummodo concurrente titulo saltem colorato ex communi errore pro vero Parocho habeatur: alias quandoque fidelibus vix satis provisum esset. 4*to.* Non obstat, si sit excommunicatus, suspensus, vel irregularis: quia non obstantibus hisce pœnis verus manet Parochus, nec ante actualem depositionem Parochiale Beneficium amittit. 5*to.* Denique valor matrimonii non tollitur,

supremum quemdam Curionem Castrensem Jurisdictione quasi Episcopali in reliquos Curiones instructum designare sapientissime consueverunt.

litur, quamvis Parocho specialiter ab Episcopo interdictum sit, ne contractui matrimoniali adsistat: hæc enim omnia faciunt quidem, ut assistentia matrimonii illicita fiat, non tamen, quod invalida sit.

Quoad *tertium* demum, ut valide matrimonium ineatur, ex parte testium sequentes conditiones requiruntur. *Prima* est, ut ad minimum duo vel tres sint. *Secunda*, ut testes idonei sint, hoc est, sufficienti rationis sanæ discretione præditi ad recte testificandum de eo, quod agitur. *Tertia*, ut sint moraliter præsentes, id est, ut ad contrahentium dicta, ac facta animum advertant. *Quarta* Licet ad validitatem matrimonii non requiratur, ut testes sint *specialiter rogati*, graviter nihilominus Parochi peccare censentur, nisi testes specialiter rogatos adhibeant; intentio siquidem Tridentini, ubi exigit duos, vel tres testes, non ad confusam hominum quorumvis multitudinem fertur, sed eos solum respicit, qui in omnem eventum de contracto matrimonio legitimum testimonium exhibere possint: repugnare autem intentioni Oecumenicæ Synodi in re tam seria sine justa causa, & cum periculo frustrandi finem concilii, magna esse temeritas videtur (*a*).

Expo-

(*a*) Quod concernit pænas, quas incurrunt tam illi, qui clandestine contrahunt, quam etiam ipsi Parochi, qui matrimonio clandestino assistunt, imprimis hoc modo contrahentes ab Episcopo pæna arbitraria puniendi sunt; dein Parochi salu-

Expoſito nunc genuino hujus impedimenti ſenſu ad ipſa nunc matrimonia clandeſtina breviter diſcutienda progredimur. Clandeſtina matrimonia duplicis ſunt generis: quædam tam ſecreto & abſcondite contrahuntur, ut nullus adſit teſtis; alia coram teſtibus quidem fiunt, ſed absque ſolemnitatibus a jure & ab Eccleſia requiſitis. Prima proprie ſunt clandeſtina; ſecunda minus propie, quia perſonis aliquibus ſunt cognita.

Utraque ſemper damnavit Eccleſia, ſed illa præcipue, quibus nullus teſtis intervenit; quia cum hæc in foro Eccleſiæ nullo pacto probari queant, innumera hinc ſcandala oriri poſſunt. Cum enim inordinatus amor hujusmodi matrimonia plerumque ſuadeat, ſæpe evenit, ut iidem conjuges ſibique invicem averſi datam fidem revocent, & nova ineant conjugia; vel ſi abeuntem conjugem alter retinere velit, non poſſit hic probare verum inter ſe adeſſe matrimonium. In primo caſu, qui a ſe invicem diſcedunt, ut novum alibi matrimonium ineant, in perpetuo adulterio vivunt, & illegitimos filios gignunt: ſi vero maritus, qui clandeſtinum antea matrimonium contraxit, poſtquam aliam uxorem duxit, facti pœnitens ad primam tamquam legitimam Eccle-

---

berrima hoc Concilii Oecumenici ſtatuta infringere auſi; vel alienos Parochianos ſine licentia proprii illorum Parochi conjungere præſumentes, ipſo jure tamdiu ſuſpenſi ſunt, donec ab Ordinario alterius Parochi abſolvantur: ſic expreſſe Tridentinum Seſſ. 24. c. 1. ſtatuit.

Ecclesiæ judicio reverti velit, id exequi nequit, cum primum matrimonium idoneis testibus probare non possit; sed cum secunda conjuge ecclesiastico judicio vivere cogitur, cui secundæ conjugi conjugale debitum reddens semper adulterium committit.

Utriusque generis clandestina Tridentinum Concilium damnavit. Nam quoad ipsa etiam secundi generis matrimonia, testes, coram quibus fiunt, mori possunt, aut corrumpi; unde memorata jam scandala oriri possunt. Secundo cum matrimonium sit Ecclesiæ Sacramentum, postulat religio ut ab Ecclesiæ ministris celebretur, ecclesiastica forma, & cæremoniis. Tertio denunciationibus ante matrimonium factis, plura matrimonia fieri impediuntur in vetitis consanguinitatis gradibus.

Igitur post Tridentini Concilii decretum utriusque generis clandestina matrimonia sunt nulla, quæ valida, prius erant juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem. Id ex antiquis Canonibus probatur, quos affert Gratianus. Lateranense Concilium ita matrimonia clandestina prohibet, ut eadem nulla esse non declaret, at post Tridentinum Concilium an nulla revera sint dubitare est nefas. Sufficit ut illud Decretum in iis diœcesibus publicatum fuerit, ubi hujusmodi matrimonia fiunt.

Parochi præsentia ea esse debet, ut ipse Ecclesiam repræsentet, vel dum Sacramentum administrat, cujus est Minister, vel saltem necessarius testis consensus, quem contrahentes sibi in-

vicem præstant. Si esset furiosus, vel ebrius, aut dormiens, matrimonium coram ipso celebratum esset nullum; non enim tunc censetur adesse, quando aptus Minister vel testis esse non potest.

Præsentia utriusque Parochi, viri nempe & mulieris non est necessaria: sufficit, si adsit alteruter; Parochus viri in ejusdem parochiæ, Parochus mulieris in parochia ipsius; sicut sacra Congregatio declaravit sub Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII.

Si Parochus extra parochiæ suæ limites sine Episcopi facultate sponsos in matrimonium conjungeret, peccaret quidem Ecclesiæ legem violans; attamen matrimonium esset validum; quemadmodum si Parochus subditos suos extra parochiæ fines absolvat, absolutio est valida.

Parochi testiumque præsentia non est necessaria, quando a conjugibus novus est præstandus consensus, quia ob occultum aliquod impedimentum invalide prius contraxerunt; sed sufficit præsentia Presbyteri, ad quem dispensatio missa est exequenda. Sic declaravit Pius V. Pontifex, ut refert Doctor Navarrus.

Si sponsi coram alieno Parocho matrimonium contrahant, quia proprius eorum Parochus est hæreticus notorius, aut fugit, aut latet, aut obiit; nullum esset hoc matrimonium, nisi alienus Parochus de licentia Episcopi eidem matrimonio assisteret.

Quando

Quando matrimonium prævia nulla denunciatione contrahitur, peccat Parochus eidem assistens, peccant & contrahentes, nisi Episcopi adsit dispensatio. Facile etiam evenire potest ut matrimonium ob occultum aliquod impedimentum sit invalidum, quando ex levi qualibet causa denunciationum dispensatio petitur; & obtinetur: satius propterea esset, si fideles Ecclesiæ leges exacte servarent; nec ex ambitione, ut se a populo secernant, aut ex impatientia, vel ex cupiditate, ut eidem citius indulgeant, dispensationes has peterent.

Eum in finem cum sacra Synodus scopum sibi præfixum circa matrimonia clandestina plene assequi desideret, etiam de novo publicas proclamationes in matrimoniis ineundis fieri præcipit; sic enim Sess. 24. c. 1. decernit: *Cum sacra Synodus gravia mala perpendat, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, idcirco S. Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium contrahendum sit, quibus denunciationibus factis si nullum legitimum interponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur; deinde*

inde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio sacra Synodus relinquit.

Ex hac Tridentini doctrina plura sponte fluunt corollaria. 1. Denunciationes hujusmodi sub præcepto gravi obligare, ita, ut graviter peccet, qui illas sine Episcopi licentia omittit: istud enim præceptum materiam ex se gravem concernit. 2. Parochum graviter peccare, qui unam vel alteram ex tribus denunciationibus sine omni causa omittit: quia legem concilii transgreditur in materia, quam securitas boni publici ex trina denunciatione intenti sub gravi præcipi exigit. 3. Item eundem graviter peccare, si absque gravi causa tribus non festivis diebus denunciationes instituat: quia praxis hæc intentioni Ecclesiæ, & fini generali ab ipsa intento, videlicet morali diligentiæ quoad investiganda matrimonii impedimenta ab Ecclesia præscriptæ graviter repugnat. 4. Non minus Parochum graviter peccare, qui vel absque expressa Ordinarii dispensatione, vel extra casum necessitatis proclamationes hasce post matrimonium contractum differt: quia lex Concilii Oecumenici mutari nequit, sed tantum pro casu particulari extraordinario propter grave motivum urgentis veræ necessitatis dispensari (a).

Ex

(a) Pluribus malis ex denunciationum neglecta orinndis Decreta synodalia diœceseos Augustanæ sapien-

Ex allato Concilii textu bene quidem deducitur, Episcopum, aut ejus Vicarium generalem in his denunciationibus accedente justa causa posse dispensare (*a*) hanc autem potestatem S. Synodus Parochis nequaquam concedit, sed ad summum Epikiam aliquam relinquit pro casu necessitatis extraordinario, ubi dispensatio exspectari nequit. Causæ porro ad licitam dispensationem omnes ad hanc generalem causam requiruntur, scilicet, si verum periculum gravis damni appareat, quod ex denunciationibus sponso, vel sponsæ obveniret, nisi denunciationes vel ex toto, vel ex parte omittantur.

Ut vero cunctis fraudibus ac dolis omnis via occludatur, requiritur, ut proclamationes in utriusque contrahentis parochia fiant; sic præscribitur in *Synodo Colonienſi* anno 1662. c. 2. §. 5. his verbis: *Si matrimonium contracturi sint diversarum parochiarum, in utraque fiant pro-*

---

sapientissime præcaverunt; in his enim part. 2. c. 10. n. 13. sic legitur: *Parochi diligenter examinent, an inter contrahentes ullum impedimentum intercedat.*

(*a*) Benedictus XIV. in Bulla: *Satis vobis.* anno 1741. 17. Novemb. edita Episcopos ita adhortatur: *Periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari: licet enim Episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, hæc tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur artis prudentiæ, discretique arbitrii legibus.*

proclamationes; nec ante Parochus unius ad matrimonii ſolemnis actum, niſi habito ab alterius Parocho teſtimonio, quod præſcriptæ proclamationes in ſua parochia legitime factæ fuerint, & de nullo conſtet impedimento, procedat. Ita pariter Gregorius XIII. declaravit.

Si itaque denunciationes juxta præſcriptum Tridentini inſtituantur, & ex illis, qui eas percipiunt, quidam reperiatur, qui alicujus inter ſponſos latentis impedimenti conſcius ſit, ille ſub gravi talem defectum Parocho manifeſtare tenetur, ſive ſciatur a ſponſis, ſive ab iis ignoretur: ita enim non ſolum reverentia Sacramento debita, & obligatio naturalis impediendi peccatum proximi, ſed & grave onus præcepti Eccleſiæ obediendi poſtulat. Nihilominus, ſi ab uno ſponſorum ignoretur, charitatis ordo exigit, ut non ſtatim Parocho, ſed prius parti ignoranti manifeſtetur; ſi dein ſpes fructus non affulgeat, parentibus ſponſorum revelandum, quod ſi neque hac via malo medela paretur, Parocho intimandum erit, non obſtante, quod vel ſecreto naturali, vel etiam juramento ſecreti ſervandi tale impedimentum ſciatur, eoquod hujusmodi ſecreta vel juramenta in caſu propoſito eſſent vincula iniquitatis, ſubruerentque bonum commune, quod neceſſario exigit, ne matrimonia invalide contrahantur.

Aſt enimvero quid, ſi ſciens impedimentum ſibi vel ſuis ex revelatione grave malum imminere prudenter timeret? in hoc arduo caſu nonnulli hanc tradunt regulam, quod, ſi ex manifeſta-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

festatione impedimenti aut grave scandalum, aut grave damnum vel revelanti vel alteri innocenti obveniat, obligatio revelandi cesset: quia (ut dicunt isti Auctores) nec lex charitatis, nec reverentia Sacramenti, nec præceptum Ecclesiæ cum gravamine tanto obligant. Contrarium sentiunt, si sponsi ipsi simile impedimentum sciant; tunc enim vel a matrimonio ineundo desistere, vel dispensationem petere tenerentur, licet ex revelatione infamia sequatur: quia, cum ita contrahere lethale peccatum sit, utique ab hoc perpetrando desistere omni modo obstricti essent.

CAPUT V.

De impedimentis impedientibus.

Expositis iis, quæ ad sufficientem notitiam impedimentorum dirimentium pertinent, nunc etiam ea, quæ de impedimentis impedientibus scitu necessaria sunt, paucis pertractantur. Prævie autem circa quævis impedimenta, seu illa matrimonium dirimant, seu duntaxat impediant, observandum venit, quod nulla ignorantia, etiam invincibilis ab utriusque generis impedimentis incurrendis quempiam excuset: impedimenta siquidem a jure Ecclesiastico non præcise in pœnam statuuntur, sed ex eo potissimum fine, ut homines ab illis actionibus, quibus impedimentum aliquod affigitur, magis absterreantur (*a*).

Impe-

(*a*) Benedictus XIV. cum adhuc Bononiensem Archiepiscopatum moderaretur, universis, qui in sua

Impedimenta, quæ matrimonium non tollunt, ſed tantum ejus uſum impediunt, & contractum ipſum reddunt illicitum, in rigore ſolummodo quatuor numerantur; ſi autem & veteris diſciplinæ ratio habeatur, quinque, nimirum, ſacrum tempus, vetitum, ſimplex votum, ſponſalia, catechiſmus, & crimen numerantur.

Quando Epiſcopus, vel ejus generalis Vicarius, aut Judex matrimonium contrahere aliqui prohibent, donec controverſum examinetur impedimentum, aut lis aliqua finiatur; ſi ille, cui facta eſt prohibitio, matrimonium contrahit, mortaliter quidem peccat, ſed validum eſt matrimonium, niſi aliquod ex ſupra recenſitis impedimentum adſit.

Complectitur quoque interdictum Adventus & Quadrageſimæ tempus, quo Tridentinum Concilium prohibet non quidem matrimonium celebrare, ſed ſolemnem ejusdem celebrationem. Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudo eſt, ut nullo modo hoc tempore celebrari matrimonium queat; proinde ad ejus celebrationem Epiſcopi requiritur diſpenſatio.

Votum ſimplex caſtitatis, aut religionis matrimonium contrahi impedit, ſed contractum non irritat. Quicumque poſt hujusmodi votum nubunt, mortaliter peccant dum matrimonium contra-

---

ſua diœceſi curam animarum gerebant, Inſtitutionem LXXX. ſcripſit de iis matrimoniis, quæ vetitis temporibus contrahuntur, ſi proin hac de materia caſus dubius emergeret, Eximius hic Auctor conſuli poſſet.

contrahunt, & quoties conjugii opus exercent. Si autem hujusmodi votum alteruter tantum conjugum emiſit, non poteſt hic conjugale debitum ab altero petere, ſed tantum reddere expreſſe aut tacite petenti, niſi diſpenſationem a Papa aut ab Epiſcopo obtinuerit. Qui vero vovit, debet votum ſuum caſtitatis aut religionis implere, ſi alter conjux moriatur (*Soto lib. 8. de juſt. & jure. Toletus lib. 7. cap. 18.*); quod ſi alterum matrimonium contrahat, denuo quoque peccat.

Quoad ſponſalia, ſi quis cum aliqua iniit ſponſalia, nequit cum alia matrimonium celebrare: quod ſi illud contrahat, mortaliter peccat, niſi juſta adſit cauſa ſolvendi ſponſalia; attamen matrimonium ſubſiſtit.

Catechiſmi impedimentum eſt, quando quis adultum aliquem tamquam patrinus ante Baptiſmum catechizat, qui eamdem cum ipſo cognationem contrahit, veluti ſi de Baptiſmo aut Confirmatione ipſum ſuſciperet, hoc ſolum excepto, quod Catechiſmus matrimonium contrahi quidem impedit, ſed illud non reddit invalidum, ſicut invalidum eſt, ſi quis cum illa contrahat, quam de Baptiſmo aut Confirmatione ſuſcepit. Non conveniunt Doctores, utrum mortaliter ille peccet, qui cum hoc impedimento matrimonium contrahit.

Plura ſunt crimina, quæ matrimonium olim impediebant, ſed non reddebant invalidum.

Mariti inceſtus (*cap.* 1. *de eo qui cogn. conſangu.*) cum uxoris ſuæ conſanguinea, aut uxoris cum mariti ſui conſanguineo, ad quartum usque gradum, impediebat, ne maritus vel uxor poſt conjugis mortem, poſſent ullo umquam tempore aliis ſe matrimonio copulare; non tamen illud, ſi contraheretur, nullum reddebat.

Qui uxorem ſuam occidit, poteſt juxta veterem diſciplinam (33, *qu.* 2. *c. admon.*) cum alia matrimonium contrahere: quod ſi uxorem occidat, ut adulteram ducat, invalidum cum hac eſt matrimonium. Impedimentum tamen illud ad uxorem non extenditur, quæ virum ſuum occidat; de illa enim Canones mentionem non fecerunt.

Alienæ ſponſæ raptus efficit, ut nequeat raptor neque cum illa, neque cum alia matrimonium celebrare.

Si conjuges legitimi, unus, aut ambo. ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi innupti permanere voluerint, bonum eſt: ſin autem, gravis pœnitentia inſidiatori injungatur, & ſimul maneant; & ſi prævaricator conjugii ſupervixerit, accerrima pœnitentia multetur, & ſine ſpe conjugii maneat (30. *qu.* 1. *cap. de eo.*).

Qui presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei ſecundum canones imponatur: convictus usque ad ultimum tempus vitæ ſuæ militiæ cingulo careat, & absque ſpe conjugii maneat (*cap. qui Presbyt. de pœn. & rem.*).

Qui

Qui cum Religiosa matrimonium contrahit, ipse quoque spe conjugii privatur.

Sciat Lector, quæcumque nos de matrimonio hactenus attulimus, ea nos præcipue a Cardinali Toleto, & a doctissimo Estio in Sententias accepisse (*dist.* 27. *& seq.*).

Potestas dispensandi in impedimentis impedientibus Episcopo in sua diœcesi competit, si votum perpetuæ castitatis, & Religionis amplectendæ excipias: hæc enim sibi summus Pontifex reservavit. Quod concernit dispensationem in sponsalibus, neque in iis Episcopus dispensare potest, quinimo nec Papa sine gravissima causa in hypothesi, quod sponsalia valida juramento firmata sint; jus enim acquisitum alteri, & insuper juramento firmatum, cum bonum commune respiciat, nonnisi ob gravissimam, ac bono publico necessariam causam a sumæ sedis Antistite aufferri potest. Si autem valida sponsalia juramento roborata non fuerint, Papa quidem ex justa caussa, non vero Episcopus dispensare potest; potestas enim dispensandi in casu, quo alteri tertio jus jam est acquisitum, penes solum supremum Principem esse censetur: sic saltem Jus Canonicum in *cap.* 2. *ex litteris: de sponsal. & matrimon.* decernere videtur (*a*).

Ex

(*a*) Cum inter impedimenta impedientia votum castitatis locum habeat, afferri hoc loco plane meretur cujusdam doctissimi Theologi monitum Confessariis datum, ne puellas in sæculo manentes ejusmodi votum emittere concedant, nisi hæc

Ex hac doctrina satis perspicuum est, quid sentiendum sit de illa Casuistarum quorumdam opinione, qui occurrente aliquo circa usum matrimonii impedimento omnem dispensandi facultatem in Confessarios transferunt, cum facultas ista nec vera sit, nec necessaria; non vera: fundamentum enim solidum nec ratio gravis, nec sacrorum Canonum auctoritas præbet, quin potius Ecclesia jubet, ut in re sacramentali sententiam probabiliorem, & tutiorem sequamur. Neque necessaria est potestas, cum ubique ad Ordinarium, vel ejus Generalem Vicarium facilis accessus pateat, ut ibi dispensatio petatur, ubi certa illam dandi potestas habetur.

---

tria concurrant. 1. Ætas valde matura, quæ triginta ad minimum aut quadraginta annos excedat. 2. Constans in præterito vitæ tempore, & exacta castitatis observantia. 3. Sufficiens Patrimonium, ut a virorum consortio sequestratæ suis sumptibus possint vivere. Qui huic monito acquiescere noluerint, se tam salutare consilium spreviſſe, suo tempore certe dolebunt. Vid. P. Amort Tract. XV. §. III. Tomi II. Theol. Moralis.

SECTIO IV.

DE

REDINTEGRATIONE MATRIMONII, EJUSQUE DISSOLUBILITATE.

CAPUT I.

De matrimonii invalidi redintegratione.

Ex allatis hactenus impedimentis facile constat, matrimonium variis subinde modis vel illicitum, vel invalidum posse evadere; primum præstant impedimenta, quæ impediunt: alterum impedimenta, quæ dirimunt. Cum autem & publica utilitas, & Ecclesiæ pia intentio eo collimet, ut matrimonia a fidelibus non solum valide, & licite ineantur, sed etiam ut juste & legitime inita continuentur, hinc etiam sanctissima mater Ecclesia, ut tam bono publico comunitatis, quam bono privato conscientiæ prospiciat, clementiam suam in eo vel maxime ostendit, quod cujusvis generis impedimenta, quæ vel illicitum, vel nullum reddunt conjugium, tollere non dedignetur; hunc in finem dispensationis gratiam recte petentibus elargitur: præterea varios etiam modos, quibus matrimonium ex defectu quodam invalidum redintegretur, subministrat.

Circa dispensationem impedimentorum dirimentium cumprimis certum est, Romanum Pontificem, non in omnibus posse dispensare; dantur enim ex illis quædam, quæ juris naturalis sunt: in jure autem naturali humana potestas proprie dispensare nequit. Certum pariter est, quod in aliis, quæ sunt juris Ecclesiastici, Papa tamquam supremum Ecclesiæ caput potestate ordinaria solus possit dispensare; illius enim solius est dispensare, cujus solius est legem condere: sic etiam Tridentina Synodus Sess. 24. can. 3. statuit. Nihilominus ut etiam in his posterioris generis impedimentis summus Pontifex licite dispenset, subesse debet gravis causa: dispensationes enim esse legum vulnera nemo ignorat.

Dictum autem fuit, quod *Pontifex sola potestate ordinaria* in impedimentis dirimentibus possit dispensare; Doctores siquidem communiter, pie, & prudenter existimant, quod *in aliquo casu extraordinario* Episcopus, *tamquam specialiter a summa sede delegatus* dispensare possit: præterea consuetudo sic dispensandi jam pridem invaluit. Primus casus, in quo Episcopus veluti specialiter delegatus dispensare potest, videtur esse, quando impedimentum animadvertitur, antequam matrimonium contrahatur; attamen tales circumstantiæ urgeant, ut absque gravis infamiæ nota, vel gravis scandali periculo, vel aliquo alio gravi incommodo moraliter certo nuptiarum celebratio tamdiu differri nequeat, quousque legitima dispensatio sit obtenta: non enim apparet credibile, quod in hujusmodi

modi circumstantiis summus Pontifex dispensationem sibi reservare velit (*a*), utpote cum talis reservatio non in ædificationem, sed in destructionem fidelium redundaret.

Alter casus, in quo Episcopo delegata videtur dispensandi potestas, habetur, quando de matrimonio jam celebrato publice constat; impedimentum vero inter conjuges, qui ambo, vel unus saltem, bona fide contraxerant, occultum est, ita quidem, ut nec conjuges sine gravi infamia, gravi scandalo, alteriusve gravis mali evidente periculo amplius separari possint, nec recursus propter certas circumstantias ad Papam, aut ejus legatum moraliter possibilis sit: in hoc sane casu Pontifex omnino irrationabiliter invitus esset circa dispensationem ab Ordinario indulgendam. Papa enimvero ignorare nequit, hanc opinionem & a Theologis doceri, & ab Episcopis in praxim deduci: cum ergo nec sententiæ isti, nec praxi illius contradicat, huic doctrinæ silentio suo subscribere censetur (*b*). Com-

(*a*) Benedictus XIV. in suo nunquam satis laudando opere de Synodo diœcesana lib. 7. cap. 31. fol. 572. ad propositum nostrum ita scribit: *Præsumendum est, summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam requisitus, ei certe non esset denegaturus.*

(*b*) Alter hic casus procedit de conjugibus, *quorum alter saltem bona fide contraxerit;* nam si utraque pars mala fide contraxisset, aut tametsi impedimentum ignorarent, denunciationes ad matrimonium prærequisitas sine licentia omisissent,

Complures equidem casus hi loci afferri possent: attamen regula generalis esto, toties Episcopo dispensandi facultatem abjudicari non posse, quoties vel de impedimentis occultis, vel de accessu ad Pontificem moraliter impossibili, vel denique de morali certitudine gravium inconvenientium ex dilatione prævisorum agitur. In talibus siquidem circumstantiis pro Episcopi potestate stat inconcussa præsumptio.

Legitimas dispensandi in impedimentis dirimentibus causas nonnulli auctores tribuunt in duas classes; prima continet illas, quæ ex se graves, & sufficientes sunt: altera eas refert, quas ut graves, & obtinendæ dispensationi proportionatas causas stylus Romanæ curiæ definibit. Primi generis causæ communiter allegantur sequentes. 1. Reconciliatio familiarum inter se valde ac diu discordantium. 2. Difficultas maxima intra regionem sponsum vel sponsam aqualem inveniendi. 3. Propagatio familiæ illustris intra eundem sanguinem. 4. Conservatio amplarum Ditionum, ingentiumque opum in eadem prosapia. 5. Insigne promeritum de Ecclesia. 6. Grandis oblatio pecuniarum ad aliquod opus valde pium erogandarum. 7. Evitatio infamiæ, seu magni scandali.

Et

---

plures Theologi putant, recurrendum esse ad Pontificem, & veram in hac hypothesi manere reservationem: sicut enim fundate conjicitur, Pontificem in casu bonæ fidei saltem unius ex contrahentibus annuere, ita prudenter creditur, quorumdam fraudi & iniquitati eundem nolle favere.

Ex hisce quidem cauſſis aperte colligi poteſt, quod circa impedimenta matrimonii facilius cum Nobilibus, ac opulentis diſpenſari ſoleat, quam cum pauperibus: hoc tamen vitio acceptionis perſonarum neutiquam vertendum eſt; hæc namque diſpenſandi facilitas non præciſe ex tali vel tali ſtatu hominum, ſed ex gravi motivo oritur, eoquod nimirum ipſi Eccleſiæ quam plurimum expediat, habere perſonas hujusmodi erga ſe bene affectas, ex quarum inſigni favore non modicas ad Dei gloriam utilitates procurare ſolet: præterea bono publico, etiam civili ſummopere prodeſſe cenſetur, ſi divitiæ in illuſtri quodam ſtemmate conſerventur, nec in plures familias diſpergantur, quarum nulla deinceps valeat tanta in publicis neceſſitatibus bono communi ſubſidia elargiri.

Cauſſæ ſecundi generis enarrantur iſtæ. 1. Si inter Oratores diſpenſationem ſuper gradus conſanguinitatis petentes copula interceſſerit, quæ ſi habita fuerit ex intentione diſpenſationis eo facilius obtinendæ, id exprimi debet; quia tunc diſpenſatio difficilius conceditur, & gravior pœnitentia imponitur: quod ſi vero hæc circumſtantia omittatur, diſpenſatio eſt invalida. 2. Si ſit vehemens ſuſpicio copulæ ex nimia familiaritate inter Oratores. 3. Eſt ætas puellæ excedens vigeſimum quartum annum, & hac de cauſſa manentis innuptæ. 4. Anguſtia loci, qualis in pagis, parvisque oppidis habetur, ubi incolæ fere omnes inter ſe vinculo conſanguinitatis, aut affinitatis alligantur. 5. Periculum hæreſeos in

Vicinia Hæreticorum. Ex his ergo quinque cauſſis una plerumque in petitione diſpenſationis exprimitur; ſi tamen his prætermiſſis exprimatur aliæ, & Papa in diſpenſatione, omiſſis cauſſis, quæ expreſſæ fuerant, unam ex quinque allatis exprimat; idcirco diſpenſatio invalida non eſt, ſed præſumitur, quod licet cauſſa ab Oratore intimata ſit judicata ſufficiens, exinde in diſpenſatione non ſit allegata, quia non eſt de ſtylo curiæ: tametſi proin cauſſa in reſcripto diſpenſationis expreſſa non ſubſiſteret, valida nihilominus diſpenſatio foret, dummodo cauſſa in petitione expreſſa ſubſiſtat (*a*).

Circa modum redintegrandi matrimonia, quæ occurrente impedimento dirimente invalide fuer[unt]

(*a*) Plura, circa diſpenſationem, ut licita ſit, ac valida, in tractatu de legibus pertractari ſolent; hic loci adhuc breviter quædam ſedulo notanda reſtant: 1. Ad valorem diſpenſationis præcipue circa impedimenta requiritur, ut motivum & verum ſit, & adhuc, dum diſpenſatio obtinetur, ſubſiſtat. 2. Ut in petitione nihil eorum omittatur, quæ vel a jure vel a curiæ ſtylo poſtulantur. 3. Ut nihil retineatur, propter quod diſpenſatio aut nullo, aut nonniſi limitato modo concederetur; hinc non ſolum gradus conſanguinitatis aut affinitatis, ſed & copula, ſi quæ præceſſit, exprimenda eſt; dein ſi matrimonium ſit attentatum aut omnino jam contractum, & denunciationes factæ, vel omiſſæ: denique si plura forte ejusdem vel diverſæ rationis impedimenta Oratores ligent. Plurimæ equidem datur diſpenſationes: aſt raro reapſe validæ, vel omnino licitæ inveniuntur.

celebrata, plurimæ, eæque graves admodum difficultates sese ingerunt, his ut, quantum fieri potest, satisfiat, sequentem tradimus doctrinam. 1*mo.* Si matrimonio jam contracto impedimentum obstat, quod & ex se occultum est, & nulli manifestationis periculo subjacet, ad illud redintegrandum, omissa omni solemnitate, sufficit, ut sublato impedimento inter conjuges consensus renovetur; Tridentina etenim lex ex una parte casum hunc non comprehendit, & ex altera parte non obstante hoc casu finem suum consequitur, qui est, ut de celebrato matrimonio publice constet: istud autem reapse constat, quando defectus est occultus, ita, ut non possint, viventibus illis conjugibus aliæ nuptiæ contrahi. Ast si impedimentum aut ex se notorium, aut proximo revelationis discrimini obnoxium sit, tunc sane consensus horum conjugatorum coram Parocho & testibus renovari debet; lex namque præfati Concilii non alio modo suum intentum in casu proposito sortiri posset, eoquod valor matrimonii publice & sufficienter non probaretur: quia probato semel impedimento alter conjux, si revalidatio tantum occulte fieret, a novo ineundo matrimonio impediri nequiret.

2*do.* Si matrimonium, antea solemniter celebratum, ex defectu veri consensus in utroque conjuge fuit invalidum, tunc uterque conjux novum consensum libere præstare, eumque signo exteriori invicem manifestare debet; si vero ex defectu veri consensus in uno conjugum invalidum fuerit, juxta S. Thomam *quæst.* 47.

Sup-

Supplem. art. 4. S. Bonaventuram, Sotum, Navarrum, & Paludanum, ad illud revalidandum sufficit, si ille, qui sine vero consensu contraxit, signo quodam exteriore consensum manifester, maritali saltem affectu copulam petendo: in altero autem conjuge nec notitia de tali defectu, nec renovatio consensus requiritur, eoquod consensus verus a parte inscia, & ex se legitime contrahente præstitus, adhuc habitualiter seu moraliter perseverare præsupponatur. Nec obstat, quod incertum sit, an pars altera consensum suum sub eo tempore non revocarit: si enim conjugaliter vixerint, tamdiu consensus datus perseverare jure præsumitur, quamdiu eundem fuisse retractatum certo non constat. Nihilominus nemo ambigit, & tutius, & melius esse, si ejusmodi conjux, qui ex defectu veri consensus nulliter contraxit, cauta dexteritate procuret, ut etiam pars impedimenti ignara consensum restauret, dummodo periculum absit, ne de non præstito consensu suspicionem moveat, & exinde separatio, quæ scandalum pariat, oriatur.

3*tio*. Si matrimonium ex quovis alio impedimento dirimente nullum sit, ad hoc ut reintegretur, plura requiruntur. 1. Petenda est dispensatio. 2. Priusquam hæc obtineatur, pars nullitatis conscia nullo modo reddat debitum, & multo minus petat, cum revera non sint conjuges. 3. Uterque conjux novum consensum præstare, eumque signo exteriori exprimere debet, cum anterior utriusque consensus fuerit nullus, utpote inter personas ad contra-

hen-

kendum inhabiles; præterea in reſcripto diſpenſationis ſemper referuntur verba iſthæc: *Ut conjux de nullitate prioris conſenſus certioretur, ſed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur.* Ratio autem hujus faciendæ manifeſtationis eſt; quia alioquin pars impedimenti inſcia, novum conſenſum non eliceret, ſed ratificaret ab initio datum, qui, cum nullus fuerit, ratificari nequit: igitur certior reddi debet, & quod prior conſenſus nullus fuerit, & quod propterea novus ſit præſtandus.

In ejusmodi caſu, ubi inter conjuges mutuus, isque fervidus perſiſtit amor, circa reparandum ab utraque parte conſenſum, non magna admodum difficultas habetur; aſt ubi conjugalis affectus vel numquam vehemens fuit, vel a longo jam tempore refriguit, tunc certe renovandi conſenſus modus ſe prodit intricatiſſimus: varios equidem modos ſolvendi nodum hunc gordium Theologi ſubminiſtrant, attamen res tanta ſagacitate eſt pertractanda, ut nec crimen detegatur, nec ſcandala ſeparationis exurgant. Cum vero hæc, & alia graviſſima mala vix ac ne vix in hypotheſi, amoris conjugalis mutuo extincti præcaveri poſſint, hinc ſi id genus conjugati ob invincibilem impedimenti ignorantiam in bona fide cohabitent, & aliunde mala plurima prudenter omnino timeantur, Confeſſarii nullitatem matrimonii propalare caveant, & ad majora mala evitanda tales uxoratos in bona fide relinquant; ſi vero ignorantia invincibilis circa impedimentum non adſit, ex ipſis conjugum circumſtantiis ma-

matura discretione modum restaurandi consensus, & manifestandæ nullitatis Confessores expiscari satagant: modum sufficientem si non inveniant, rem Deo precibus comendent, & Ordinarium, vel ejus generalem Vicarium, vel viros doctos consulant (*a*).

CAPUT II.

De dissolubilitate matrimonii consummati.

Matrimonium consummatum, si & licite & valide initum fuerit, jure naturali esse indissolubile, cum Doctore Angelico *Supplem. quæst.* 67. *art.* 2. universa Theologorum corona docet; solutio enim ipsius repugnat divinæ institutioni, cum institutum sit ad significandam Christi cum Ecclesia unionem: hæc autem omnino indissolubilis est. Repugnat pariter ista solutio finibus matrimonii, legitimæ videlicet prolis susceptioni, convenienti ejusdem educationi, & fideli conjugum ipsorum conjunctioni. Matrimonium hoc non minus jure divino esse indissolubile, indicant illa Christi verba, quæ *cap.* 19. *Matthæi* legun-

(*a*) Si umquam, in his certe difficilimis casibus cautissime procedendum, nec proprio, licet docto, & perito, judicio facile fidendum: ubi enim summi, iique in disciplinis Theologicis versatissimi Viri difficultatem prorsus arduam fatentur, qua fronte illi, qui tribus vel quatuor annis Theologiæ addiscendæ operam navarunt, in danda resolutione aut faciles, aut pervicaces se ostendere præsumunt, ubi & propria & pœnitentis æterna salus tam graviter periclitatur?

leguntur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Id ipsum Paulus 1. Corinth. c. 7. attestatur. Denique jure Ecclesiastico firmari eandem indissolubilitatem, sacri canones satis aperte eloquuntur. Nulla proin humana potestas matrimonium consummatum solvere quoad vinculum potest; dictum est: *Solvere quoad vinculum.* Illud enim *quoad thorum* solvi, & *verum inter conjuges divortium* ex gravibus causis ab Ecclesia institui posse constat.

Utut vero tanta sit matrimonii consummati quoad vinculum indissolubilitas, a Deo tamen illud solvi posse non est dubium; licet enim Deus circa prima juris naturalis principia dispensare nequeat, eoquod oppositum illis sit intrinsece, & absolute malum, quod ab infinita justitia permitti non potest ut licitum: dispensare nihilominus valet circa secunda juris naturalis præcepta, ad quæ juxta divum Thomam matrimonii indissolubilitas pertinet. Non obest profecto facta jam mutua corporum traditio: quia cum Deus sit supremus, & absolutus omnium creaturarum, omniumque earumdem jurium Dominus, conjugale jus, quod invicem in corpus alterius habent, ab ipsis aufferre, & in alium transferre potest. Neque obstant mala alias ex ejusmodi solutione nasci solita: quia, cum infinitæ potestatis sit, ea omnia facile impedire aut omnino tollere potest. Quam parum vero Theologi ambigunt de potestate divina circa solvendum matrimonii etiam consummati vinculum, tam acriter disceptant, utrum vel quomodo Deus seu

in antiqua, seu in nova lege circa ejusmodi dissolutionem dispensaverit; in lege antiqua difficultatem inducere famosus ille repudii libellus videtur: in lege nova controversiam matrimonia infidelium ad fidem conversorum ingerunt in casu, quo pars una in errore infidelitatis perseverat.

Quantum ad *primum*, quæritur, utrum, sicut judæis polygamia in lege veteri ex Dei dispensatione fuit licita, sic etiam repudium ipsis licitum fuerit, ita, ut viris, uxoribusque repudiatis nova cum aliis connubia licite iniri potuerint; Durandus, Scotus, Paludanus, Cajetanus, & Abulensis repudium Judæis non permissum duntaxat, sed etiam licitum fuisse arbitrantur: econtra Magister sententiarum, aliique plurimi Doctores tenent, repudium Judæis numquam licuisse, sed ipsis impune solum fuisse permissum, ita, ut non a culpa, sed a pœna adulteris debita essent immunes (*a*).

Poste-

(*a*) Doctor Angelicus loco superius citato *art.* 3. circa hanc quæstionem problematice procedit. Super usum libelli repudii conversorum a Judaismo ad Catholicam fidem *Benedictus* XIV. *anno* 1747. 16. *calend. Octob.* specialem Bullam: *Apostolici Ministerii munus:* edidit. In hac primo refert, quosdam Judæorum ad veram fidem conversorum uxoribus in Judaismo persistentibus libellum repudii mittere; dein declarat, quod licet istud in lege veteri permissum fuisset, in nova tamen lege sit prohibitum: denique decernit, ut deinceps Judæi ad alias nuptias non transeant, nisi uxores in errore pertinaces pacifice cohabitare recusarint. Contrarium facientes severis pœnis mulctandos esse præcipit.

Posterior sententia satis fundate erui posse videtur ex responso Christi ad Pharisæos, quod *cap.* 19. *Matthæi* sic legitur: *Qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi; Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Animadvertendum est dixisse Pharisæos, *Moyses mandavit*, Christum autem dixisse *Moyses permisit*, tamquam minus malum, ut majus malum vitaretur, nempe uxoris occisio, quam uxoribus infensi mariti facile commisissent. Hoc quoque sensu permissum erat Judæis, ut extraneis fœnerarentur: *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno.* Sanctus Augustinus Christi verba explicans ait: *Dictum est, quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur, sed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicienti uxorem libelli cogitatio temperaret* (*lib.* 1. *de Serm. Dom. in monte cap.* 14.). Eodem sensu dixit sanctus Hieronymus: *Moyses libellum repudii dari jussit, non dissidium concedens, sed auferens homicidium.*

Porro id ob graves tantum causas erat permissum. In Deuteronomio sic inquit Deus: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudii, & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua* (*cap.* 24.). Eodem in libro ista leguntur: *Si duxerit vir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inveni virginem* (*cap.* 22.). Ex his duobus textibus infertur, non solum mariti odium aut iracundiam causam fuisse, cur permitteretur repudium, sed ob alias quoque causas illud permissum. Hæ causæ apud Ethnicos non minus, quam apud Judæos erant, adulterium, veneni suspicio, lepra, mores corrupti, insignis corporis deformitas, hisque similia.

Quantum ad *secundum* communis quidem videtur Theologorum sententia, matrimonii consummati vinculum in nova etiam lege solvi posse, in hoc saltem unico casu, quo conjux infidelis in suo errore perseverans cum altero conjuge ad veram fidem converso pacifice, & sine contumelia salvatoris cohabitare nolit: tunc enim pars fidelis ad alias nuptias transire poterit. Privilegium hoc dicunt Doctores in favorem veræ Religionis a Christo fuisse concessum, & istis Apostoli verbis intimatum: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi* (1. *Corinth.* 7.).

Tali

Tali autem privilegio pars fidelis uti licite non potest, nisi pars altera infidelis ad pacificam cohabitationem invitata sine contumelia Salvatoris cohabitare nolit. Ita expresse statuit *Innocentius III.* in illo famoso capitulo *quando* de divortiis (*a*).

Vinculum porro matrimonii consummati in casu proposito juxta sententiam magis receptam non solvitur, antequam pars fidelis aliud contraxit: unde si infidelis contrahat aliud matrimonium, & postea convertatur, ad priorem conjugem fidelem innuptum redire debet. Si autem vir infidelis, qui convertitur plures habeat uxores, illam retineat, si pacifice cohabitare velit, quam primam duxit; cum hac enim dumtaxat valide contraxit; quia in præsenti Religionis statu post adventum Christi supremi omnium Domini, ejusque declarationem, matrimonium ab ipso reductum fuit ad primævam sui institutionem, ut unus uni conjungatur.

Extra

(*a*) Si conjux infidelis lateat, vel absit, ita ut circa pacificam cohabitationem interpellari non possit, dispensatio summi Pontificis erit necessaria; illius enim est declarare, an in quibusdam circumstantiis desinat obligare præceptum divinum, quo prædicta interpellatio ante rescissionem matrimonii videtur esse injuncta. Sic in causa quadam Florentina anno 1722. die 17. Januarii sacra Congregatio Concilii decidit. Idcirco Benedictus XIV. anno 1745. die 6. Januarii Constitutionem edidit; *In suprema*, qua sedis Apostolicæ in dominio Venetorum pro tempore existenti facultatem

Extra hunc casum conjugis infidelis ad fidem conversi, altera parte in errore perdurante, nec pacifice cohabitare volente non datur alius casus, in quo vinculum matrimonii consummati valide contracti dissolvi possit. Ita statuit sacra Synodus Tridentina definiens: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam habitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.* Falluntur proin hæretici, qui præter casum infidelitatis alios adhuc casus, in quibus vinculum matrimonii consummati solvi possit, effingunt.

Nec Concilii definitionem enervant illa Christi verba *Matthæi cap. 19. quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur;* juxta communem namque sanctorum Patrum interpretationem verba allata sic intelligenda sunt: *quicumque dimiserit,* subaudi,

---

tem concessit dispensandi cum Neophytis in loco pio Cathecumenorum Venetiis ad fidem conversis, super interpellatione prioris conjugis in infidelitate permanentis.

audi, quoad thorum, & cohabitationem, *nisi ob fornicationem mœchatur*, id est, reus est mœchiæ uxoris; *quia* (ut dixit *cap.* 5.), *facit eam mœchari, & qui aliam duxerit*, ex quavis causa, *mœchatur*, id est, ipse adulterando. Verba igitur illa concedunt licitam dimissionem perpetuam uxoris, quoad thorum dumtaxat, & cohabitationem, non autem quoad vinculum; ideo subdit statim, *& aliam duxerit, mœchatur:* si enim dimissio intelligeretur etiam quoad vinculum, aliam ducendo plane non mœcharetur.

CAPUT III.

De dissolubilitate matrimonii rati.

Matrimonium fidelium baptizatorum ratum duntaxat (de quo supra jam egimus) seu, quod idem est, in facie Ecclesiæ licite quidem, & valide contractum, sed carnali commercio necdum consummatum per solemnem Religionis ab Ecclesia approbatæ professionem quoad vinculum dissolvitur; ita decernunt sacri canones cap. *Verum:* & cap. *ex publico* de conversione conjugatorum: ita pariter ultimum Concilium Oecumenicum *Sessione* 24. *can.* 6. definivit his verbis: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Ratio hujus dissolubilitatis est; quia ista conditio: *nisi Religionem profitear ante consummationem*, jure Ecclesiastico, & forte etiam divino contractui saltem tacitę addita esse censetur; hæc autem

conditio cum boni communis felicitatem, eligendi nimirum perfectiorem pro anima statum, respiciat, altera pars jus suum particulare cedere debet, eo vel maxime, quia jus illud absque ulla honestatis suæ jactura cedit.

Dictum fuit: *Matrimonium necdum consummatum:* tempus siquidem duorum mensium conjugibus conceditur ad consummandum ex debito matrimonium, ita, ut ante istud tempus neuter ab altero ad consummandum obligari possit: elapso autem bimestri a die celebrati matrimonii debitum petenti uni parti pars altera injuste denegaret, & denegando graviter peccaret. In casu autem, quo denegationem debiti, quamvis illicite, ad plures alios menses protraheret, nec matrimonium consummaret, illudque probari posset, adhuc religionem ingredi, & sacram professionem emittere valeret.

Dictum quoque fuit: *quoad vinculum:* religiosa enim professio ab uno conjugum valide emissa hunc habet effectum circa matrimonium ratum, ut pars altera in sæculo relicta ad secundas nuptias libere convolare possit. Nihilominus hic bene advertendum, quod parti in sæculo remanenti non liceat ad ingressum religionis ab altera parte factum quantocyus alteri nubere; solo siquidem religionis ingressu nemo sæculo moritur, & statui religioso perenniter mancipatur: sacra proin professio est exspectanda.

Si

Solubilitatem vinculi in matrimonio rato per electionem status perfectionis minime impediunt illa Christi verba: *quod Deus conjunxit, homo non separet;* ea enim intelligenda esse de matrimonio consummato satis vindicant verba, quæ immediate præcedunt: *quia jam non sunt duo, sed una caro.* Hoc utique nonnisi de consummato matrimonio verificatur. Nec obstat, quod matrimonium etiam ratum conjunctionem Christi cum Ecclesia significet; duplex namque Christi cum Ecclesia conjunctio distinguitur, una per caritatem, & altera per incarnationem. Prima solubilis est, non quidem ex parte Christi, qui nobiscum semper manere cupit, sed ex parte membrorum Ecclesiæ, quæ quamprimum lethale peccatum admittunt, caritatem amittunt, adeoque a Christo separantur; hujus autem conjunctionis symbolum est matrimonium ratum: secunda conjunctio, quæ fit per incarnationem, insolubilis est & ex parte Christi, & ex parte membrorum Ecclesiæ, hujusque conjunctionis symbolum est matrimonium consummatum. Si uxor intra bimestre debitum denegat ex eo, quod religionem ingredi eamque profiteri revera cogitet, interea autem a marito opprimitur, privilegio ingrediendi & profitendi religionem inter viduas non privatur; nemo etenim sine sua culpa, & multo minus per injuriam alterius jure suo privandus est: maritus vero tale quid agendo contra justitiam graviſſime peccat, & propterea facta etiam uxoris professione ad contrahendum aliud matrimonium liber non remaneret, eoquod ipse, quantum est ex parte sua,

illud consummavit, & consequenter vinculum indissolubile subiit (*a*).

Disputant Theologi, an conjux alteri petenti debitum denegare istud possit, ad merum finem jure suo utendi, quin de profitenda religione reapse cogitet? affirmant hoc nonnulli ex ea ratione: quia forte eo tempore a Deo ad statum religiosum vocabitur. Negant alii plures, & quidem longe probabilius, quia privilegium negandi debitum ex solo motivo subeundæ Religionis concessum est. Hoc autem vel maxime rarum est, si de Religionis ingressu nihil cogitans in altero conjuge, debitum petente, incontinentis periculum, gravem indignationem, aut amoris conjugalis extinctionem omnimodam prudenter prævideat, quæ inconvenientia plusquam sufficientia sunt.

Porro non obstante præfato privilegio graviter omnino peccaret, qui cum hoc positivo animo infra bimestre Religionem ingrediendi, & interea debitum negandi matrimonium iniret; tum quia in circumstantia valde notabili altera pars contrahens injuste decipitur: tum quia gravatur notabilissimo incommodo exspectandi per integrum annum, donec alter profiteatur: tum

(*a*) Doctrina hæc locum habet, si in allato casu uxor violentæ sui oppressioni revera, & serio, quantum potest, resistat; si enim non resistat, in consummationem matrimonii & ipsa consensisse, & privilegio ineundæ Religionis renunciasse censetur: æque proin ac vir vinculum indissolubile subit.

tum denique quia si Religionem ingrediens non profiteatur, adeoque ad conjugem relictum redire compellatur, extinctus amor conjugalis nonnisi difficillime iterum resuscitari poterit. Aliud plane dicendum foret de illo conjuge, cui post celebratum rite matrimonium repente inspiratio Religionis amplectendæ insurgit: hic enim ad relata modo inconvenientia mere permissive se habet.

Posteaquam nunc explicatum est, quomodo, & quando vinculum matrimonii tam rati, quam etiam consummati dissolvi possit, paucis modo exponendum supereſt, quomodo aut quando remanente conjugii vinculo matrimonii dissolutio quoad thorum fieri possit, aut debeat; communiter autem duæ hujus dissolutionis legitimæ causæ allegantur, major videlicet vitæ perfectio, vel crimen alterius conjugum: major vitæ perfectio intelligitur, quando vel ambo conjuges religiosum statum eligunt, vel unus de consensu alterius Religionem ingreditur, eamque profitetur, in quo posteriore casu pars in sæculo remanens debet emittere votum perpetuæ castitatis, statim ac alter professionem emiserit, prout statuunt sacri Canones (*cap.* 4. & 8. *de conversione conjugatorum*); alias enim in ingressum Religionis vere consensisse non videtur.

Quod nunc dictum est de ingressu Religionis, hoc etiam asserendum est, si vir de licentia suæ uxoris sacris Ordinibus initietur, dummodo ipsa castitatem voveat; id autem sic intelligendum est, ut, si vir sit septuagenarius, & uxor quin-

quagenaria, sufficiat, quod uxor votum castitatis perpetuæ coram testibus deponat: si vero ætatem hanc definitam necdum attigerint, præter emissum votum uxor etiam monasterium ingredi tenetur, eoquod alioquin periculis incontinentiæ non satis provideretur. Hoc autem verum est, etiamsi in casu quodam particulari id genus pericula non extarent: hæ siquidem leges non in præsumptione facti, sed in præsumptione juris fundantur. Illud pariter hic loci bene est observandum, quod vir, si de licentia uxoris ad Episcopatum promoveatur, non aliter sit admittendus, nisi illa prius ad ingressum Religionis obstringatur. Ita definiunt sacri Canones in speciali capitulo *Sane* de conversione conjugatorum (*a*).

Altera causa circa ejusmodi dissolutionem quoad thorum crimen alterius conjugis habetur. Ejusmodi crimina sunt adulterium, fornicatio, bestialitas, sodomia & incestus, ob quæ a parte innocente in perpetuum licite fieri separatio potest: sic enim Jura sacra (*Tit. de Divortiis*) expresse tenent.

(*a*) Causa licita dissolvendi matrimonium quoad thorum pariter est votum castitatis ab utroque conjuge ex mutuo consensu emissum; antequam autem tale votum fiat, multa, & matura cum viris doctis, ac probis consultatione opus est, neque in hoc Confessarii faciles se, aut nimis credulos præbeant. Eadem, & forte longe major cum viris sapientibus, ac timoratis consultatio instituenda erit, si conjuges sine voto in statu continentiæ vivere eligant: non raro enim sub hoc prætextu pessima intentio delitescit.

tuunt. Quinimo maritus ad faciendum divortium quandoque tenetur, si nempe uxor non resipiscat, ne in crimine cum eadem participet; ita S. Thomas (*quæst.* 62. *Supplem. a.* 2.) docet his verbis: *Si autem uxorem non pœniteat, tenetur dimittere, ne peccato consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.*

Aliæ item causæ legitimæ, quæ in Jure recensentur, ad faciendum verum & licitum divortium sufficiunt. *Prima* est, si tanta sit alterius sævitia, ut sine periculo illi cohabitare nequeat. *Secunda*, si unus conjugum fixo tempore tantam rabiem erga alterum exhibeat, ut de gravi aliquo malo sibi prudenter metuere possit. *Tertia*, si pars una alteri vitam reapse adimere attentaverit. *Quarta* si unus conjugum alterum pluries ad Deum graviter offendendum sollicitet, ita, ut se in gravi labendi periculo constitutum cognoscat, & alter non desistat. *Quinta* si pars una a vera fide defecerit. Ubi propter hos casus divortium sequitur, & dein delictum vere emendetur, tunc conjuges iterum conjungi, & in sancta pace cohabitare tenentur. Cæterum divortia non privato conjugum vel Confessarii judicio, sed per sententiam Judicis Ecclesiastici fieri debent; quod si ejusmodi sententiam per errorem latam esse compertum fuerit, juxta sacros Canones (cap. *Lator* Extra: *de sententia, & re judicata*) conjux, qui illam obtinuit, alteri conjugi reconciliari, & affectu conjugali cohabitare tenetur.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

PRO

PRO CORONIDE.

En Lector benevole medullam totius Theologiæ Moralis, quæ cum ab utroque tum rigoris tum laxitatis extremo cautissime deflectat, & sanior, & sanctior audit; *sanior* enimvero, utpote quæ opiniones minus verisimiles, & periculosas detegit, easdem solide refellit, aliasque magis verisimiles, & minime periculosas stabilit: *sanctior* autem, utpote quæ non nisi sacris plerumque fundamentis, scripturæ scilicet, sanctis Patribus, Conciliis, & summorum Pontificum decretis innitur. Medulla hæc continet ea omnia, quorum notitia Confessarium omnibus numeris absolutum, & Pastorem animarum perfecte instructum reddere possit. Ad utrumque hoc munus digne & zelo obeundum subsidia affert longe saluberrima aureus ille libellus, quem famosissimus suæ ætatis Præsul Bartholomæus de Martyribus Ordinis Prædicatorum (de cujus canonizatione tractare Roma cæpit) sub titulo *Stimulus Pastorum*, evulgavit: in hoc siquidem opere partes utriusque memorati officii tanta pietate & doctrina exponuntur, ut exacta inde & veri & boni Pastoris idea refulgeat. Si vero animus Theologiæ Moralis placitis non contentus altiora Theologiæ Dogmatico - Critico - Historicæ arcana penetrare desideret, consuli plane præ aliis merentur *Rudimenta Theologica* P. Ludovici Penzii Ord. Prædic. præclari, ac emeriti Theologiæ Professoris. Liber hic singulari prorsus eruditione conscriptus, mira claritate ac brevitate ea omnia continet, quæ tyroni SS. Theologiæ præprimis scitu necessaria sunt; verum enim usum, & intellectum Scripturæ sacræ, SS. Patrum, & Conciliorum solidissime exponit: præterea non solum historiæ, & Cryseos, quæ hac ætate præcipue excoluntur, adminicula accurate edocet, sed &, quem locum, usumque in his disciplinis sana ratio habeat, sufficientissime declarat.

INDEX

INDEX

PRÆCIPUARUM MATERIARUM.

A.

Abortus. Ejus procuratio prorsus illicita *pag.* 62

Absolutio Sacramentalis laxæ de ea opiniones. 471

- - Genuinæ ejus regulæ exponuntur. 475

Adulterium. Ejus malitia, & damna. 112

- - Ejus remedia in fœminis. 124

- - Ejus remedia in viris. 125

- - Ejus sequelæ pessimæ. 116

- - Sequens ex eo divortium. 129

Æquivocatio Illicita. 287

B.

Baptismus. Ejus notio, materia, forma, minister. 391

Baptis-

Baptiſmus. Ejus neceſſitas, ſubjectum, & patrini. pag. 396

Bellum. Ejus conditiones, ut ſit juſtum. 72

C.

Communio Paſchalis, ad eam omnes tenentur. 364

- - Modus eam rite peragendi. 368
- - Frequentia ejus per annum. 372

Confeſſarius. Quis & qualis eſſe debeat. 400
- - Præcipua ejusdem officia. 405
- - Ejus ſtricta ad ſigillum obligatio. 408

Confeſſio Sacramentalis, laxæ de ea opiniones. 443
- - Ejus notio, neceſſitas, materia. 447
- - Requiſita ad ejus integritatem. 453
- - Ejus miniſter quis, & qualis. 460
- - Paſchalis cui, & quomodo facienda. 358

Confirmatio. Ejus notio, materia, & utilitas. 402

Conjux. Eorum mutuæ obligationes circa converſationem. 11

Contractus. Ejus notio, diviſio, & conditiones. 209
- - Variæ ejusdem ſpecies. 219. 223. 230. 233. 237

Contritionis perfectæ idea, & utilitas *pag.* 431
- - Imperfectæ notio, & necessitas. 434

D.

Decalogus. Ejus præceptum nonum explicatur. 316
- - Ejus præceptum decimum exponitur. 320
Depositum. Ejus notio, & obligatio. 230
Detractio. Ejus notio, gravitas, & varii modi. 294
Divortium. Propter adulterium. 119
Dominium. Ejus notio. 134. modi illud acquirendi. 139
Donatio. Ejus notio, & obligatio. 219
Duellum. Ejus prohibitio. 77
- - Inter Regem & Regem. 82
- - Illius pœnæ canonicæ. 78

E.

Emptio. Ejus notio & justæ conditiones. 237
Episcopus. Ejus debetur magna reverentia. 13
- - Quomodo hæc illi sit exhibenda. 16
Eucharistia. Ejus notio, asservatio, adoratio, ac digna susceptio. 405. ejus minister. 409

F. *Fa-*

F.

Fama. Ad eam reſtituendam tenentur detractores. pag. 309
Filiorum erga parentes obligationes. 1. 2. & ſeq.
- - Laxæ circa has quorumdam ſententiæ. 3. 7. 8.
Fornicatio. Ejus malitia, & prohibitio. 107
Furtum. Ejus notio, diviſio & gravitas. 146
- - Excuſatio ab illius malitia & pœnæ. 150
- - Variæ ejus, ac rapinæ ſpecies. 155

H.

Homicidium. Laxæ de eo opiniones. 35
- - Reprobantur. 39
- - Aliis argumentis ſatisfit. 47
- - Proditorium & caſuale exponitur. 84

I.

Jejunium. Ejus in Eccleſia prima origo. 341
- - Laxæ de illo opiniones refelluntur. 343
- - Ejus notio, & genuinæ regulæ traduntur. 346
- - Ad quosnam ſe ejus præceptum extendat. 352

Impedimenta. Dirimentia matrimonium. *pag.* 559. 568. 578

- - Impedientia matrimonium. 591

Inceſtus. Ejus malitia. 104

Inobedientium Pœnæ canonicæ. 34

Judicium Temerarium ejus deſcriptio, & antidotum. 290

L.

Libellus famoſus. Ejus lectio illicita. 304

Locatio. Ejus deſcriptio, & obligatio. 244

Ludus. Ejus deſcriptio & leges. 233

Luxuria. Ejus notio & pœna. 96. ejus ſpecies. 98. 104. 112

- - Ejusdem pœnæ canonicæ. 130

M.

Magiſtratibus Sæcularibus debetur honor. 21

- - Eorumdem præcipua officia. 30

Matrimonium. Ejus natura, & requiſita eſſentialia. 522

- - Diſpoſitiones præviæ, & concomitantes. 534

- - Ejus verus ac licitus uſus. 545

- - Ejus impedimenta dirimentia. 552. 559. 568. 578

Matrimonium. Ejus impedimenta impedientia. *pag.* 591
- - Ejus invalidi redintegratio. 597
- - Ejus diſſolubilitas. 606
Mendacium. Ejus notio, diviſio, & malitia. 279
Miſſa. Prout eſt ſacrificium exponitur. 409
- - Parochialis obligat fideles ad præſentiam. 323
- - Eam audire Papa, & Ratio Parochianis præcipit. 329
- - Eandem Concilia recentiora comendant. 336
Moderamen Tutelæ inculpatæ. 68
Mollities. Ejus abominabilis malitia. 98
Monitorium. Ejus obligatio, & extenſio. 311

O.

Occiſio Proximi privata. 35
- - Malefactorum publica. 55
- - Suipſius numquam licita. 58
- - Regum vel Superiorum. 65
- - Pœnæ ejusdem canonicæ. 67

P.

Parentum Graves obligationes. 9. 10 *ſeq.*

Pœnæ Canonicæ contra violatores præcepti quarti. *pag.* 34
- - Quinti 89. Sexti. 130
Pœnitentia. Ejus natura, neceſſitas, & inſtitutio. 423
- - Ejus forma, materia, & miniſter. 426
Pollutio. Ejus notio, diviſio, & malitia. 98
Principibus Sæcularibus debetur honor. 20
- - Eorum erga Deum & ſubditos officia. 21. 25
Promiſſio. Ejus notio, & obligatio. 219

R.

Raptus. Ejus malitia & pœnæ. 106
Reſervatio. Ejus notio, cauſa, & conditiones. 483
- - Cujus ſit eam ponere, & cujus ab ea abſolvere. 486
Reſtitutio. Ejus notio, obligatio, & origo. 157
- - Quinam ei ſint obnoxii. 161
- - Qui illam incurrant ex injuſta actione. 165
- - Quid ſit reſtituendum. 172. & quibus. 174
- - Quantum, quomodo, & quantum ſit reſtituendum. 177

Restitutio. Quo ordine & loco sit restituendum. *pag.* 181
- - Quinam ab hoc onere eximantur. 183
- - Facienda ab uxoribus, prolibus & famulis. 188
- - a Judicibus, Procuratoribus, & Notariis. 192
- - a Tabellionibus, Apparitoribus, & testibus. 195
- - a Conductoribus, Monopolitis, & Publicanis. 196
- - a Beneficiatis, Canonicis, & Parochis. 199
- - Quæ, & quomodo Confessariis imputanda. 206

S.

Sacramentum. Ejus notio, partes, numerus, & auctor. 377
- - Ejus minister quis & qualis esse debeat. 383
- - Ejus subjectum, & debita dispositio. 388
Satisfactio. Sacramentalis, laxa circa eam praxis. 495
- - Ejus notio, divisio, & vera Oeconomia. 499
Sigillum sacramentale. Ejus stricta obligatio. 468

Spon-

Sponsalia. Eorum notio, divisio, & effectus. 505
- - Requisita ad ea contrahenda, & dissolvenda. 513
Stuprum. Ejus notio & malitia. 104

U.

Usura. Ejus notio, & divisio. 249
- - Ejus malitia, & prohibitio. 252
- - In quibus locum habere possit. 260. 269
- - Quibus contractibus pallietur. 264
Usurarius. Ejus fundamentis respondetur. 257
- - Restitutio ab eo facienda. 274

INDEX
PROPOSITIONUM DAMMNATARUM.

Circa

Abortum. *pag.* 63
Abſolutionem ſacramentalem. 457. 474. 475
Adulterium. 116
Baptiſmum. 394
Communionem ſacramentalem. 370. 374
Confeſſarium. 462. 469. 470
Confeſſionem ſacramentalem. 359. 363. 387. 451. 454
Contractum Mohatra. 240
Contritionem imperfectam. 435. 436
Detractionem. 297
Duellum. 80. 81
Eccleſiam Parochialem. 339
Fornicationem. 107. 108
Furtum. 150. 151. 154
Homicidium. 38. 43. 47. 66. 71. 133
Jejunium Eccleſiaſticum. 345. 347. 355. 356
Intentionem miniſtri in Sacramentis. 385
Matrimonii uſum. 551

Propositionum damnatarum.

Missæ stipendium. *pag.* 413. 414. 415
Parentum reverentiam. 3
Pœnitentiæ Sacramentum. 425
Pollutionem. 102
Reservatos casus. 489
Sacramenta in genere. 380. 388
Satisfactionem sacramentalem. 500. 501. 503
Testamentum, seu legatum pium. 227
Usuram, & usurarios. 257. 261. 265



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANTONI GODEAU
THEOLOGIA
MORALIS,

PARS I. & II.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN